
et blasphemia remittet
minibus : spūs aut plasphe
e non remittetur. Et qui
e dixerit v̄bum cōtra filiū
minis. remittet ei. Qui
aut dixerit contra spūm sctm
non remittet ei. neq in hoc se
culo. neq in futuro. Aut faci
te arborem bonam. et fructū
eius bonū: Aut facite arborē
malam. et fructum eius ma
lum. Siquidem ex fructu arbor
cognoscit. Progenies vipar
quomodo potestis. bona loqui
cum sitis mali? Ex abundan
tia enim cordis os loquitur:
Bonus homo de bono thezau
ro pfert bona: et malus ho
de malo thezauro pfert mala
Dico aut vobis: quia omne
v̄bum ociosum. qd locuti fu
erint homines. reddent ratione
de eo in die iudicii. Ex verbis

1836 In. 50

Compárabat me sibi Lipsiae Seb: Heeg d. 20 Julij A. 1636 pro Philippico.


ann Conrad
ctus. et

Ab hac editione non differt Jenensis Christiani Rhodii 1556. T. I. et quoad Tom. II. Eislebiensis Andr. Petri 1565. Siquidem in Epistolis ipsis linea lineae respondet. Verum hic indices adjecti sunt, qui editioni priori desunt; et Dedicationes hic minoribus typis sunt exscriptae.

Tomus Primus
EPISTOLARVM
Reverendi Patris
Dn. D. Martini Lutheri, continens
scripta Viri Dei, ab anno millesimo quingentesimo
septimo usq; ad annum vicesimum
secundum:

A

IOHANNE AVRIFABRO
Aulæ Vinariensis concionatore collectus &
anno M. D. LVI. IHENAE
editus.

ACCESSERVNT INDICES.

I. Rerum & verborum.

II. Locorum scripturæ allegatorum & expositorum.

III. Elenchus eorum ad quos scriptæ Epistolæ.

Venundantur Francofurti ad Viadrum apud Fridericum
Hartmannum Typographum & Bibliopolam.

ANNO M. D. XCVII.

Σοφία Χρόνου Πολλοῦ Θρέμματα


INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.

ILLVSTRISSIMO AC CLEMENTISSIMO PRINCIPI, DOMINO OTTHONI HENRICO, Palatino Rheni, Sacri Romani imperij Electori, ac Duci Bavariæ, Domino suo gratiosissimo



RATIAM ET PACEM IN CHRISTO, Illustrissime Princeps Elector, clementiss: Domine: cogitanti mihi de ministerio Evangelii, quod maxima pars hominum furenter contemnit & odit, in mentem venire solent duæ sententiæ: quarum una à Propheta Esaia, altera à Paulo Apostolo illustribus verbis recitatur. Ita enim Esaias ca. 59. inquit: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neq; ab ore tuo seminis tui deinceps in æternum: & Paulus Ephesios 4. Sedet filius Dei ad dexteram Patris, dans dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores & Doctores, ut ædificetur corpus Ecclesiæ: & ne circumferamur omni vento doctrinæ, &c.

Hæ dulcissimæ conciones opponendæ sunt prophanis judiciis eorum: qui de publico munere docendi Evangelii perverse & sentiunt & loquuntur. Etsi enim Epicurei derident Evangelium, tanquam humanum inventum, ab obscuris & indoctis hominibus excogitatum: & tyranni vociferantur, hanc doctrinam tubam esse seditionum: & Enthusiastæ omnium ætatum Ecclesiam à publico ministerio abducere conantur: tamen adversus has impias & detestabiles opiniones præclare muniti sumus asseverationibusque quæ in propheticis & apostolicis scriptis extant.

Nam Esaias, quem constat divinitus vocatum esse ad munus propheticũ, et ornatum testimoniis spiritus sancti inter præcipua bona Ecclesiæ recenset, perpetuam huius ministerii conservationem, & defensionem adversus multiplices furores diaboli, tyrannorum, hæreticorum & falsorum fratrum.

Paulus vero enarrans dictum Psalmi, Ascendit in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, affirmat filium Dei non otio-

otiosum sedere ad dexteram æterni Patris: nec sua tantum virtute & sapientia gaudere: sed conseruare ministerium, cuius ipse in Paradiso fuit ἴξαρχος: & omnibus temporibus, excitare idoneos ministros: quos vult esse organa sonantia vocem Euangelij de voluntate Dei, & de nostra salute.

Sed quærat aliquis fortasse, quam ob causam ministerium Euangelij, potentia filij Dei gloriosè regnantis, in genere humano conseruetur: & pene collapsum excitatis idoneis doctoribus instauretur? de hac quæstione Paulus grauissime respondet, Deum hoc modo & non aliter velle ædificare Ecclesiam: eiq; impertire societatem vitæ cœlestis ac perbeatæ. Quanquam enim Deus sine humana voce posset Ecclesiam colligere, eamq; sanctificare ad vitam æternam: tamen sua sapientia & bonitate instituit in genere humano, ministerium: quo vult esse efficax: idq; potenti manu instaurat & conseruat. Huius causæ consideratio flectat pias mentes ad reuerentiam debitam ministerio, & ad gratitudinem erga Deum: qui non sinit nos circumferri omni vento doctrinæ: sed regit Ecclesiam verbo: quo essentiam & voluntatem suam patefecit.

Vt autem beneficij, de quo Esaias & Paulus concionantur, dignitas atq; amplitudo sit illustrior, consideremus perpetuam seriem excellentium doctorum: quorum ministerio Ecclesia, inde usq; ab initio collecta est. Certissimum est, ut supra etiam dixi, huius sanctissimi muneris Principem ac ducem fuisse ipsum filium Dei: qui ideo dicitur λόγος, quia decretum de reconciliatione ex sinu æterni Patris prolatum, primis parentibus post lapsum patefecit. Huic summo sacerdoti Ecclesiæ, successerunt velut diaconi Adam, Seth, Mathusalem & reliqui Patres ante diluvium. Post diluvium cum plurimæ gentes amissa doctrina Patrum, fingerent novas opiniones de Deo, & novos cultus, vel, ut verius dicam, idola: filius Dei immensa misericordia familiam Abrahæ revocavit ab errore & idolatria: & primam Ecclesiæ promissionem, in familiaribus colloquijs cum Abraham Isaac & Iacob repetivit atq; illustravit.

Postea excitatus est vir sapiens & divinus Moises: qui non tantum legis doctrinam populo Israel tradidit, ut multi somniant, sed etiam locuples testis & interpres fuit promissionum de Christo mediatore. Post hunc:

hunc secuti sunt Samuel, David, & quidam alij excellentes Prophetæ. Deinde Elias & Heliseus studia doctrinæ in populo Dei gubernarunt. Heliseum senem haud dubie vidit Esaias: Esaiam Ieremias: Ieremias Daniel. Post reditum ex Babylone præcipui gubernatores Ecclesiæ fuerunt Haggeus, Zacharias, Esdras & Nehemias. Tandem Iohanni Baptistæ successit Filius Dei: qui assumpta natura nostra docuit Evangelium: & resuscitatus ex morte Apostolis negotium dedit, ut ex Iudæis & gentibus toto orbe terrarum dispersis, colligerent Deo æternam Ecclesiam voce Evangelij. Horum discipuli fuerunt Titus, Timotheus, Policarpus, Ignatius Papias & alij innumerabiles.

Cum autem Origenes turbasset fontes Israel Philosophicis opinionibus: excitatus est Methodius, qui Origenem refutavit, & fontes doctrinæ repurgavit. Postea cum Pelagius transformaret propriam Evangelij sapientiam in philosophiam: Augustinus bonam operam refutandis Pelagij somnijs, Ecclesiæ navavit. Ac, ut cæteros brevitatis causa omittam, magna laus Bernhardo debetur, qui de fundamento rectè docuit: etiamsi stipulas aliquas humanarum traditionum addidit. Methodius

Quorsum autem hic catalogus Doctorum in Ecclesia *pertinet? Hæc videlicet, ut pij attentè considerent, quam illustre & inenarrabile beneficium sit quod filius Dei non sinit extingui lucem doctrinæ in toto humano genere: sed omnibus temporibus excitat doctores Ecclesiæ, eosdemq́; donis ad repurgationem doctrinæ & ad collectionem Ecclesiæ necessariis instruit.*

Sicuti in hac tristi & ærumnosa mundi senecta per ministerium reverendissimi viri, Domini Doctoris Martini Lutheri, veritas Evangelij, depulsis densissimis tenebris papisticis, eruta & illustrata est. Cuius eruditα & luculenta scripta de omnibus doctrinæ christianæ partibus, ab ipso in lucem edita, satis declarant, quanta lux Spiritus sancti in mente ipsius fulserit: & qualis in eo magnitudo animi cum summa eloquentia & felicitate coniuncta fuerit. Verum cum multa eius sanctissima monumenta adhuc desiderentur, videlicet enarrationes in aliquot libros biblicos, multorum etiam annorum conciones, disputationes, consilia de magnis &

 serijs

seriis rebus, colloquia & epistolæ, quæ nondum in lucem prodierunt: ac ego talium ipsius viri Dei scriptorum indagator & custos non omnino negligens semper extiterim: magnæ & graves causæ me impulerunt, ut ad reliqua scripta, hanc magnam farraginem Epistolarum, quam non mediocribus sumptibus, ex tota Germania, jam fere sedecim annis collectam, & in aliquot Tomos juxta annorum, mensium & dierum seriem congestam, tanquam appendicem adjungendam existimarim.

Gravissimè enim præcipit filius Dei, ut talia fragmenta in cophinos colligamus, ne pereant: cum mira arte eis diabolus insidietur. Ac memini, cum ante semestre anni spacium, Saxoniam, ac superiorem Germaniam peragrarem, & multorum doctissimorum virorum bibliothecas perlustrarem, huius generis scripta plurima intercidisse. Nam multorum doctissimorum virorum bibliothecæ partim incendiis perierant, ut Vrbani Rhegii, Valentini Curtii Superintendentis urbis Lubecæ: partim verò post obitum clarissimorum virorum, Lutheri amicorum, ut Doctoris Casparis Guttelii comitatus Mansfeldensis Episcopi, ac Vuenceslai Linci turpiter dissipatæ erant. Quapropter ego hanc farraginem Epistolarum, quasi ab incedio & interitu raptam salvare volui, ac Ecclesiæ communicare, ne plane, hæc utilia & necessaria scripta interirent.

Vtile etiam est & de vita Lutheri, & de ipsius Doctrinæ occasione, initiis, incrementis, cursu & progressu, deq; medio & fine posteritati veram narrationem relinquere. Ea melius hauriri non potest, quàm ex illius Epistolis: in quibus autor ipse, suas actiones, consilia & certamina descripsit: & ceu integram historiam Ecclesiasticam suæ ætatis post se reliquit: ut omnibus ætatibus conspicuum esset, suam causam à multis hostibus quidem oppugnatam: mirabiliter tamen defensam ac propagatam: ac ipsos adversarios quoq; ei præbuisse ansam, illustrandi doctrinam.

De vita verò ipsius nunc parum dicam: ab aliis enim ea copiosè sæpius explicata est. Natus erat Islebii, de honestissimis parentibus quorum pietas, virtus & integritas in comitatu Mansfeldensi, adhuc prebatur. Ii cum filium ad perdiscendas literas humaniores Magdeburgum & Isennacum mitterent: degustavit ibi rudimenta artium: & in iis non

infeliciter

infeliciter versatus est; cumq; in Academiam Erfurdiensem se contulisset, accepit gradum Magisterii, & Anno 1506. Aristotelis physicam & Ethicam, & alia philosophica studia professus est. Sed cum Anno 1507. dolore capitis & febribus laborare cœpisset: unde factus mœstior, ipsiq; tædium ac fastidium omnium rerum terrenarum subsecutum: adjecit animum ad studium Theologiæ; & tandem agitari cœpit consilium de monastica vita. Quod ut susciperet, fragor cœli sive tonitru eum confirmavit. Nam cum Erffurdiam iter faceret, & in itinere tempestate fulminibus & tonitruis obrueretur: vovit se ingressurum esse monasterium: id quod ex ipsius ore postea audiverunt præter multos alios, viri clarissimi & præstantissimi, Dominus Amsdorffius & D. Eberhardus Schnepfius, ambo adhuc superstites.

Exceperat autem Sodales hilari convivio; & nocte expectatus à fraterculo ingressus est monasterium; mane remisit ad socios literas valedictionis: annulum Magisterii, vestem, una cum literis ad parentes, consilium suum aperientibus. Subsecutus est fletus civium & sociorum: quæsitus per totum biduum; sed non apertæ sunt fores Monasterii; ac monachis etiam insidiæ structæ, ne tam præstans ingenium delitesceret in semimortua vita; sed intra mensem nemo ad ipsius colloquium est admissus.

Cum ergo anno 1507. Dominica Cantate celebraret primitias suas Lutherus; id quod testatur prima Epistola huic operi inserta: vixit annis 15. in illa solitaria & austera vita, incumbens Bibliæ, cognitioni linguarum ac lectioni Patrum. mensib.

Vocatus autem à Doctore Staupitio Vicario Augustinianorum anno 1508. Vuittembergam, ut ibi in Cœnobio Theologiam profiteretur, ornatus est anno 1512. in die Lucæ, titulo & gradu Doctoratus, ut cernere licet in Epistola scripta ad Doctorem Langium: nec illud tempus otio dedit, sed meditationi & lectioni Bibliæ, ita, ut nimiis studiis, vigiliis, jejuniis, & orationibus corpus ipsius fere debilitaretur: Donec à Tetzelio controversia de Indulgentiis moveretur: ubi divinitus ex hoc ergastulo et carnificina Conscientiarum liberatus est. Tantum de ipsius vita breviter recensere volui. Cætera enim ex Epistolis abunde se Lectori offerent.

Addam

Addam vero aliqua de ipsius Doctrina, quomodo ea mirabiliter propagata sit. Inciderat ætas eius in horrendas tenebras & idolatrias: quibus Ecclesia, tanquam in cœno, immersa erat. Nam per Pontifices Romanos, Episcopos, sacerdotes & monachos, eorumq; satellites, Canonistas, ministerium verbi omnino spernebatur, & in nullo erat precio: non doctrinæ Prophetarum & Apostolorum vigebant: sed omnia monachorum, doctrinæ dæmoniorum, humanæ traditiones & Aristotelis, Thomæ, Scoti, & aliorum Libri regnabant in suggestis: non verus vsus legis tradebatur: nec beneficia Euangelii magnifiebant. Orationis vis & energia ignota erat. De baptismo, quid senserint, non obscurum est. Multiplex etiam prophanatio cœnæ Dominicæ secuta. Hostia enim sive panis inclusus auro vel argento circumgestus, à populo adorabatur: altera pars sacramenti, videlicet calix, laicis adimebatur: finxerunt quoq; missam esse oblationem sive sacrificium pro vivis & mortuis: & animas etiam ex ementito purgatorio per eam liberari posse: Clavium potestas, plane ad civiles & mundanas causas usurpabatur: & omnes Vocationes adeo spretæ erant, ut magistratus, matrimonium, & reliqui hominum status, tanquam carnales & res impiæ iudicarentur: Ipse vero Papa, ut filius perditionis ac homo peccati, sese super omnia constituit, etiam supra Deum, ut Paulus ad Thessalon: inquit: iactitabat se esse caput Ecclesiæ: potestatem habens mandandi & præcipiendi, quæ necessaria essent ad salutem consequendam, item interpretandi ex scrinio sui pectoris scripturas, figendi & refigendi leges: & cuius mandatis nullo modo repugnandum esset.

Sed cum multis annis sub hac Aegyptiaca & babylonica captivitate Ecclesia detineretur, excitatus est Lutherus, qui ab his aranearum telis & dæmoniorum doctrinis Ecclesiam repurgaret: & doctrinæ puritatem, ac verum usum sacramentorum restitueret.

Occasionem præbuit ipsi Tetzelius ordinis prædicatorum monachus, buccinator & proclamator indulgentiarum: qui à Leone decimo summo pontifice in Germaniam missus erat, ut indulgentias venderet: ac hoc aucupio pecuniæ, magnam vim auri corraderet: unde templum divi Petri Ro-

tri Romæ exſtrueretur; & Epiſcopus Magdeburgenſis Albertus chlamydem ſive pallium Epiſcopale redimere 30. millibus aureorum Romæ poſſet.

Cum vero is petulanter & impudenter admodum laſciviret, extollens nimium virtutem indulgentiarum, ita: ut omnia peccata per eas remitti queant ei, qui indulgentias redemiſſet, etiamſi ſtuprum virgini Mariæ intuliſſet: & meritum filii Dei omnino obliteraretur: item animas ex purgatorio liberari, per eas quoq; reconciliari nos Deo, & futura peccata remitti & condonari: moleſte tulit hæc immodica Indulgentiarum præconia Lutherus. Videbat enim ea aperte pugnare cum Scriptura ſancta: & iſtas rapinas inviſas eſſe principibus & Academiis: & neminem tamen contra hiſcere audentem, & Pontificis etiam dignitatem labefactari per hunc ſycophantam exiſtimans: & cum ipſe ignoraret quid vere eſſent Indulgentiæ: ab aliis etiam conſuleretur, quod eius eſſet iudicium de iis: hic, ut frena & remoram injiceret nundinis Indulgentiarum, admonuit populum pro concione, ut alios Deo præſtarent cultus, quo magis delectaretur, quam ſi indulgentias emerent. Ac annno 1517. ultima die octobris in vigilia omnium Sanctorum, quo die encænia in templo Arcis cum frequenti concurſu populi celebrabantur, affixit ad valvas illius templi propoſitiones ſuas de Indulgentiis: impugnans Tetzelii impoſturas & mendacia: nec juſſu aut mandato Pontificis ipſum hoc agere affirmabat.

Inſcius etiam Epiſcopum Magdeburgenſem participem eſſe rapinarum Tetzelianarum, ſcripſit bono conſilio eodem die ad præſulem Magdeburgenſem: qui primas inter Religioſos in Germania tenebat: ut rabiem prædicatorum Indulgentiarum coerceret: ſed non dignabatur reſponſo Lutherum.

Dedit etiam poſtea literas ad Epiſcopu m Brandenburgenſem, ordinarium eius loci: humiliter petens, ut Tetzelii petulantia compeſceretur; qui Lutherum admonuit, ut moderate ageret. Nam cum de poteſtate Eccleſiæ diſputare inciperet, eum rem ſuis viribus longe maiorem moliri.

Sed cum Lutheri propoſitiones late ſpargerentur, Tetzelius animum ſumens, edidit Francofordiæ ad Oderam contra ipſum alias poſitiones: quarum author D. Cunradus VVimpina fuiſſe dicitur, in quibus de-

 fende-

fendebat Indulgentias. Prodiit & alius antagonista in palestram, videlicet Canonicus quidam Eichstedtensis, Studii Ingolstadiensis Procancellarius D. Ioannes Eccius, scribens Obeliscos: in quibus miris convitiis Lutherum adoriebatur. Sed cum vir Dei, suos adversarios non firmis verbi divini testimoniis, sed tantum authoritate Scotus, Thomæ & aliorum niti videret: edidit econtra Astericos.

Hic statim magno agmine alii in ipsum impetum fecerunt: Tetzelii patrocinium suscipientes: inprimis autem Silvester prierias sacri Palatii magister: is solus potentiam pontificis stabiliri ac tueri conabatur. Sed huic latranti cani os statim obturabatur: & ipsius clamores opprimebantur.

Cum hanc Tragœdiam Lutherus unus & solus ageret: ac fere per dimidium annum, cum tot hostibus congrederetur: & nec ab Episcopis Magdenburgensi & Brandenburgensi, contra Tetzelii tam impudentis adversarii furores defensionem impetrare posset: sed & à Tetzelio condemnaretur, ipsiusq; scripta igni traderentur: scripsit Resolutiones suarum propositionum de indulgentiis: easq; obtulit per D. Staupitium Romano Pontifici Leoni X. conquerens simul de avaritia quæstorum indulgentiarum, sperans Pontificem approbaturum suas positiones, & repressurum nimiam Tetzelii & aliorum licentiam: sed & hac spe frustabatur Lutherus. Nam instinctu & hortatu Pontificis Prierias vehementius, quam antea, ipsum insectabatur scriptis: quibus ille non respondebat: sed aliis utilioribus negotiis sese committebat: sicuti ipsius conciones, de pœnitentia, indulgentiis, de virtute excommunicationes, de præparatione ad dignam sumptionem Cœnæ Dominicæ, de duplici iustitia, de oratione, de baptismo, absolutione, præparatione ad mortem & meditatione passionis Christi, illo anno typis excusæ sunt.

Verum prodiit & alius hostis, Iacob Hochstrat, inquisitor hæreticæ pravitatis: hic palam Lutherum hæreseos arguebat, & condemnabat, antequam auditus aut convictus esset. Et cum se ita damnatum intelligeret: edidit protestationem Vuittembergæ: in qua petebat se meliora ex verbo Dei erudiendum: nam iudicium Ecclesiæ se non subterfugiturum.

Interim

Interim nec Pontifex cessabat furere contra Lutherum: pro quo ipse hactenus adeo fortiter belligeraverat; ac mittebat citationem, ut Romam veniret, & coram Episcopo Asculano & Silvestro Prieriate se sisteret.

Cum anno 1518. comitia imperialia Augustæ celebrarentur: misit eo Papa Cardinalem Caietanum: qui apud imperii status, & præcipue apud ducem Fridericum Electorem hoc effectum daret, ut Lutherus Romam mitteretur, & Papæ traderetur: &, ut ab ipsius doctrina, tanquam à veneno, sibi omnes caverent, hortaretur. Cajetanus

Scripserat autem imperator Maximilianus ex comitiis Pontifici, ut de opprimendo Luthero, jam per Prieriatem condemnato, cogitaret: suamq; operam illi polliceretur. Spem amplissimam igitur alebat Papa, per Cajetanum omnia ex animi sententia & voto successura esse. Sed dux Elector Fridericus sapientissimus Princeps Augustæ Cardinalem accedens, cum ipso egit, ne Romam Lutherus mitteretur: sed vel in comitiis cum ipso, de tota controversia ageret, id quod & permissu Pontificis factitatum est.

Cum igitur eo veniret pedester & absq; saluo conductu, non sine magno discrimine vitæ, per amicos impetravit à Cæsare libertatem, & salvum conductum: ac cum Cardinale Cajetano collocutus est: qui ipsi revocationem mandans, cum erroris eum convincere non posset. Hic protestatione usus est Lutherus in præsentia quatuor consiliariorum Cæsareæ Majestatis: seq; ea, quæ indagandæ veritatis causa ediderit in publicum, neq; convicta videbat verbo Dei, revocare non posse: sed rationem suæ doctrinæ semper omnibus redditurum: acturum etiam se per literas cum Cajetano. In quod precibus Staupitii motus, Caietanus etiam consensit: sed nec hac via negotium compositum est. Conabatur enim diris & fulminibus Lutherum compescere, ut suam doctrinam in Propheticis & Apostolicis scriptis traditam, tanquam impiam & erroneam damnaret & revocaret: quamvis per literas supplex petebat suam causam cognoscendam: nam se non revocare posse, cum non sit convictus. Promittebat etiam, se nihil quicquam contra pontificem scripturum: & omnino afferebat silentium modo etiam sui adversarii tacerent. Tandem discessit re-

licta poſt ſe appellatione ad pontificem: ac Vuittembergam in vigilia omnium Sanctorum rediit: quo die ante annum mota erat lis & contentio de indulgentiis: verum mirabili modo Auguſtæ ereptus ex faucibus inimicorum, qui ipſi inſidias & mortem ſtruebant.

Sed poſt ipſius diſceſſum, Caietanus minaces & truculentas adverſus ipſum literas ad Fridericum Electorem ſcripſerat, ut Lutherum vel Romam ſiſteret, vel ex ſuo territorio demitteret.

Inter hæc dira fulmina adverſariorum, tanto robore animi, tanta confidentia & magnanimitate præditus erat: ut non tantum in exilium ire, ſed etiam corporis periculum ſubire paratiſsimus eſſet: id quod in multis epiſtolis cernitur.

Verum poſtquam anno 1519. die 12. Ianuarii imperator Maximilianus feliciſsimæ memoriæ è vivis deceſſiſſet: ac Dux Saxoniæ Fridericus Elector, loco tenens imperii deſignaretur: aperta eſt Luthero feneſtra, ut aliquantulum reſpirare poſſet, & mitior aura ipſum afflaret, ceſſantibus adverſariorum aliquantulum furoribus. Nam quod antea vi efficere non poterant, nunc dolo & fraude tentabant.

Mittebatur ergo in Germaniam Legatus pontificius Carolus à Militz è Miſnia oriundus cum aurea roſa, & multis apoſtolicis brevibus: qui Aldenburgi cum Luthero collocutus eſt: ſed ut adulationibus eum flectere non potuit: variis artibus integro toto anno rem tentabat, ut pacem cum Papa & Luthero faceret: ſed laterem, ut dici ſolet, lavabat.

Quamvis hoc obtinebat, ut ſecundo ſilentium promitteret, ſi modo adverſarii etiam compeſcerentur: & ad Papam literas daret & ſilentium offerret, confiteretur[q]ue ſe aliquantulum vehementius adverſus Romanam Eccleſiam ſcripſiſſe: quod non ſua culpa acciderit, ſed adverſariorum impetu & impulſu.

Poſtea ſecuta eſt eodem anno diſputatio Lipſica, de primatu Papæ: in qua Eccius Lutherum & Andream Caroloſtadium provocavit ad certamen, de pœnitentia, purgatorio, libero arbitrio, de indulgentiis, de poteſtate ſacerdotum, & primatu Papæ: ſicuti ipſius diſputationis actiones in Epiſtolis abunde continentur. Talem autem ſe in ea diſputatione tribus

fere

fere hebdomadibus Eccius præbuit: ut palam profiteretur non gloriam Dei, nec propagationem veritatis & Ecclesiæ salutem se quærere, sed pontificis dignitati gratificari, ac Luthero laqueos ponere vellet, cum magno autem applausu Theologorum Lipsensium, item etiam ducis Georgii, qui disputationi semper interfuit, multa convitia in Lutherum sparsit.

Post celebratam disputationem, cum ab adversariis ipsis acta ubiq; spargerentur, coactus est Lutherus veram narrationem pertexere & resolutiones, 13. propositionis de potestate Papæ in lucem edere: cui alia scripta Eccius magna ira percitus, opposuit.

Hieronymus Emserus eo tempore etiam Luthero arma intulit, accusans eum Bohemicæ fidei assertorem. Cum igitur has obiectiones refutaret & apologiam fidei ederet: incepit percurrere historiam & doctrinam Hussitarum ipsi antea ignotam: ubi vidit eandem doctrinam à Iohanne Huss traditam esse, quam ipse Lutherus hactenus docuerat, & quam divus Paulus, Augustinus & alii Orthodoxi, ante eum quoq; professi fuerant.

Hunc hostem secuti monachi Iutterboccenses, editis in Lutherum aliquot articulis, qui ab ipso confutati sunt: & in eius primatus Papæ repudiatus & damnatus. Hic multi viri politici moderationem in eo desiderabant, vehementiam damnabant: quasi ulla possit esse concordia inter Christum & Belial: & Evangelium absq; persecutione, tumultu & periculo queat prædicari.

Hoc anno etiam Hieronymus Alexander, & Martinus Caracciolus una cum Eccio Legati pontificii venerunt Coloniam ubi imperator Carolus & Electores imperii congregati erant: Hi serio institerunt apud ducem Fridericum Electorem & imperatorem, de Luthero in vincula coniiciendo, & eius libris concremandis, sed nihil impetrarunt.

Anno 1520. Cum Luthero pax concessa esset ab adversariis, multa erudita & utilia Scripta composuit, ut de bonis operibus, Tessaradecada, item ad Christianam nobilitatem de emendatione Christianitatis, de libertate Christiana, prælegit etiam publice Psalterium.

Sed novum incendium movit Episcopus Misnensis, publico edicto ipsius concionem de Sacramento damnans.

Emsero

iutterbocenses

Ac inde Academiæ in ipsum actiones instituerunt, Lovaniensis & Coloniensis Schola, eius Libros damnarunt & exusserunt.

Item Romæ & passim in Germania concremati. Illud conquestus est Lutherus *imperatori Carolo per literas: conquerens se iniuste condemnari, ac ipsius auxilium & patrocinium implorabat: Item ad Moguntinum Episcopum Mersburgensem secundo scribebat, offerens se ad probationem suæ doctrinæ, & ad emendationem: si ex verbo Dei impiæ & falsæ doctrinæ convinceretur: sed ab omnibus hominibus expers auxilii & consolationis derelictus fuit.*

Alveld. *Tandem Alveld, Franciscanus monachus* Lipsensis, *impetum in ipsum quoq; fecit: quem eruditissimo libello de captivitate Babylonica, compescuit.*

Edita est & contra ipsum nova Bulla per Eccium in Germaniam transportata: quæ mire à Luthero *spreta fuit: ita ut decerneret Papam esse Antichristum: ac ius canonicum in odium pontificis, die 10. decembris combureret Vuittembergæ.*

Sicut autem hactenus multorum doctorum virorum insultus & certamina sustinuerat Lutherus, *ac, 1. Augustæ coram pontificio* Legato *causam suam egerat, 2. in disputatione* Lipsica: *cum omnium Academiarum furor in ipsum unum conversus esset, & ibi suum negotium tueretur: ita anno 1521. coram toto imperio Romano, Cæsare Carolo, & omnibus imperii statibus, Vuormaciæ præsentibus lucem, non defugit: sed cum magno periculo se egregie defendit.*

Post discessum ipsius ex comitiis, vixit aliquandiu in Pathmo.

Hanc brevem narrationem, de Vita, & initiis ac incrementis doctrinæ Lutheri, *usq; ad annum vicesimum secundum, ideo institui, ut grati simus Deo pro hoc illustri beneficio eius: quod hanc doctrinam contra tot insidias ac furores Papæ omnium Academiarum, & tot doctissimorum virorum, multorum etiam Regum & Principum persecutiones, semper conservavit & propagavit. Illud enim egregium testimonium ac argumentum est, hanc doctrinam divinitus revelatam ac instauratam esse. Deum itaq; toto pectore precemur, ut vocem cœlestis doctrinæ, in his regionibus non*

bus non sinat collabi: sed ut Esaias Propheta orat, Legem in discipulis suis obsignet. Nam cum ante lucem doctrinæ Lutheri, horrendis tenebris, quasi in profundo cœno, Ecclesia immersa esset: ac humanis traditionibus verbum Dei & legitimus sacramentorum usus omnino oppressus iaceret: Deus misericordia sua ineffabili, excitato Luthero, omnia in integrum restituit: nosq; quasi ex carcere obscurissimo in cognitionis sui lucem clarissimam extraxit. Hac igitur Luce fruamur, ut filii lucis simus.

Mirum autem alicui videri posset, Lutherum, & quidem solum, omni humano auxilio ac præsidio destitutum, tam arduum negotium suscepisse: sed legenti epistolas patebit eum nihil temere, nec φιλονεικίᾳ, aut nimia naturæ vehementia, vel rixandi studio, in hanc palestram prodiisse: sicut nec odio furentem in Papam. Nam scriptis suis in initio ipsum neq; iniuria neq; detrimento ullo afficere volebat: imo eius autoritatem stabiliri cupiebat: quam indulgentiarum nondinatione labefactari videbat: sed tristissima facies & miserrimus status Ecclesiæ, impudentissimaq; Tetzelii & eius patronorum mendacia & furores honestum et generosum animum excitabant & inflammabant, ut medicinam tantis malis afferre cogitaret.

Ignoravit vir Dei Papam Antichristum esse, hocq; demum anno vigesimo perspexit: ideoq; ad eius clientelam ac fidem aliquoties confugit, tanquam eius addictissimum mancipium. Et cernet Lector, eum in scriptis primi quinquennii, videlicet, ab anno decimo septimo, usq; in annum vigesimum primum, multa concessisse ex ignorantia pontificii: eaq; acerrime defendisse: quæ postea retractavit & damnavit. Nondum enim lux & cognitio doctrinæ Evangelii tanta in eo exorta erat.

Quod vero in tantis certaminibus ac periculis Lutherus non tantum servatus, sed & victor semper extiterit, illud nobis magnæ consolationi esse debet. Nam ut Herculi Lernæam hydram interficienti, uno capite resecto, subinde aliud, imo multa renascebantur: ita Luthero uno hoste debellato & prostrato, alii plurimi successerunt, qui summis viribus ipsius doctrinam oppugnarent. Quare, si eandem fortunam nos quoq; nunc experiamur simus certi, Filium Dei nobis affuturum: ac omnes hostium conatus & insultus repressurum. Sed ad epistolarum Tomos: ex quibus reliqui conti-

nebunt

nebunt cæteras Lutheri actiones, progreſſum & finem eius vitæ & doctrinæ, de quibus etiam ſuo loco aliquid dicetur.

Tuæ vero Celſitudini, Illuſtriſſime Princeps, hoc novum & ante in lucem non editum opus Epiſtolarum, præcipue offerre ac dedicare viſum eſt: quod ſciam T. C. Lutheri doctrinam colere & venerari: & in hoc nunc unice incumbere, ut ſub T. C. ampliſſima ditione, Eccleſiis pure perſpicue & incorrupte tradatur, & ad cæteras etiam regiones propagetur. Hæc T. C. pietas ac egregia virtus, cum aliis etiam Germaniæ principibus, exemplo eſſe deberet, quod in conſervanda puritate cœleſtis doctrinæ, & in fugiendis & deteſtandis corruptelis & hæreſibus, imitarentur. Quare & ſub T. C. nomine & auſpiciis potiſſimum hanc farraginem epiſtolarum in publicum edidi: ut & hoc tanto theſauro optimorum ſcriptorum Lutheri plurimi fruantur. Ac ſpero T. C. hoc meum qualecunq; pium tamen ſtudium Eccleſiæ cauſa ſuſceptum, clementer approbaturam eſſe. Deum precor, ut T. Celſitudinem, huius ætatis verum Eccleſiæ nutritorem ac patronum, diu conſervet ſuperſtitem. His T. C. bene & feliciter valeat: cui meas preces & debita officia quam humillime defero. Datæ Vinariæ in die Matthæi Apoſtoli Anno M. D. LVI.

T. Celſ: deditiſſimus miniſter

Iohannes Aurifaber aulæ Saxonicæ concionator.

PIIS LECTORIBVS.

EIus generis ſcripta, fratres chriſtiani, cuius ſpecimen hic vobis dedimus, multa nobis reliqua ſunt: quæ omnia eadem liberalitate, qua hæc, volente Domino, vobiſcum communicabimus. Sed cum non dubitemus, quin ad huc aliqua, apud bonos & amantes doctrinæ cœleſtis, theſauri loco, recondita ſint: candide omnes rogatos volumus, ne graventur ea nobis impertire: ut ipſorum opera omnia ſarta tectaq; exeant: & aliquando audiant: eſurivi: & contuliſtis unde viverem.

OPVS EPISTO- I.
LARVM REVERENDI PA-
tris D. Doctoris Martini Lutheri pium, eruditum, ac omnis generis maximarum rerum, quibus eius ætas occupata fuit, refertißimum, adeo, vt formam quandam tum Religionis tum Reipub. eius Seculi, quo vir Dei vixit, expressam quasi hic videas.

ANNVS CHRISTI M. D. VII.

SANCTO ET VENERABILI, CHRISTI MARIAEQVE SACERdoti Iohanni Braun Isennacensi Vicario, Suo in Christo Charissimo.

Rogat amicum, ut primitijs sui sacerdotij interesse dignetur.

1.



S. D. in Christo Ihesu Domino nostro. Vereor, homo humanissime, charitatem tuam importunis meis literis precibusq; solicitare, nisi benigni tui & in me animati cordis affectum syncerum considerarem,

quem tot argumentis beneficijsq; habeo exploratissimum. Quare non dubitaui has ad te dare literulas, fretus mutuæ charitatis amicicia, exaudibiles apud te futuras, exorabilemq; te inuenturas.

Cum itaq; gloriosus Deus & sanctus in omnibus operibus suis infelicem me, quin & omnibus modis indignum peccatorem, tam magnifice exaltare, inque sublime suum ministerium sola & liberalissima sua misericordia vocare dignatus sit, vt tantæ diuinæ bonitatis magnificentiæ (vel quantulumcunq; poterit puluis) gratus sim, creditum mihi officium implere omnino debeo.

Quamobrem ad decretum Patrum meorum die Dominica quarta, quam Cantate vocamus, futura, hoc ipsum, patrona Dei gratia, enceniare constitutum est. Is enim dies nostris primitijs Deo dicandis ob commoditatem patris mei addictus est. Ad quas tuam humanitatem humiliter, sed audacter fortassis, inuito, Non certe quod ob mea in te benemerita (quæ nulla sunt) ad tanti itineris laborem inquietare, adq; tantillam nostræ humilitatis paupertatem te aduentare, dignum existimem, Sed quod tuam beneuolentiā in me & promptam facilitatem, cum nudius essem apud te, intellexerim, præterquam alias abundantius.

Dies celebrationis primitiarū Lutheri.

Tu ergo charissime Pater, Domine, Frater, (aliud enim

ud enim

ud enim ætatis & curæ, aliud meriti, hoc autem Religionis nomen est) si quo modo per tempus perque Ecclesiastica tua negotia, vel etiam familiaria licere poterit, huc adesse digneris, adiuturus grata præsentia precibusq; tuis, vt acceptabile fiat sacrificium nostrum in conspectu Dei. Habebis vero Conradum affinem meum, quondã ædituum S. Nicolai, præter eum quemcunq; alias uolueris, itineris sociũ, dummodo & ipsi per curas domesticas vacauerit & libuerit.

Admonendus es deniq; , vt recta ad Monasterium nostrum ingrediaris, nobiscum tantisper commoraturus (quandoquidem habitaturum te hic non metuam) nec forinsecum per compita disquiras hospitium aliud. Oportebit. n. te Cellarium, hoc est cellæ incolam fieri. Vale in Christo Ihesu Domino nostro. Datæ ex Cœnobio nostro Erphordensi. 10. Calend. Maias, Anno Domini M. D. VII.

Frater Martinus Lutherus
ex Mansfeld.

Schalbense Collegium, optimos illos homines, de me certe q̃ optime meritos, importune onerare non audeo, quod mihi omnino persuaserim eorum ordini & dignitati non pulchre congruere, ad tam humilis

 obsequij

obsequij negotiũ accersiri, Imo ad Monachi, mundo nunc mortui, vota molestari: Pendet præterea animus meus, & dubiusculus est, gratum ne sit illis an molestum. Quare obmutescere mihi consului, gratitudinem tamen meam, erga eos, dum locus postulauerit, declares velim. Vale.

ANNVS CHRISTI M. D. IX.

VENERABILI AC CHRISTO, MARIAEQVE SACRO VIRO, DOmino Iohanni Braun, Sacerdoti Isennacensi, Domino & Patri suo dilecto.

Excusat se, quod non salutato amico Vuittembergam abierit.

IHESVS.

2.

SAlutem & Saluatorem ipsum Ihesum Christum optat Frater Martinus Lutherus Augustinianus. Desine tandem quæso, domine mi & Pater amande, magis quam venerande, desine inquam admirari, iam satis admiratus, quomodo abierim ego abs te clanculo & silenter, aut saltem abire potuerim, quasi nulla

nulla vnquam inter nos constiterit necessitudo, aut quasi ingratitudinis seminatrix obliuio, omnem tuæ humanitatis memoriam ex corde meo deleuerit, quasi denique frigidus aliquis & superbus Aquilo omnem calorem charitatis extinxerit. Non est ita, nec feci ista, imo nec facere cogitaui, licet id fecerim (si modo fecerim & non potius passus fuerim) vnde possit de me mali quid cogitari sine iniuria.

Abij quidem fateor, imo non abij, sed apud te maiore semper & potiore mei parte relictus sum, semperq́ relinquar, quod ego haud facilius aut efficacius consequar apud te ita esse, quam ex fide mei, quam vti de me tuis meritis & beneficijs sola tua benignitate concepisti, ita sine mea culpa interire, vel etiam minui non patieris, sicut nunquam passus fuisti. Itaque recessi a te longius corpore, mente autem propius accessi, modo tu non nolis, sicut ne nolles quidem te nolle, nisi me spes mea fallat. *Hæc abitio facta est anno octauo.*

Et vt ad rem veniam, ne tuam charitatem diutius, de mea fide dubitantem, suspicari cogerer (atque vtinam suspicio secundum naturam suam sit proxima falso) Ecce quaqua potui violentia de tot tamq́ varijs negotijs meis furatus sum particulam temporis, qua has ad te scriberem literas, maxime cum nuncij rari mihi sint, atque, si frequentes essent, ex igno-

rantia & distractione rari fierent. Et quid aliud his literis putas me postulare, nisi vt me commendatum ita teneas, vt suscepisti, atque de me id præsumas, quod me de te velles præsumere, Licet in nullis tibi par esse possim aut velim, quæ bona sunt, tamen magnus est in te animus meus, quando nihil aliud habeo, illum saltem non iam dedo, sed olim sæpius deditum proprium dico, Neque est quicquam quod generosus tuus spiritus a me expectat (scio) quam quæ sunt spiritus, id est, vnum sapere in Domino, et cor vnum & anima vna sit, sicut vna fides in Domino.

Quod autem ita recessi tacitus tibi, non mireris. Tam enim fuit subitaneus meus abscessus, vt pene me os familiares lateret. Volui, sed non potui per temporis & otij penuriam ad te scribere, dolui autem, hoc enim potui, quia te insalutato abrumpere cogebar repente. Sum itaque nunc iubente vel permittente Deo Vuittembergæ. Quod si statum meum nosse desideres, bene habeo Dei gratia, nisi quod violentum est studium, maxime Philosophiæ, quam ego ab initio libentissime mutarim Theologia, ea inquam Theologia, quę nucleum nucis & medullam tritici & medullam ossium scrutatur. Sed Deus est Deus, homo sępe, imo semper fallitur in suo iudicio. Hic est Deus noster, ipse reget nos in suauitate & in secula.

Lutherus Vuittembergam uenit, anno octauo

Hæc

Hæc dignanter suscipe quæso, quæ festinanter & extemporaliter omnino sunt exarata: et si quando ad me nuncios habere commode poteris, participem me fac literarum tuarum. Quod & ego facere studebo. Vale in principio & in fine, & me talem habeto, qualem voluisti. Iterum vale, Vuittembergæ, Anno Domini, M.D.IX. Sabbatho post Oculi.

Frater Martinus Lutherus
Augustinianus.

ANNVS CHRISTI M.D.XII.

REVERENDIS, VENERABILIBVS, RELIGIOSISQVE PATRIbus, Priori, Magistro, ac senioribus, Conuentus Erfurdiensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini Episcopi, Patribus suis in Domino colendis.

Conuentui Erfurdiensi significat diem sui Doctoratus, ac Patres inuitat, ut illi Actioni interesse uelint.

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem in Domino, Reuerendi venerabiles ac dilecti Patres, Ecce instat dies S. Lucæ, qua ex obedientia Patrum & Reuerendi Patris Vicarij, mihi celebrabitur aula cathedralis in Theologia, sicut credo ex literis reuerendi Patris nostri Prioris Vuittembergensis abunde intelligere paternitates vestras, Omitto meam mei ipsius accusationem ac insufficientiam, ne etiam ex humilitate superbiam aut laudem quærere videar, Deus scit, scit & conscientia mea, quam dignus, & quam gratus, ad hoc ostentum gloriæ & honoris sim.

Lutherus accipit insignia Doctoratus.

Proinde obsecro per misericordiam Christi, primum ante omnia, vt me communibus suffragijs Deo commendare velitis, sicut iure charitatis, meos in hac parte debitores vos esse scitis, vt sit mecum voluntas eius beneplacita & benedicta. Deinde, si qua commoditate fieri potest, adesse & interesse huic pompæ meæ (vt verum fatear) pro decore & honore Religionis & præcipue Vicariatus nostri, dignemini. Non auderem ego paternitates vestras solicitare ad tanti itineris molestiam, ac expensarum fusionem, nisi quia & Reuerendissimus pater Vicarius ita commisit, & quia indecorum, indignum quoque ac scandalosum

dalosum viſum fuit, vobis Erffurdenſibus ignorantibus ac non vocatis, me ad tantum faſtigium aſcendere.

Quod ſi venerabilis pater Lector Georgius Leifſer vobiſcũ aut velit, aut poſſit venire, gratum quocꝫ & hoc ipſum foret: Sin autem etc. fiat voluntas Domini. In his igitur paternitates veſtræ ſeſe exhibeant oro, quales confidimus & confidere dignum eſt. Notabimus & memoria & gratitudine obſequium veſtrum. Bene in Domino valete cum omnibus & ſingulis ueſtris, imo noſtris fratribus: Quibus nos noſtroſcꝫ in orationem commendamus.

Datæ Vuittembergæ die S. Mauritij, Anno M.D.XII.

F. Martinus Lutherus Auguſtinianus.

ANNVS CHRISTI M.D.XIIII.

ERVDITISSIMO ET SIBI IN Chriſto ſuſpiciendo ſacerdoti, Georgio Spalatino ſuo Chariſſimo.

Iudicium de Orttuino, Poeta colonienſi, cuius rabiem adverſus Reuchlinum accuſat.

C S. D.

IHESVS.



S.D. Hactenus ego, doctiſsime Spalatine, Orttuinum iſtum Colonienſem Poetiſtam aſinum æſtimaui: ſed uides, quia canis factus eſt, imo lupus rapax in ueſtimentis ouium, ſi non potius Crocodilus, ut tu acutius ſentis. Credo equidem, quod & ipſemet, indicante ei Iohanne noſtro Reuchlin, aſinitatem (ut ſic latine græciſem) ſuam etiam uſque palpauerit tandem, ſed meditatus eam exuere, & leoninam maieſtatem induere, citra, infelici ſaltu, remanſerit in Lupo aut Crocodilo, ſcilicet, nimium ultra uires conatus facere metamorphoſin.

Bone Deus quid dicam? Vel hic in hoc uno obſecro diſcamus omnium, qui unquam ſcripſerunt, dixerunt, ſcribunt, dicunt, ſcripturi, dicturiue ſunt, de inuidia iudicium, quam uerißimum, æquißimum, ſaniſsimum ſit, de ea inquam potiſsimum omnium facile inſaniſsima, quæ ardentiſsime uult, & tamen non poteſt nocere, cuius cum ſit libertas ſine timore, impotentia tamen eſt mira cruce & inquietudine pleniſsima.

Ridicula quidem, & ſibi ipſis pugnantia, ſtulte iſte Orttuinus congerit & cogit, ſed uerius dolenda & miſeranda, non tantum quod innocentiſsimi Cap- Iohannes Reuchlin.

nionis

nionis uerba et sensus uitiat per omnem temeritatem, uerum etiam quia sibi damnum cæcitatis & obstinatiæ in corde per omnem furorem adauget, sicut scriptura dicit, Aggrauat contra seipsum densum lutum.

Multa ex illis tecum per literas riderem, nisi magis dolere quam ridere oporteret, in tantis animarum perditionibus, quas iam & in futurum magis timeo. Det Dominus, ut cito finis fiat. Singulare tamen mihi gaudium est, ad urbem & Apostolicam sedem potius peruenisse rem, quam in partibus, latius illis æmulis datam esse licentiam iudicandi. * Cum Roma doctissimos homines inter Cardinales habeat, saltem plus gratiæ * ab inuitis Colonien: concedetur, quam isti Alphabetarij grammatistæ habent, qui nec quid autor narret, nec quid asserat, discernere possunt, imo quid loquatur nec intelligere possunt, seu rectius dico nolunt. Vale & ora pro me, & oremus pro Capnione nostro. Ex monasterio, die beatæ Virginis de niue. Anno M.D.XIIII.

* Hic quæ desunt, ex obsolæto & lacero Lutheri authographo legi non poterant.

Frater Martinus Lutherus Augustinianus.

EPISTO. LVTHERI REVERENDIS ET RELIGIOsis Patribus & Fratribus Andreæ Lohr Priori, & Senioribus conuentus Erffurdiensis ordinis Eremitarum S. Augustini, fratribus in Domino obseruandis.

Purgat se de calumnijs, ac petit ut priora sua scripta commotiora boni consulant, & petulantiam M. Nathin frænare uelint, qui eum conuitijs paßim prosciderat, ac suam obseruantiam erga Academiam Erffurdiensem ostendit.

IHESVS.

SAlutem in Domino, Reuerendi Patres, Licet multa & audierim & legerim, quæ de uobis, potissimum de me ab aliquibus ex uobis dicta sunt mala: nouissime tamen ex literis. P. Magistri Iohannis Nathin, uelut nomine omnium uestrum scribentis, ita fui mendacijs, aculeatis uerbis, ac prouocationibus amarulentis & illusorijs ipsius commotus, ut prope fuerit, ut Magistrum Paltz imitatus, super ipsum & totum Conuentum effunderem phialam, plenam iræ & indignationis.

Vnde & binas ad uos direxi literas stupidas, nescio an peruenerint, & mox mysterium earum misissem,

sissem, nisi ex conuocatione primum obstructum esset os loquentis iniqua. Vnde & multos, imo plures ex uobis iam habere cogor excusatos.

Quapropter rogo, si quid offensi sitis, uel sint aliqui uestrum in istis literis, parcite, & non nisi furentibus scriptis Magistri Nathin imputate, quod feci. Iusta enim fuit mea nimis commotio.

Sed nunc peiora audio, Quia idem ille homo passim me diuulgat periurum & infamem, nescio qua autoritate fretus. Rogo autem uos, ut qui eius os obstruere (timeo) non potestis, saltem abstinete, & alios a uerbis eius abstinere doceatis. Non enim ideo sum periurus, quia alibi promotus sum. Scit enim utraq; Vniuersitas, & uos omnes, quod in principiũ in Bibliam, in quo solitum est iurare, Erfurdiæ non feci: nec sum mihi conscius ullius iuramenti in toto cursu meo, facti. Et in principio Sententiarum quidem Erffurdiæ feci, me iurasse credo quod non affirmabit ullus. Quid autem ad autoritatem præcipientis & requirentis obedientiam ex me auditurus sit Magister Nathin, suo tempore forte uidebit.

Is locus non uidetur sine mendo esse.

Igitur optimi Patres, hæc ideo scribo, quod non me æstiment Erffurdienses Domini Theologi, contemptorem Vniuersitatis, cui ego omnia mea, ut ma-

tri accepta refero. Non contempsi eos, nec unquam contemnam, quanquam mea incorporatio & promotio fecerit me alienum loco ab eis: quam tamen utranque, si Conuentus uoluisset, uno uerbo potuisset impedire: sed quod tunc potuit & noluit, nunc ecce, etiamsi uelit, non potest. Sic enim placuit Deo interficere dissensiones & comminationes eorum, qui uindictam sperabant.

Sed hæc omnia facessant, Ego enim sum optime quietus & pacatus animo erga uos omnes, quantumuis fuerim offensus. Deus enim indigno mihi singulariter benedicit, ut nō habeam causam, nisi gaudendi & diligendi & benefaciendi, similiter ijs, qui contraria de me meruerunt, sicut & ego contraria merui, quam accipio a Domino. Igitur & uos estote contenti rogo, & ponite amaritudinem, si qua est, & non moueat uos excorporatio mea. Quia sic uoluit Dominus, cui non est resistendum. Bene ualete in Domino. Ex monasterio nostro Vuittembergensi. 16. Iunij. Anno M.D.XIIII.

Frater Martinus Lutherus

SCRIPT. ANNO XIIII. AD GEORGIVM SPA-L'ATINVM.

Iudicium de causa Iohannis Reuchlini, Taxans Colonienſium impiam cenſuram.

IHESVS.

6.

PAx tibi, Venerande Domine Magiſter Georgi, Petijt a me Frater meus Iohannes Langius nomine tuo, quid ſentiam ego de cauſa innocentis & doctiſſimi Iohannis Reuchlin, contra ſuos æmulos Colonienſes, ſit ne in periculo fidei uel hæreſis. Noſti autem optime Magiſter, quod & ego hominem in magno habeam pretio & affectu, & iudicium meum: forte ſuſpectum eſt, quia (ut dicitur) liber, & neutralis non ſum: tamen quia exigis, dico quod ſentio: Mihi prorſus nihil apparere, in omni eius ſcripto Conſilio, quod periculoſum ſit.

Admiror autem uehementer Colonienſes, ad quid tandem tam perplexum, ac plane (ut ipſis uidetur) Gordio nodo perplexiorem, in tam plano ſcyrpo quæritent, cum ipſe tam ſolenni Proteſtatione creberrime utatur, atque non articulos fidei, ſed conſilij opinionem ponat. Quę duę res, apud me ita eum abſoluunt

neutralis.

soluunt a tanta superstitione, ut si omnium Hæresium colluuiem in suo Consilio congregasset, integræ & puræ fidei eum crederem. Si. n. Protestationes tales & opiniones a periculo non sunt liberæ, timendum nobis erit, ne forte tandem pro libito isti Inquisitores incipiant Camelos glutire, & culices colare, & Orthodoxos, etiamsi omnia protestentur, pro Hæreticis pronunciare.

Iam uere de hoc quid dicam, quod Beelzebub eijcere moliuntur, & non in digito Dei? Hoc est quod sæpe plango & doleo. Quia nos Christiani incepimus foris sapere, & domi desipere. Centuplum peiores sunt blasphemiæ per omnes plateas Ierusalem, & omnia spiritualibus idolis plena. Quæ cum summo sint studio tollenda, tanquam intestini hostes, nos tamen relictis omnibus illis, quæ nos maxime urgent, ad exteras & peregrinas causas conuertimur, suadente scilicet Diabolo, vt nostra deseramus, & aliena non emendemus.

Potest ne obsecro isto zelo aliquid stultius & imprudentius cogitari? Ita ne non habent infelices Colonienses, in Ecclesia feras & turbulentissimas causas, ubi exerceant scientiam, zelum, charitatem suam, ut necesse sit eos tam remotis a nobis mentibus illas exquirere.

Sed

Sed quid facio? plenum est cor meum harum cogitationum magis quam lingua dicere possit. Hoc tandem concludo, cum per omnes Prophetas prædictum sit, Iudæos Deum & Regem suum Christum maledicturos & blasphematuros, & qui hoc non legit uel intelligit, fateor eum nondum uidisse Theologiam. Ideoq; præsumo Colonienses non posse Scripturam soluere: quia sic oportet fieri, & Scripturam impleri. Et si tentauerint Iudæos a Blasphemijs purgare, hoc facient, ut Scriptura & Deus mendax appareat. Psal. Iesa. 8.

Sed confide Deum fore ueracem etiam inuitis & frustra sudantibus mille millibus Coloniensibus. Dei enim solius hoc opus erit, ab intra operantis, non hominum a foris tantummodo ludentium, potius quam operantium. Si istæ ab eis tollantur, component peiores. Quia sic sunt in reprobum sensum, per iram Dei, traditi, ut sint secundum Ecclesiasten incorrigibiles: & omnis incorrigibilis correctione peior fit, & nunquam emendatur. Vale in Domino, & parce uerbis, ora autem pro anima mea peccatrice apud Dominum. Datum ex Monasterio nostro hodie.

Frater tuus Martinus Luther.

D ERVDI-

ERVDITISSIMO VIRO GEORgio Spalatino, Sacerdoti Chriſti, ſibi in Domino venerabili.

De dictatis ſuis in Pſalterium prælo committendis.

IHESVS. 7.

SAlutem. Heri primum rediens literas tuas datas, inueni ſero diei, optime Spalatine: rogo te, ut pro me illi Martino Mercatori reſpondeas, ut ſcilicet nõ expectet dictata mea ſuper Pſalteriũ. Quæ quamuis mire cupiam nuſquam & nunquam edi: tamen coactus præcepto nondum quidem ſatisfeci, nunc autem abſoluta profeſſione lectionis Paulinæ, huic vni me dedam operi aſſiduum.

Sed & ubi abſoluta fuerint, non ita ſunt collecta, vt me abſente poſſint excudi: deinde placuit dominis Magiſtris artiſtis, vt noſtri Calcographi cura imprimantur. Quod tamen ante quadrageſimam, ne incipi quidem poteſt. Hoc idem (ſi omnino edere oportet) & mihi placet, ut primum ſcilicet typis ignobilioribus, excudantur: quod mihi non ea uideantur, quæ dignis typis, & officijs dignorum uirorum laborentur, Nugæ enim ſunt & ſpongia digniſſimæ. Vale curſim, ex Monaſterio, altera natiuitatis, hora duodecima. Anno M.D.XVI.

Frater Martinus Lutherus Auguſtinianus.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M.D.XVI.

VENERABILI PATRI IOHANNI LANGO BACCA: Theologiæ, Eremitarum Erffurdiensium Priori, sibi in Domino amabili.

In Aristotelem & perdita sui seculi Studia inuehitur.

IHESVS.

8\.

SAlutem. Mitto has literas, mi Pater, ad eximium D. Iodocum Isennacensem, plenas quæstionum aduersus Logicam & Philosophiam & Theologiam, id est, Blasphemiarum & maledictionum contra Aristotelem, Porphirium, Sententiarios, perdita scilicet studia nostri seculi. Sic enim interpretabuntur, quibus decretum est, nõ quinquennio cum Pythagoricis, sed perpetuo & in æternum cum mortuis silentium tenere, omnia credere, semper auscultare, nec unquam saltem leui prçludio, contra Aristotelẽ & sententias uelitari, & mussitare. Quid enim non credant, qui Aristoteli crediderunt, uera esse, quæ ipse calumniosissimus calumniator aliis affingit & imponit tam absurda, vt Asinus & Lapis non possint tacere ad illa?



Tu ergo fac, vt diligenter porrigas eidem optimo uiro, tum officiose cures olfacere, quidnam iudicij de me ipse uel alij omnes, super hac re fecerint, ac mihi significare. Nihil ita ardet animus, quam Histrionem illum, qui tam uere græca larua Ecclesiam lusit, multis reuelare, ignominiamque eius cunctis ostendere, si ocium esset. Habeo in manibus Commentariolos in primū Physicorum: quibus Fabulam Aristæi denuo agere statui, in meum istum Prothea, illusorem uaferrimum ingeniorum, ita ut nisi caro fuisset Aristoteles, uere Diabolum eum fuisse non puderet asserere. Pars crucis meæ uel maxima est, quod uidere cogor, Fratrum optima ingenia bonis studijs nata, in istis cœnis uitam agere & operam perdere: Nec cessant Vniuersitates, bonos libros cremare & damnare, Rursum malos dictare, imo somniare.

Aristoteles græcus histrio.

Vellem quod & M. Vsingen, una cum Isennach abstinerent, imo continerent aliquando ab istis laboribus: plena sunt mihi omnia armaria, contra eorum editiones, quas uideo esse prorsus inutiles: uiderent & alij omnes, nisi silentij iure (ut dixi) perpetuo astricti essent. Vale & ora pro me, Ex Vuittemberg. 8. Februarij die, Anno M.D.XVI.

Frater Martinus Lutherus Augustinianus.

RELI-

RELIGIOSO ET SYNCERO
Fratri Georgio Spenlein Auguſtiniano Eremitæ,
in conuentu Memmingenſi agenti, Sibi
in Domino amplectendo.

Egregius Locus, de uera iuſticia coram Deo, & de patientia ac longanimitate erga infirmos Fratres.

IHESVS CHRISTVS.

9.

GRatia & pax tibi a Deo Patre & Domino Iheſu Chriſto. Frater chriſsime Georgi, ſcire te uolo, quod ex rebus tuis uenditis, conflaui ſemitres Florenos, puta 1. Flor: pro Bruxellenſi tunica, dimidium florenũ pro opere Maiore Iſennac: & 1. floren: pro Cuculla & alijs quibuſdam: ſuperſunt adhuc aliqua, ut Aeglogæ Baptiſtæ & collecturæ tuæ, quas oportet ut patiaris in damnum tuum ire. Huc uſque enim non potuimus ea diſtrahere. Aſsignauimus itaque ſemitres Florenos Reuer. Pat. Vicario pro te: de reliquo dimidio Floreno, quem ei debes, tu laborabis, ut uel ſatisfacias, uel remiſsionem debiti impetres. Senſi enim Reuerendiſsimum Patrem, ut tibi inclinatum, non difficilem fore ad remittendum tibi quod ſupereſt.

Cæterum quid agat anima tua ſcire cupio, utrum ne tandem ſuam pertæſa propriam iuſtitiam diſcat in Iuſticia Chriſti reſpirare atque confidere. Feruet enim noſtra ætate tentatio præſumptionis in multis, & ijs præcipue, qui iuſti & boni eſſe omnibus viribus ſtudent, ignorantes iuſticiam Dei, quæ in Chriſto eſt nobis effuſiſſime & gratis donata, quærunt in ſe ipſis tam diu operari bene, donec habeant fiduciam ſtandi coram Deo, ueluti uirtutibus & meritis ornati, quod eſt impoſſibile fieri. Fuiſti tu apud nos in hac opinione imo errore, fui & ego: ſed & nunc quoque pugno contra iſtum errorem, ſed nondum expugnaui.

Hic primum D. Lutherus de iustitia Christi nobis imputata tractare coepit.

Igitur mi dulcis Frater, diſce Chriſtum & hunc crucifixum, diſce ei cantare & de te ipſo deſperans dicere ei: tu Domine Iheſu es Iuſticia mea, ego autem ſum Peccatum tuum: tu aſſumpſiſti meum, & dediſti mihi tuum: aſſumpſiſti quod non eras, & dediſti mihi quod non eram. Caue ne aliquando ad tantam puritatem aſpires, ut peccator tibi uideri nolis, imo eſſe. Chriſtus enim non niſi in peccatoribus habitat. Ideo enim deſcendit de cœlo, ubi habitabat in iuſtis, vt etiam habitaret

habitaret in peccatoribus. Iſtam charitatem eius rumina, & uidebis dulciſſimam conſolationem eius. Si enim noſtris laboribus & afflictionibus ad conſcientiæ quietem peruenire oportet: vt quid ille mortuus eſt? Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem tui, & operum tuorum, pacem inuenies: diſces inſuper ex ipſo, ut ſicut ipſe ſuſcepit te, & peccata tua fecit ſua, & ſuam iuſticiam fecit tuam.

SI firmiter hoc credas, ſicut debes: maledictus enim qui hoc non credit: Ita & tu Fratres indiſciplinatos & adhuc errantes ſuſcipe, & patienter ſuſtineas, atque ex eorum peccatis facias tua: & ſi quid boni habes, illorum eſſe ſinas. Sicut docet Apoſtolus, ſuſcipite inuicem, Sicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Et iterum, Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Iheſu: qui cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, &c. Ita & tu, ſi tibi melior uideris, non rapinam arbitreris, ac quaſi tuum ſolius ſit, ſed exinanias te ipſum, & obliuiſcere qualis es, & eſto quaſi unus illorum, vt portes eos.

Infelix

Infelix enim istius Iusticia, quæ alios sibi com=paratos ueluti peiores, sustinere non vult, & fugam & desertum mediatur: qui patientia & oratione & exemplo præsenter eis prodesse debuit: Hoc est ta=lentum Domini abscondere, & conseruis non tradere quod debetur. Igitur si es Lilium & Rosa Christi, sci=to quoniam inter Spinas conuersatio tua erit: tantum uide ne per impatientiam & temerarium iudicium, uel occultam superbiam tu spina fias. In medio inimi=corum regnum Christi est, Vt Psalmus dicit.

Tu ergo quid fingis medium amicorum? Igitur quicquid tibi desuerit coram Domino Ihesu prostra=tus impetra. Ipse te docebit omnia: tantum inspice quid ipse pro te & omnibus fecit: ut discas & tu, quid pro aliis facere debeas. Si ipse non nisi inter bo=nos uiuere & pro amicis mori uoluisset, pro quibus quæso mortuus esset: aut cum quo vnquam vixisset, Sic age mi Frater, & ora pro me, & Dominus sit tecum. Vale in Domino. Ex Vittemberg Feria 3. post misericordia Domini, Anno M. D. X V I.

Frater tuus
Martinus Lutherus
Augustinianus.

VENERA=

VENERABILI PATRI RELIGIOSOQVE VIRO, GEORGIO Leiffer, Eremitæ Augustiniano Erffurdiano Patri suo in Domino.

Consolatur amicum tentatum, eumq; monet, ut monitorem in afflictionibus, uerbum Dei, non sensum Carnis sequatur, & indicat Afflictiones omnibus pijs communes esse, ac uerbo Dei consecrari.

IHESVS.

10.

SAlutem in Domino & paraclito eius. Optime Pater & dulcis Frater in Domino, audio fraternitatem tuam procellis tentatã agitari & uarijs fluctibus inquietari: sed benedictus Deus pater Misericordiarum & Deus totius consolationis, qui prouidit tibi optimum, quantum in Hominibus potest haberi, paraclitum & consolatorem, R. Patrem Magistrum Bartholomeum: tantum curæ tuæ fuerit, sensu & sentimento proprio abiecto illius uerbis locũ dare in corde tuo. Certus enim sum & ex mei & tui experientia doctus, imo & omnium, quos unquam uidi inquietos: scio quod sola prudentia sensus nostri causa sit & radix uniuersæ inquietudinis nostræ. Oculus enim noster nequam est ualde, & ut de me loquar, hui

sentimentum

vid. p. 15. b.

Haec Epistola incuria Chalcographi suo fine; et sequens suo principio; est ~~[illegible]~~ - Imo universa undecima transposita.



tauerim neq; ad me inuitauerim, fecit alterum, feſti= nantia itineris mei pariter & officij iniuncti ſedulitas: alterum uero, tui apud me grandis opinio & uera re= uerentia. Recentior enim eſt amicicia noſtri mutua, ꝙ ut humiliare auderem ad meam paruitatē viſendā, tuam in oculis meis & in re ipſa ueram excellentiam.

Sed nunc eo, quo iubeor & debeo: nolui tamen te inſalutato, etſi ſubmuſſitaret meæ ignorantiæ, & (ut ita dixerim) illoquentiæ uerecūdia: ſed uincit affectus in te meus, & ſalutat te doctiſſimum, te delicatiſſimæ eruditionis uirum, ruſticus iſte Coridon Martinus, inquam, Barbarus, & ſemper inter anſeres ſtrepere ſolitus: Sed ſcio, ſed certus ſum, ſed uel preſumo, quod Mutianus cor præferat linguæ & calamo, cor mihi ideo ſatis eruditum, quia ſatis in te amicum eſt. Vale, vale optime pater in Domino Iheſu, & memor eſto mei. Ex noſtro Monaſterio Gothenſi. 29. Marij. Anno M. D. XVI.

Frater Martinus Lutherus
- Decanus Vicarius.

Vnum te ſcire uolo, Pater Baccalaurius Iohannes Lang, quem noſti & græcum et latinum, ſed ꝙ maius eſt, ſynceri cordis hominem, inſtitutus eſt recenter á me Prior conuentus Erffurdienſis. Tu homini apud homines bene fauebis, & apud Deum bene precabe= ris. Vale, extemporaliter ut uides.

SER=

SERVO DEI ET MINISTRO CHRISTI, HOC EST, INtegerrimo Sacerdoti, Magiſtro Georgio Spalatino uiro eruditiſsimo, & amico uero.

Exponit ſuam ſententiam, de Electoris Friderici & Spalatini conſilio, qui conabantur Staupitium fieri Epiſcopum: & deplorat negligentiam Epiſcoporum in ſua uocatione.

IHESVS.

13.

SAlutem. Vt mihi precatus es, optime Spalatine: ita reuerſus ſum, gratia Dei, incolumis ſaltem corpore, Deus ſcit an & mente. Gratias itaq; ago charitati tuæ. Redditæ etiam ſunt mihi ſtatim literæ tuæ, quod neſcirent Fratres, vbi eſſem, vt ad me eas mitterent. Scribis etiam principem noſtrum illuſtriſſimum neſcio quid egregij cupere in præſentiarum fieri a Reuerendiſſimo patre Vicario noſtro, ideo & te quoque monitore ad id perficiendum utitur: & facis tu quidem, ꝙ ſolet homo ſine fictione amicus. Verum ego cupio, ut ſegnior fiat et languidior tua perſuaſio apud Reuerendum Patrem, quam ſit arida ſtipula: & contraria tibi meis literis ſuadebo, uel ſaltem ita ſuadebo, ut perſuaſus hæreat, vtro ſe uertat.

Miraris

rei, in illa consumptum sit, adiecto quæ pro gradu tuo, uel alterius consumpta fuerint, non ibidem assignes, sed tantum quæ pro communibus hospitibus.

Cuius Registri modum, si non melius inueneris, talem accipe, ut certis interuallis ita scribas: In die sancti huius, uel feria tali, post tale festum, tantum est consumptum, scilicet, vini tantum, panis tantum, &c. pro tali N. uel N. hospitibus. Non sit tibi hoc laboriosum, neque superfluum, æstima quæso, alioquin præciperem tibi. nescis forte cogitatum meum. Tali enim modo (nisi me omnis sensus fallit) uidebis an Conuentus, sit plus Monasterium, quam taberna uel hospitale. Quin isto modo, non solum scire poteris, quantum sit cōsumptum, sed & quibus & quot diebus, hospitalis fueris, deniq; quibus hospitibus fuerint exhibita opera reuerentiæ: sed & murmuri fratrum obijci potest & ratio reddi, uel accusari, & multa alia, quæ nunc non dico.

Velim etiam vt pro Terminarijs uenientibus, exeuntibus, & hospites suos adducentibus singulariter, & seorsim faceres signaturas, ut ita possit, inquietis & insaturatis obijci, quantum consumpserint prodige, qui superbiunt de multitudine utilitatis & operæ suæ. Vale, & esto uir Robustus, & Dominus erit tecum, memor quod positus es in signum, cui contradicetur,

dicetur, alijs odor bonus in uitam, alijs uero odor in mortem, Et ora pro me, Ex Saltza. 8. die Corporis Christi. Anno M. D. XVI.

Frater Martinus
Lutherus.

Non inueni in districtu isto conuentus similiter dispositos, per gratiam Dei, ut Gotten: & Saltzen: hunc una hora audiuimus, illum forte duabus. Ideo cæleriter sumus expediti: et cras Deo propitio uersus Northusen ibimus. Quia Dominus, ut spero, sine nobis, in istis locis operatur, & regnat in spiritualibus & temporalibus, licet inuito Diabolo. Inuasit me discrasia quædam, ad febres meme perductura, nisi Dominus prohibuerit. Tu ora pro me, vt fiat pulcherrima uoluntas eius in me semper benedicta, Amen. discrasia

ERVDITISSIMO ET HVMANISSIMO CONRADO MVTIANO Canonico Gothensi, Doctori Iurium, h. e. optimo Viro.

Prædicat suam obseruantiam & reuerentiam erga Mutianum.

IHESVS.

12

SAlutem in Domino. Quod humanitatem tuam Eruditissime & humanissime Mutiane, non uisi- 

 tauerim vid p. 13. b.

in quantis me miſerijs vexauit, & vſque modo vexat extreme.

Crux Chriſti diuiſa eſt per totum mundum: vnicuiq; ſua portio obuenit ſemper. Tu ergo ne abijcias eam: ſed potius ut Sacroſanctas reliquias ſuſcipias, non in aureum uel argenteum ferculum: ſed in aureum, id eſt, manſueta charitate imbutum cor. Si enim lignum crucis contactu carnis & ſanguinis Chriſti ita conſecratum eſt, vt reliquiæ nobiliſſime habeantur: quanto magis iniuriæ, perſequutiones, paſſiones, & odia hominum, ſiue iuſtorum ſiue iniuſtorum ſanctiſſimæ ſunt reliquiæ: quæ non tactu carnis eius, ſed amaroſiſsimi cordis ſui & deificæ voluntatis ſuæ charitate amplexæ, oſculatæ & benedictæ, nimiumque conſecratę ſunt. Quia maledictio conuerſa eſt in benedictionem, & iniuria in æquitatem, & Paſſio in gloriam, & crux in gaudium. Vale dulcis Pater & Frater, & ora pro me. Ex Vuitemberg. 15. die Aprilis. Anno M.D.XVI.

F. Martinus Lutherus
Auguſti:

VENE-

SCRIPT. ANNO XVI.

VENERABILI ET RELIGIOSO PATRI, IOANNI LANGO BACcalaurio Theologico, Priori Eremitarum Erffurdensium August: sibi in Domino semper.

Docet Langium, quomodo Oeconomiam sui Cænobij frugaliter instituat.

IHESVS.

11.

GRatia & pax tibi multiplicetur. Incidit mihi (optime Pater, & fidelis mihi in opere Domini cooperator) nunc absenti, quod præsens, neq; cogitarem, neque si cogitassem tanti fecissem aut intellexissem. Id autem est, quod domus hospitum (quam ego semper in conuentibus, ut rem periculosissimam æstimaui, si in abusum ueniat, licet sit religiosissimũ Dei obsequium, si in Domino fiat) non posit melius dignosci & moderari, nisi diligenti studio obseruetur, quid & quantum in ea expendatur. Idcirco in fiducia tui, qua confido te plura facturum, quam desiderem, non præcipio, sed moneo in Domino, vt Registrum singulare subordines: in quo dietim consignes quantum cereuisiæ, quantum vini, quantum panis, quantum carnium, quantum denique cuiuscunq;

Registrum.

vid. pag 14. b.

Miraris hæc? Non certe, ꝙ tua conſilia contemnã, quę ex optimo corde procedere uolens nõ poſſum non credere, imo quia uero te raptum amore uideo, ideo & uero te iudicio captum intelligo. Neſcit enim amor uerus iudicium uerũ, ut ait Chryſoſtomus. Sed hoc dico, ꝙ beneplacitum Principis tete perſuadere permouit. Nolo enim ego ullo modo Reuerendum patrem eam rem ſubire, quam tua laborat perſuaſio, quia ſic Principi tuo placet. Multa placent Principi tuo, & magna ſpecie in oculis eius fulgent, quæ Deo diſplicent & ſordent. Non quod negem hominem in ſecularibus ſtudijs eſſe omnium prudentiſsimum: ſed quod in ijs, quæ ad Deum pertinent, & animarum ſalutem, pene ſepties cæcum agnoſcam, pariter cum tuo Pfeffingero.

Nec hoc dico in angulo, ut detractor: nec uolo quod tu abſcondas ullo pacto: paratus ſum, data vbi vbi oportunitate vtriꝗ in faciem dicere. Si autem certum eſſet ex Deo eſſe, quod præ manibus eſt: opto perſuaſionem tuam ignem, & illum ſtipulam fieri. Ac ne putes adeo ſecretum eſſe, quod princeps tecum molitur, audiui non breui, antequam literas tuas uiderem, Reuerendum patrem deſiderari in Epiſcopum (ſi recte memini) zu Kimſehe/id autem eſt, ſi non falſo ſubolfeci, quod literæ tuæ & Pfeffingeri, imo

imo & ſororis eius Abbatiſſæ, quas in Eisleben uidi, agunt.

Sed, optime Spalatine, non ſunt hæc tempora eius felicitatis, ut beatum, imo non miſerrimum ſit, præſulari, id eſt, pergræcari, ſodomitari, romanari: quod ipſe ſatis intelligis, ſi opera & ſtudia Epiſcoporum antiquorum ſtudijs & operibus noſtræ ætatis Pontificum contuleris. Inter quos nunc ſunt optimi: qui bella forenſia totis machinarum omnium uiribus gerunt, & rem familiarem, id eſt, auaritiæ infernum inſaturabilem ædificant. Et quanquam homo iſte ſit alieniſſimus a uitijs iſtis: tu ne fide iubebis, data occaſione, imo pellente (vt nunc paſſim fit & dicitur) neceſſitate, hominem non inuolutum iri turbinibus & tempeſtatibus iſtis fragoſiſſimis curiarũ Epiſcopaliũ?

Sed de ijs ſatis, ad tuam petitionem reſpondeo: Si eſt uere hæc res, quæ moram non patitur, mihi ſtatim ſignifica quæſo, quod Reuerendus Pater modo in Antuuerpia agit, ante autumnum uix reuerſurus: mittam autem eius gratia libens proprium nuntium vſque Coloniam. Hunc enim locum nobis deputauit pro literis ad ſe mittendis. Vale in Domino, et ora pro me. Ex Monaſterio Vuittembergenſi. Octaua Iunij. Anno M.D. XVI.

Martinus Lutherus.

VENERABILI PATRI IOHANNI LANGO, THEOLOGIAE Bacca: Priori Eremitarum Augustiniens: Erffurdiens: sibi in Domino.

Rogat ut Sangerhausensi & Eislebensi conuentui quosdam fratres submittat: & quædam noua nunciat.

IHESVS.

14.

SAlutem in Domino. Dedi ad te ex Sangerhausen literas, opt: Pater, ut si quem fratrem haberes indigesti sensus, illuc mitteres in poenam illius: do nunc alias ad te ex Vuittemberg: & non tam iubeo quam obsecro, ut uel Georgium Schleusingensem, uel Vuilhelmum Tischer, Eislebensibus, si non tradas, tamen interim concedas, donec Reuerendus Pater redierit. Sic enim necessitas prorsus modo cogit: dicasq; eidem Fratri & omnibus, quod non uiolento animo id fiat a me: sed honorem vicariatus, in primis reuerendi P. Vicarij, nos omnes, præsertim ego, debitores sumus tueri, ut & vbi possumus.

Miserunt ad me ijdem Patres unum fratrem, qui prope fuit ut insignem inureret maculam nouellę huic plantationi. Frater Caspar ibidem senior inunctus decumbit: Lector Antonius etiam decũbit: P. Baccalauri: in Leipsig est: Duo alij sunt in terminis pro collectu

Lipsiæ

ra structu-

ra structuræ, ut nosti, & iste iam apud me hic est. Quinque sacerdotes in summa sunt in Conuentus opere: tu ipse æstima, an non sit necessitati succurrendum.

Ne autem suspicio sit tibi uel alijs: non regnat ibi pestis. Vale, & ualere Patres, Magistros, & Lectorem, aliosq; iube non meo nomine, sed in Dei nomine & virtute. Ex Vuittemberg, die Commemorationis S. Pauli.

Frater Martinus Lutherus
Vicarius particularis.

Venerunt nobis adhuc duo Carmelitæ Fratres: Frater Iohannes Königsberg optime sanatus est: Prior Hertzbergensis grauiter laborauit tussi sputoque sanguinis: timeo ne conualeat. Ora pro eo, & commenda eum tuis, nondum potuit respondere, pro Baccalauriatu. Tempestas & fulmina circa Dresden nostro Conuentui uineas ita contriuit pro maiori parte, ut putetur 200. uel 300. florenis damnum uix superari posse, & alias multas contriuit.

Hæc pro nouitatibus.

REVERENDO ET RELIGIOSO PATRI MICHAELI TORNATORI Priori Eremitarum Augustiniensium nouæ Ciuitatis, Sibi in Domino semper.

Exponit L. quæ sit uera pax à Christianis expetenda iuxta dictum Pauli Philip: 4.

IHESVS.

15.

SAlutem & pacem, sed non manifestam secundum hominum sensum: sed sub cruce absconditam, & omnem sensum exuperantem in Domino. Literis tuis & Domini Teutonici nostrum ordinem postulantis, breuiter respondeo optime ac venerabilis Pater: Primum quod non est nostrum, aliquem impedire a proposito salutari, sed magis promouere & excitare: si cum Domino & in Domino fieri curetur. Fiet autem in Domino, si seruetur, non cuiuslibet opinio & sancta intentio, sed præscripta Lex, & constitutio maiorum, decretaq; patrum: sine quibus frustra sibi sperat profectum & salutem, quantumlibet bona intentio.

Igitur neq; consentio, neq; consentire possum, ad receptionem illius Domini: nisi literas recte sigillatas a suo maiore attulerit, & alia facere uoluerit, quæ

Cap. 16.

Cap.16.noſtrarum conſtitionum fieri debere ſcribuntur a talibus: ne forte & ſibi & nobis poſtea pœnitentiam faciat. Nullus enim vnius teſtimonio tantum abſtrahi debet a ſuo prælato. Res aliena eſt, donec legitime conſentiat ille, qui facultatẽ illius habet. Quod ſi difficilis fuerit eiuſmodi literas afferre: iam ecce probabitur, an ſpiritus ex Deo ſit. Quia quod ex Deo eſt, ſtabile eſt, & omnia facit & patitur, ut perſeueret.

Deinde de Henningo Fratre, quod ſcribis ei dediſſe licentiam feria tertia poſt Viti, nondum uidi eum, neq; uenit ad me. Fratrem Petrum Hilperhauſen, ordinaui ad Sangerhauſen, loco Andreæ Ilmen: quem propter infirmitatem paſſus ſum ad Erffurdiã recipi: habent Patres in Sangerhauſen literas meas ad ipſum: quia præſumpſi quod proficiſceretur in Mansfeld, ſicut ex me petierat.

Pacem tu quidem quæris & affectas, ſed præpoſtere. Quia quomodo Mundus dat, tu quæris: non quomodo Chriſtus. An ignoras optime Pater, quod Deus ideo eſt mirabilis in populo ſuo, quod pacem ſuam poſuit in medium nullius pacis, id eſt, omnium tentationum? ſicut dicit: Dominare in medio inimicorum tuorum. Non ergo ille pacem habet, quem nemo perturbat, imo hæc eſt pax Mundi: ſed ille, quem omnes & omnia perturbant, & hæc o-

„ mnia cum gaudio quietus ſuſtinet. Tu dicis cum Iſ-
„ rael, pax pax, & non eſt pax: dic potius cum Chriſto,
„ Crux, crux & non eſt crux. Tam cito enim crux ceſſat
„ eſſe crux, quam cito lætus dixeris, Crux benedicta,
inter ligna nullum tale.

Vide ergo quam pie te Dominus ad ueram pa-
cem prouocet: qui tantis te crucibus circumuallat. Iſta
“ enim uocatur pax Dei, exuperans omnem ſenſum,
“ hoc eſt, quod non ſentitur, nec percipitur, nec poteſt
“ cogitari: omnis cogitatio non poteſt eam uidere &
intelligere: niſi, qui crucem libenter ſuſtinet, in omni-
bus quæ ſentit, cogitat, intelligit vexatus, Ille poſtea
experitur hanc pacem. Nam omnem ſenſum, omne
opus, omnem cogitationem noſtram infra hanc pa-
cem ſuam conſtituit, & cruci affixit (hoc eſt, varijs &
inquietis perturbationibus) Ideo eſt pax ſupra ſen-
ſum & alia, quam nos fingimus & optamus, ſcilicet,
multo melior incomparabiliter. Hanc quære & inue-
nies: quæres autem non melius, quam perturbationes
ſuſcipiendo cum gaudio, uelut ſanctas reliquias: &
non pacem quærendo & eligendo ſecundum tuam
opinionem & ſenſum. Vale & ora pro me, optime
Pater, & Dominus dirigat te. Ex Vuittemberga. An-
no M. D. X V I. die decem millium Martyrum.

F. Martinus Lutherus Vicarius diſtrictus.

VENE-

VENERABILI ET SYNCERAE VIRO RELIGIONIS, IOHANni Lango, Eremitarum Augstinian: Erffurdiensis Monasterij Priori. Theolo: Bacca: Suo in Domino Fratri.

Petit ut orationem suam amicis communicet: ac ad moderationem & patientiam in tentatione adhortatur.

IHESVS.

16.

SAlutem. Hanc orationem meam, quam in Gotensi nostro Capitulo habui, ad te mitto. V. P. & tuæ fidei ita commendo, vt per eam meæ fidei satisfieri cupiam, hoc est, ut quantocius ipsam uel ad Dominū Iohannem Braun Sacerdotem B. Virginis Isenacensis, vel ad D. Vigandum Guldennappensem plebanū in Vualthershausen ferri procures. Promissi enim reus sum eidem: promitto tamen & eius legendæ copiam facio P. Georgio Leyffer Lectori, aut si quibus ipse uoluerit. Non quod lectione eam dignā æstimem: sed quod morem tantum gerere & obsequi debeo, uotis alienis plusquam meis.

Cæterum in P. Magistrum Iohannem Vogt, acriter es commotus: ego nihil scio, neq; mysteria ulla intelligo: audiui autem Priorem Magdeburgensem, præsens,

præſens præſentem, etiam tunc grauiter ferentem, ac omnino talem, qualis in Eisleben fuit, id eſt, prorſus deſperantem, de ſuſtinendo ſtudio apud ſe, nec non & aliquot ſeniores ſecum ſentiẽtes: deinde quantum ex P. Magiſtro cepi, & credidi, ſine opere & opera actiua, ſed tantum paſſiua, uoluntate autem prouintialium Patrum, ibidem relictum ſtudium. Ac ſic diſceſſi credulus.

Tuum autem nunc erit, non tantum hanc percuſſionem in dexteram maxillam ſuſcipere: ſed etiam præbere & alteram. Non erit hæc maxima, ſed nec nouiſſima tui tentatio: ludit modo tecum ſapientia Dei ac parat ad ſerium bellum, ſi uixeris. Fratres ſtudentes, nihil eſt, ut ad me mittas, tum quod abundamus nimio, tum quod peſtis, circumfremit, & omni die irruere expectatur: ne, ſi uenerint, mox recedere cogantur, quia certo certius, peſtis impetum omnes præſagiunt. Suſtine, ſuffer, crede, ſpera omnia, ſicut facit charitas. Neſcio an Reuerendũ Patrem in Monaco reperias: dedit ad me literas ex valle, cum ex Magdeburga rediiſſem, ſatis triſtes & breues: de quibus putabam te a me certiorem eſſe factũ. Sed et Princeps eum, quin & comites Mansfeldenſes uocauerunt literis, & præſumptus fuit aduentus eius & adhuc præſumitur: ſed forte ad Alſatiam proficiſcitur, ſcribit

Magiſter

Magiſter Iohannes Vogt, Magiſtrũ Iohannem Mech liniam ad ſe ſcripſiſſe, de reformatione conuentus Dordracenſis R. Patrem eſſe appetitum, a duce Carolo & Senatu Ciuitatis eiusdem: & ego nollem id fieri. Vale ex Vuittemberg, die Felicis & Adaucti. Saluta omnes & me illis commenda.

F. Martinus Lutherus.

VENERABILIB: ET RELIGIOſis Patribus, F. Michaeli Dreſſel, Priori Conuentus Nouæ Ciuitatis. S. Auguſt: Eremitarum, Simul cum Senioribus & Capitularibus eiuſdem conuentus, ſibi in Domino pie amplectendis.

Hortatur ad concordiam: & deponit Priorem ab officio: ac alium iubet eligi in timore & inuocatione Domini.

IHESVS.

17.

Salutem in Domino. Audio cum dolore, ſicut & dignus ſum audire, optimi Patres & Fratres, quod ſine pace & vnitate viuitis, & in una domo exiſtentes, non eſtis unius moris, necꝫ eſt ſecundum Regulam, uobis cor vnum, & anima una in Domino: quod uiuendi miſerabile & inutile genus, uenit uel ex infirmitate humilitatis ueſtræ: quia ubi humilitas, ibi pax:

uel ex negligentia mea, aut certe ex uestra & mea culpa. Quia non ploramus coram Domino, qui fecit nos: neque oramus, vt ipse dirigat uiam nostrã in conspectu suo, et deducat in Iusticia sua. Errat, errat, errat, qui suo consilio seipsum, nedum alios præsumit dirigere: sed humili oratione et deuoto affectu hoc a Deo

Psal. 119. ,, impetrari oportet, sicut Psalmus facit: Gressus meos

Tob. 4. ,, dirige secundum eloquium tuum. Sic docuit Tobias

,, filium suum: omni tempore benedic Dominum, &

,, ora eum, ut uias tuas dirigat. Hoc ergo, quia non fecistis uel non recte fecistis, non mirum, quod non estis directi, sed impediti. Quid igitur? periculum in uita sine pace, quia est sine Christo, ac potius mors quam uita.

Idcirco cogor facere absens, quod nolui præsens: & mira libentia uellem nunc esse præsens: sed non possum. Idcirco per obedientiam salutarem, accipite hanc ordinationẽ meam, si forte Dominus pacis, nobiscum operari dignetur. Tota enim uel potior causa turbationis uestræ, est quod cum Capite & Priore discordatis: quæ est nocentior, quam si frater cum fratre discordet. Quare authoritate officij, tibi Fratri Michaeli Dressel præcipio, ut officium & sigillum resignes: qua etiam authoritate te ab officio Prioratus absoluo, in nomine Patris & Filij & Spiritus

sancti,

ſancti, Amen. Et per literas has in abſentem abſens, uolo feciſſe, quod præſens in præſentem.

Nec uolo quod queruleris, quia te non auditum, iudicauerim, nec excuſationes tuas perceperim. Credo ſane quam optime, quod omnia, quæ feciſti, optima intentione feciſti: nec ullo modo poſſum cogitare, quod ſtudioſe & malicioſe aliquid feceris, unde turbatio oriretur: tantum feciſti, quantum gratiæ habuiſti. De quo ego tibi gratias ago, & omnes fratres tui, ſi non egerint tibi gratias, mihi uehementer diſplicent.

Sed hoc eſt, quod te conſolari debet, quia non ſatis eſt, eſſe bonum & pium hominem in ſe ipſo: ſed etiam oportet, ut pax ſit & concordia aliorum cum illo. Sæpius diſplicent, & merito damnantur optima opera, ut pax conſeruetur: quanto magis illa non ſunt paci præferenda, quæ quiſque bona intentione & toto ſtudio perfecit: & tamen ad pacem per eadem non profecit.

Igitur abſoluto Priore, rogo uos per miſericordiam Chriſti, ſtatim vnanimiter cogitate, & elegite tres per ordinem ſecundum ſtatuta: ita ſane, ut non (ſicut ſæpius expertus ſum inutiles electiones, & uocum fruſtrationes) aliquem eligatis eorum, nec ullus ueſtrum uocem ſuam det alicui, qui non poteſt habe-

ri, ut puta, qui iam in officio est, uel alias non haberi potest. Sic enim eligendo, perditur tempus & labor, & pereunt frustra uoces. Quare ante electionẽ, mihi placeret, vt palam enumerarentur omnes, qui non possent uobis dari, ut sciret quisque, cui non daret uocem. Nec est peccatum, si aliquos enumeretis, qui possunt uobis dari, propter eos, qui ignorant forte eligendos.

Quemcunque autem elegeritis, ei optimi fratres, hoc omni studio facite, ut non uestris uiribus, sed assiduis orationibus petatis, sicut dixi, ut Dominus uos uelit dirigere. Dicit enim scriptura in Ieremia: Scio

Ierem. 10. Domine, quia non est hominis uia eius, nec gressus uiri, ut ambulet in eis. Contestor enim uos ecce per præsentes, & prædico, nisi per preces a Deo obtinueritis regimen uestri: non habebitis pacem & prosperum successum, etiam si sanctus Iohannes Baptista prior uester esset: Totũ est in manu Domini, qui hoc non credit, tam diu sustinebit vexationem & inquietudinem, donec experiatur.

De Institutione iuuenum obsecro sitis diligentes & fideles, tanquam in eo, quod primum & maximum est totius conuentus, sicut præsens uobis dixi & commendaui. Valete & orate pro me & nobis omnibus. In Conuentu Magdeburgensi defunctus est, Frater Iohannes

Iohannes de Busscha, Subdiaconus in Dresden: Pater senior, Ioannes Kuntzel. Pestis vndiq; circa nos fremit, et quotidie expectamus id, quod Magdeburgen: patiuntur. Ideo sitis memores nostri & Magdeburgensium, ut quos uocare uult, in misericordia uocet. Valete in Domino. Ex Vuittemberg, feria 5. post Mauritij. Anno M. D. XVI.

Frater Martinus Lutherus
Vicarius medius Augustinensium.

VENERABILI S. THEOLOGIÆ Bacca: P. Iohanni Lango, Eremitarum Augustinensium Erffurdiens: Priori, Sibi in Domino suscipiendo.

Conqueritur, quod multitudine Fratrum suum cœnobium alioqui pauperrimum obruatur: & rationem reddit suarum Propositionum. Explicans dictum Ioannis de charitate. Respondet etiam quæstioni, de uestitu Fratrum.

IHESVS.

18.

SAlutem. Quasi uero, nos adeo simus abundantes, vt quos tu ditior non sustentare potes, ego pauper possim. Ero enim ego per hyemem istam, ni pestis intercedat, tricesimus sextus, aut etiam quadragesimus, si uenerint omnes, qui sunt signati. Videris mihi multum imbibere diffidentiæ & proprietatis Erffur-

dianæ, quasi Deus possit facere, vt non pascat etiam ingratos, & non seruet etiam seruari nolentes.

Deinde ita proprium tibi istud Monasterium facis, vt alios nomines alienigenas, & suadeas mihi, ut tecum iuuem matrem meam. Quæ est mater mea & tua? Vide itaque quam sis iniqui zeli, vt detrimento tuo, huic seruire uelis, illi uero nec lucro tuo. Caue itaque, ut iuxta Taulerum tuum perseueres, segregatus utrinque, et communis homo ad omnia, sicut decet, communis Dei communis Ecclesiæ filium. Fratrem Iohannem Metzeler dabo tibi, ubi intellexero carere posse illo Islebienses.

De Positione mea, imo Bartholomei Feldkirchen, nihil est quod mirentur tui Gabrielistæ, cum & mei uehementer hucusque mirentur. Et quidem Positio ipsa ex me non est facta, sed M. Bartholomeus eam sic conflauit, scilicet motus oblatratorum lectionum mearum garritu. Itaque fecit, ut etiam (preter ordinem, me Præsidente) publice hæc discuterentur, ad obstruendum ora garrientium, uel ad audiendum iudicium aliorum. Ego sane grauius offendi omnes: quod negaui librum de vera & falsa pœnitentia, esse B. Augustini. Est enim insulsissimus & ineptissimus, & nihil ab Augustini eruditione & sensu remotius. Quod enim Gratianus & Magister sententiarum plurima

ex illo

ex illo ceperint, & conſcientiarum non medicinam, ſed Carnificinam conflauerint, ſciebam. At illos implacabiliter offendit, præcipue Doctorem Carlſtadium, quod hęc ſciens negare audeam. Dicito ergo iſtis mirabundis aut potius mirabilibus Theologis, mecum non eſſe diſputandum, an Gabriel hæc, An Raphael iſta, aut Michael iſta dicat. Scio quid Gabriel dicat, ſcilicet omnia bene, præterquam ubi de Gratia, charitate, ſpe, fide, virtutibus dicit: ubi cū ſuo Scoto, quantū pelagiſſet, nō eſt, ut per literas nūc proferam.

De tertia Concluſione, quam non capis, ut dicis, ea eſt Magiſtri Bartholomei intelligentia: quod charitas, quæ expectat (ſecundum iſtos Theologiſtas) extremam neceſſitatem, eſt iners imo inertiſſima, id eſt, nulla prorſus. Cum enim charitas, ſui oblita, quærat, quæ ſunt aliorum: quomodo expectat extremam neceſſitatem, cum hominis, nec beluarum nec ſaxorum natura expectatur. Scilicet ſubtiliſſimi Theologi, illud Iohannis, ſi quis uiderit Fratrem ſuum neceſſitatem habere, intelligunt de extrema neceſſitate, vt tum primum pecces mortaliter, ſi morituro ex fame, nō dederis cibum: cum ille hoc uoluerit, ſi quis uiderit fratrem ſuū, aliquo opus habere, aut alicuius indigere, quo modo Dominus opus habuit aſino et pullo, & quomodo in Actibus diſtribuebatur vnicuiq; ſicut opus erat.

Contra

Contra istam ergo infidelem intelligentiam, & totam charitatem extinguentem, dixit inertissimam charitatem. Ex nullo Doctore eam accepimus, nisi illo qui dicit: Quæcunque uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Sed nec illis dubium esse puto, quod si sitirent, etiam non ad extremum anhelitum, uelint tamen ab alijs potari, & lædi charitatem, si non potentur: se tamen non ledere charitatem, nisi præ siti alioquin morituro, porrexerint. Quando ergo erit charitatis officium? Quis dictabit, quando assit ea necessitas? Hæc sunt portenta, quæ mouebant M. Bartho: quod ex me talia audierat. Magister Amsdorff confitetur se misisse istam positionem ad uos præcisis titulis: & mirabatur ipse quoque: sed nunc non ita.

Non erat opus quæstione, an Fratres nouitij in albo habitu foras ministrarent: si enim intus ministrant, cur non & foris? An propter populum assumserunt & ferunt habitum? Igitur quoquo licitum est eis ire & uniuersis fratribus, secundum statuta, vtique cum vestibus suis licitum est. Quanquam in Italia (pro qua prouincia hoc statutū potissimū est latum, aut saltem creditum, omnes alias similiter agere) semper etiam intus in cucullo nigro incedunt: vt sic ubique differentia sit inter Nouitios & Professos. Sic sapio, saluo tamen superioris iudicio.

Si re-

Si reſponderit tibi R. Pater Vicarius, quanto=ciius & me certiorem effice; tenebo hic iſtos fratres ad aliquot dies, ut uideam quid facere poſſim, aut quo proficiat peſtis: quæ paulatim aduenit & incipit. In=uitus eos remitto, cum ſint idonei ad ſtudium: & ta=men urgemur penuria: ſed Dominus uiuit & reg=nat.

Erga Priorem Nurmbergenſem, ſuauem animum indue: quia ſic expedit: cum ille aſperũ induerit. Non enim aſper aſperum, id eſt, non diabolus diabolum: ſed ſuauis aſperum (i d eſt, digitus Dei) eijcit demo=nia.

Ecce hac hora, cum hæc ſcribo, ueniunt mihi duo fratres ex Colonia ſtudentes. Neſcio quid cogitet R. Pater, ut me non interrogato, ſic fratribus obruit: nec cellas, nec alia iam ſufficiunt præſtare uniuerſæ noſtræ ſubſtantiæ. Vale & orans commenda nos tuis, ut ſi Dominus noſtrum aliquos uocare uoluerit, præparatos uocare dignetur. Ex Vuittemberg.

F. Martinus Luther.
Vicarius.

D. Doctori Henningo uolo ſcribere: ſed excluſus ſum anguſtia temporis. Vehementer doleo, ꝙ ma=gis potentia quam humilitate & mititate ſuis aduer=

sarijs congreditur. Sequitur enim sensum Roboam, qui neglecto consilio sano, ut modeste ageret, quid fecerit, secutus suorum similium consilium. Valde uelim hanc Parabolam a Doctore Henningo, ponderari. Non enim ei tantum timeo: sed timeo, ne frustra ad Erffurdiam uenerit, & gaudium uertatur in luctum.

VENERABILI ET RELIGIOnis syncerae homini, Iohanni Lango, S. Theologiae Bacca: Eremitarum Erffurden: Priori, sibi in Domino suspiciendo.

Iudicium Lutheri de libello contra Theologastros, & de ferenda infirmitate seu lapsu Fratrum.

IHESVS.

19.

SAlutem. Has literas, mi pater, ad Priorem Eschwegensem quaqua poteris industria perferri quaeso cura: ac pecuniam, si quam ad te miserit, nullus item facilius quam tu, ad nos peruenire faciet. Scis enim genios laresq; & uniuersos penates nostros quam sint morae impatientissimi, quia pauperrimi. Eschwegensis siquidem Frater eget ipse, & debet nobis, & ita eget & debet, vt cito adiuuari eum oporteat.

Ineptias illas, quas ad me misisti, de supplicationibus

nibus ad S.Pontificem contra Theologastros, nimis apparet, a non modesto ingenio effictas, prorsusque eandem olentes testam, quam epistolæ obscurorum uirorum. Vulgatæ autem sunt per me pene omnibus oportune, cum essemus omnes simul, in licentiatura (ut dicitur) quadam, duorum medicorum inuitati: & omnibus idem iudicium in illas fuit.

Faueo D. Doctoris Henningi honoribus candide, sed non minus saluti eius timeo trepide, ne forte tollatur in altum, ut lapsu grauiore ruat: det ei Dominus modeste in cunctis sapere, seque ipsum liquide agnoscere. D. Henning.

Patrem R. Vicarium, in Monaco recte quæsisses: inde enim literas ad me dedit septembris. 10 Nescio an ad nos sit uenturus: speratur tamen. Mihi sane scribit, se cogi manere, necessitate scilicet paupertatis.

Fratris tui imo nostri Apostatæ curam habe apud Dominum. Neque enim deseras, pietate auersus, qui te deseruit impietate subuersus: non te cruciet, quod scandalum patimini: alter alterius onera portare vocati, baptisati, ordinati sumus: & inhonesta nostra abundantiore honore circumdamus. **Einer mus des andern schanddeckel sein**: quoniã talis Christus nobis fuit, est, erit inæternum, sicut scriptum est, Tu es sacerdos inæternum.

Caue ergo ne ſis ita mundus, ut ab immundis tangi nolis: aut iam immundiciam ferre, tegere, tergere recuſes. In honorem poſitus es, ſed qui ſit nihil aliud, niſi ignomiam aliorum portare. Sic enim in cruce & ignominia oportet nos gloriari.

Vale & ora pro me. Chriſtophorũ & Staurophorum, ipſum, inquam, patrem Bartholomeum Vſingenſem doceto, vt nomini ſuo & operi ſatis ſit: & portet Chriſtum in corpore ſuo, Quia ſic bonum eſt in conſpectu Domini. Ex Cameraco die 5. Octobris. Anno M. D. X V I. Omnes ſaluta ex me.

F. Martinus Lutherus.

SERVO CHRISTI SACERdotique Domini, Georgio Spalatino, Magiſtro eruditiſſimo, ſuo amico ſyncero ac integro fratri.

Contra Theologiam Eraſmi, in Paulo iuſticiam operum tantum de Ceremonijs intelligentis, ac de uera iuſticia coram Deo diſſerit, qua poſita demum fiant iuſta opera. Deinde cenſuram agit de Hieronymo & Auguſtino, & hunc illi præfert.

IHESVS.

20.

SAlutem. Quæ me in Eraſmo homine eruditiſſimo mouent, hęc ſunt, mi Spalatine, quod in Apoſtolo inter-

so interpretando iusticiã operũ seu legis, seu propriam (ita enim appellat Apostolus) intelligit, ceremoniales illas & figurales obseruantias. Deinde de peccato Originali (quod utiq; admittit) non plane uelit Apostolum loqui, cap. 5. ad Romanos. Qui si legerit Augustinum in eis libris, quos contra Pelagianos scripsit, præsertim de Spiritu & litera, item de peccatorum meritis, & remissione, item contra duas Epistolas Pelagianorum, item contra Iulianum, qui omnes in parte operũ octaua fere habentur, uideritq; quam nihil ex suo sensu, sed præstantissimorum patrum, Cipriani, Nazanzeni, Rethicij, Irenæi, Hilarij, Olimpij, Innocentij, Ambrosij, sensu sapiat: erit forte, ut non tantum recte Apostolum intelligat, sed maiore etiam opinione dignum arbitraturus sit Augustinũ, quam hucusq; credidit.

Erasmi interpretatio taxatur.

Augustinus contra Pelagianos.

Ego sane in hoc dissentire ab Erasmo non dubito, quod Augustino in Scripturis interpretandis tantum posthabeo Hieronymum, quantum ipse Augustinum in omnibus Hieronymo posthabet. Non q; professionis meæ studio ad B. Augustinum probandum trahar, qui apud me, antequam in libros eius incidissem, ne tantillũ quidem fauoris habuit: sed quod uideam B. Hieronymum uelut dedita opera ad historicos sensus incedere: & quod mirius est, obiter

Iudicium Lutheri de Augustini & Hieronymi libris.

mirius — mirabilius

ſanius interpretatur ſcripturas, utputa in epiſtolis, quam ubi tractat eas de induſtria, ut in opuſculis.

,, Nequaquam igitur iuſticia legis ſeu factorum
,, tantum eſt in Ceremonijs, ſed rectius etiam in vni-
,, uerſi decalogi factis. Quæ quando fiunt extra fidem
,, Chriſti, etiamſi faciant Fabricios, Regulos, & plane
,, integerrimos uiros apud hominem: non tamen plus
,, ſapiunt iuſticiam, quam ſorba ficum. Non enim, ut
,, Ariſtoteles putat, iuſta agendo iuſti efficimur, niſi ſi-
,, mulatorie: ſed iuſti (ut ſic dixerim) fiendo & eſſen-
,, do, operamur iuſta: prius neceſſe eſt perſonam eſſe
,, mutatam, deinde opera: prior placet Abel, quam mu-
,, nera eius: ſed hæc alias.

Officium itaque & amici & Chriſtiani facias pre-cor, & Eraſmum de ijs certum face: cuius authoritatem, ſicut ſpero & cupio futuram celeberrimam: ita metuo ne per eandem multi ſibi accipiant patrocinium defendendæ illius literalis, id eſt, mortuæ intelligentiæ, qua plenus eſt Lyranus commentarius, & ferme omnes poſt Auguſtinum. Nam & Stapulenſi uiro alioquin (bone Deus) quam ſpirituali & ſynceriſſimo, hæc intelligentia deeſt in interpretando alienas literas: quæ tamen pleniſſime adeſt in propria uita agendo, & aliena exhortando.

Temera-

Temerarium me diceres, quod tantos uiros ſub Ariſtarchi virgam duxerim, niſi ſcires, quod pro re Theologica & Salute Fratrum hæc facio. Vale mi Spalatine, & ora pro me, celeriter ex angulo Monaſterij noſtri. Die ſequenti S. Lucæ feſtum. Anno M. D. XVI.

F. Martinus Lutherus
Auguſtinianus.

VENERABILI PATRI IOhanni Lango, Baccuſau: Priori Erffurdienſi, Auguſt: ſuo.

Queritur de multitudine ſuarum occupationum, deinde de alendis monachis ſui cænobij, ac de peſte graſſante, & de alijs ſui ordinis fratribus, quo quiſq; uocatus ſit.

IHESVS.

21.

SAlutem. Opus eſt mihi prope duobus ſcribis ſeu cancellarijs: pene nihil per diem ago, quam literas ſcribo: idcirco, neſcio an eadem ſemper repetens ſcribam, tu uideris. Sum concionator conuentualis, Eccleſiaſtes menſę, deſideror quottidie & parochialis prædicator, ſum regens ſtudij, ſum Vicarius, id eſt, undecies prior, ſum Terminarius piſcium in Litzkau, Actor cauſarũ Hertzbergenſium in Torgau, Lector Pauli,

Vide lector quid nobis de primitijs Lutheri, incuria hominum & iniuria temporum interciderit.

Pauli, collector Psalterij: & illud quod iam dixi, maiorem partem occupare temporis mei, epistolarum scribendarum negocium. Raro mihi integrum tempus est, horas persoluendi & celebrandi, præter proprias tentationes cum carne, mundo & Diabolo. Vide quam sim otiosus homo.

De Fratre Iohanne Metzel puto interim ad te peruenisse sententiam meam & responsionem: uidebo tamen, quomodo faciam. Quomodo putas ego possum, tuos Sardanapalos & Sybariticos locare? Si perdite eos educastis, perdite educatos sustinete. Sat mihi vndiq; inutilium fratrum: si tamen ulli sunt inutiles patienti animæ. Ego persuasum mihi habeo, inutiles esse utiliores utilissimis, idcirco ad tempus sustine illos.

De Fratribus ad me missis, puto (nescio tamen) me nuper tibi scripsisse. Conuersum misi cum iuniore ad M. Spangenburg ad sua loca, quæ petiuerunt: ne in hoc aere manerent parum eis uitali. Duos retinui alios, cum duobus Coloniensibus, quorum habilitati adeo fui compassus, ut etiam cum damno expresso, eos maluerim retinere quam remittere. Viginti duo sacerdotes, 12. iuuenes, & in vniuersum 41. personæ ex nostro pœnu plusquam pauperrimo uictitant: sed Dominus prouidebit.

Scribis

Scribis te heri auſpicatum ſecundum Sententiarum: at ego cras Epiſtolam ad Galatas, quanquam metuo, ut peſtis preſentia permittat proſequi ceptam. Ad ſummum, tres aut duos (nondum tamen ſingulis diebus) rapit peſtis apud nos: & Fabro vicino noſtro ex oppoſito heri filius ſanus, hodie ſepultus eſt, & alter infectus iacet. Quid dicam? præſens, eſt & incipit, cruda ſatis & ſubita, præſertim in ætatem recentiorem. Et ſuades mihi & M. Bartholo: tecum fugam. Quo fugiam? ſpero quod non corruet orbis, ruente fratre Martino. Fratres quidem ſi profecerit peſtis, diſpergam in omnem terram: ego ſum poſitus huc, per obedientiam fugere mihi non licet, donec obedientia, quę iuſſit, iterum iubeat. Non quod non timeam mortem (non enim ſum Apoſtolus Paulus, ſed tantum lector Apoſtoli Pauli) ſed ſpero Dominus eruet me a timore meo.

Explicatio Epiſtolæ ad Galatas cœpta, Anno 16. die 27. Octobris.

Quid ſi: ad te confugiam?

Scripſit mihi R. P. M. Iohannes Huſden: Prior Colonienſis, Patrem M. Spangenburg cum magna gloria & charitate ſuſceptum a Dordracienſibus ciuibus, conuentumque breui futurum, cæteris inſigniorem. Prior eſt ibidem Lector Henricus, noſter olim (ut illi dicunt) conſtudens, antea ſecundarius Colonienſis. Lector Phugius ſcribit Reuchlin cauſam proſpere habere, & mire geſtit. De Præcep-

Iohannes Reuchlin.

Sibyllae carmenta et folia.

tore seu Licentiatorio, rogo Sibyllam quoque simul mitte, ista folia non possum legere, quid teneant. Saluta salutandos omnes:& Patribus Magistris modo scribere non possum, scribam alias;lege ei has,si uis,literas.

Magister Vuenceslaus est absolutus & concionator Monacensis: similiter & Baccalau:Fladenstein in Culmach absolutus. In noua Ciuitate Frater Michael est absolutus, & Frater Henricus Zuuetzen Prior. Sed feci hoc ideo, quod sperabam me ipsum illic ad medium annum regnaturum. Capite vehementer eget idem locus. Pater R. Vicarius, octaua octobris iterum ad me dedit literas, ex Alberkirchen, id est, ex domo Pfeffingeri, qui nunc Bauarum suem pascitur cum Sara sua: scribit se quiete per hyemem fruiturum in Monaco. Vale cursim, & estote memores nostri in hac die visitationis Domini, cui gloria, Amen. 26. Octobris. Anno M. D. X V I.

(der hüttet den Bayrische schwein mit seiner weib.)

F. Martinus Lutherus
Augustinianus.

VENERA-

VENERABILI ET RELIGIOſo Baccalaurio, P. Iohanni Lango, Priori Erffurdienſi, ſuo in Domino.

Vocat Fratres quoſdam in Sangerhuſen.

IHESVS.

22.

SAlutem. Si adhuc eſt animus tuus & Patrum tuorum V. P. de tribus Fratribus emittendis, ut mihi ſecundo vel tertio etiam ſcripſiſti: viſum eſt mihi, vt non longius mittantur. Igitur authoritate & præcepto vocationeq́ mea, voco eos omnes ſimul tres, in Sangerhuſen ad tempus, ſi forte uelint reſipiſcere: & miſiſſem eos iam diu illuc, opus etiam iam diu habuit ille conuentus perſonis: ſed timui ne eſſent inutiliſſimi alienis, qui ſuis ſunt inutiles.

Nunc autem ſcripſi Priori ibidem, vt eos ſuſcipiat, & præcipue F. Iacobum Schlegel terminatum ire non ſinat. Tentandum igitur eſt, quid ibi & ita velit in eis operari Dominus. Tuum itaq́ eſt, eis hoc præceptum meum ſtatim oſtendere, & eoſdem ad iter promouere, ſicut moris eſt. Vale & ora pro me. Ex Vuittemberg, altera Simonis & Iudæ. M. D. XVI.

F. Martinus Lutherus Vicarius Auguſtinianus.

EPIST. LVTHERI

SERVO CHRISTI, SACERdotique Domini, Georgio Spalatino, Magistro Eruditissimo & amico syncero & integro Fratri.

Iubet agi gratias principi pro misso uestitu Monastico: deinde ostendit quid Vicarius pro impetrandis reliquijs profecerit: laudatumq; se scribit à principe: sed præfert laudem Dei laudibus humanis, Tandem petentē consilium de uertendis opusculis in Vernaculam, admonet ut in Dei inuocatione ea eligat, quæ cum scriptura consentiunt: & Tauleri sermones commendat.

IHESVS.

15.

SAlutem. Redditę sunt mihi literæ tuę, optime Spalatine, ipsa diuæ Luciæ sacra feria: in quibus id inter cætera recte curasti, ac monuisti, vt deductori Vuittembergensi traderem, si quas ad te uel ad Hirsfeldium dare uelim. Nihil enim desideraui impensius, quam certum latorem aut ferendarum fidum procuratorem. Binas sane dedi literas ad uenerabilem Patrem Iacobum Minoritam, eum qui est a Principis Friderici confessionibus, ut pro me simul & Principi gratias ageret, quod me liberaliter uestierit, & panno quidem meliore quam forte cucullo conueniat, nisi Principis donum esset.

Atq; vt eundem certum faceret, de re sacrarum reliquiarum, quas reuerendissimo Patri nostro Vicario

cario curandas commiserat in regionibus Rheni: sed nescio an peruenerint, an adhuc peruenturæ sint. Quocirca te quoque eiusdē causæ rationem uolo scire. Impetrauit Reuerendus Pater Vicarius, apud Archiepiscopum Coloniensem pro principe reliquias, ac mandatarium seu huius rei (ut uocant) commissarium, officialem eiusdem Archiepiscopi: ac ex Principis ac Vicarij parte, Subpriori nostri Monasterij Coloniensis cura expostulandi & solicitandi commissa est. Post recessum autem R. Patris, requisita per iam dictos mandatarios virgo maxima ad S. Vrsulam allegauit prohibitionem Papæ, nec posse acquiescere sese per conscientiam, sine mandato & licentia Papæ. Quod etsi exhibitum fuerit exemplar Licentiatorij: tamen quod non esset autentica fide & signatura probatum, huc usque denegauit. Poteris itaque Principi nostro, si uolueris, indicare, ut Licentiatorium probatæ authoritatis illuc mittat, aut R. Patrem Vicarium excusatum habeat.

Quod autem scribis Principem illustrissimum mei frequenter & honorifice meminisse: non quidem ego gaudeo: oro tamen, ut humiliati eius Dominus Deus reddat gloriam. Non enim sum dignus, vt memoriam mei ullus homo habeat, nedum Princeps, & talis tantusque Princeps: imo video & experior, quod ij

mihi maxime prosunt, qui mei pessime meminerint: tamen per te rogo, sinas me gratias agere & fauori & beneficio eiusdem nostri Principis: quanquã nolim aut abs te, aut ullo homine laudari. Quia uana laus hominis: sola Dei laus uera: sicut scriptum est: Non in homine, sed in Domino laudabitur anima mea, & rursum: Non in nomine vestro, sed laudamini in nomine sancto eius. Non quod sint reprehendendi laudatores nostri: sed q̃ sunt laudatores hominum potius quam Dei, cui soli laus, honor & gloria, Amen.

Petis iudicium meum super instituto tuo vertendorum opusculorum in vernaculum: vltra vires meas exigis. Quis ego sum, vt iudicem, quid publice tum placeat tum proficiat? cum solius sit gratiæ, vt placeant ac proficiant, quæcunq; placent aut proficiunt. An ignoras, quod quo sunt aliqua salubriora, eo minus placent ac proficiunt? Quid Euangelio & Christo salubrius? At sordent & sunt odor mortis in mortem plurimis, paucissimisq; in vitam odor vitæ. Dicis forte publice te velle ijs tantum prodesse, quibus bona placent. Hic iam meo iudicio non opus habes: semper oues omnem vocem pastoris audiunt, nec repellunt aut fugiunt nisi alienorum vocem. Quicquid igitur operatus fueris, dum modo fuerit bonum & vox Christi, nihil dubites, placebit & proficiet, sed

paucis

paucis atq; rarissimis, quia oues sunt rarissimæ in hac luporum regione.

Ante omnia tamen Christi consilium & voluntatem humili oratiuncula require: cui etiam bona non placent, quę sine iussu & voluntate eius fiunt, sicut dicit Esaias 30: Væ filij desertores, vt faceretis cōsilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritū meum. Ne ita sequaris tuam bonam & piam intentionem (vt vulgus religiosorum & sacerdotum passim & pessime errat) sed licentiam, imo iussum tuum in hoc præcipue & in omni opere tuo require, nisi voles stipulam fieri opus tuum: adde tamen & meum consilium: Si te delectat, puram solidam, antiquæ simillimam Theologiam legere, in Germanica lingua effusam: sermones Iohannis Tauleri, predicatoriæ professionis, tibi comparare potes: cuius totius velut epitomen ecce hic tibi mitto. Neq; enim ego vel in latina, vel in nostra lingua theologiam vidi salubriorem & cum Euangelio consonantiorem. Gusta ergo & vide quam suauis est Dominus, vbi prius gustaris, & videbis quam amarum est quicquid nos sumus. Vale & ora pro me. Ex Monasterio nostro Vuittembergensi, sequente Dominica Luciam. Anno M. D. XVI. *Taulerus.*

F. Martinus Lutherus.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M.D.XVII.

VENERANDO ET RELIGIOso Patri Iohanni Lango, Theologiæ Licentiato, egregie docto, Erffurdiensi erimitarum Priori, sibi in Christo semper.

Vt quos libros ex nondinis Franckfurdensibus afferne uelit, sciat: mediocrem eorum Catalogum contexit: petitq; ut quod sit discrimen inter uoces ἀνάθεμα καὶ ἀνάθημα ostendat.

IHESVS.

24.

D. Vuolffgangus Fabricius.

SAlutem. Scribit Vuolffgangus Fabricius Venerande Pater, quod adagia Erasmi denuo aucta excudūtur, querela expulsæ pacis, Luciani Dialogi, Vtopia Mori (cuius meminit Ricardus Paceus) eiusdem Mori Epigrammata: item duo libri institutionum Hebraicarum, ipsiusmet Vuolffgangi, & cuius gratia hæc scribo maxime Apologia absolutissima Erasmi aduersus Fabrum Stapulensem: ut scias quid commendare debeas Librarijs uestris Francofordiam profecturis. Porro Vtopiam Morinam sitio, & institutiones Hebraicas Fabricianas, maxime uero Apologiam illam, nisi forte ea sit, quam iam diu habemus hic. Sed super uersu sexto, Psalmi octaui, Minuisti eum Paulo minus ab Angelis, in qua re dolendum est,

eſt, tanto impetu concurrere tantos bonarum litera-rum principes. Siue ergo alia ſit, ſiue aliter & locuple-tius excuſa, cupio videre. Eam quam habeo Baſileæ prælum non preſſit vnquam.

Petimus a te Græce, vt controuerſiam noſtram diſſoluas, quæ ſit diſtantia inter anathema per epſi-lon, & anathema per η: & cur Lexica illa græcanica, anathema penultima correpta non habeant: cum il-lud in nouo Teſtamento vbiq; ponatur, vt Rom. 8. 1. Corinth. 12. & Gal. 1. bis: niſi quod Eraſmus Rom. 9. anathema per η dicit in annotationibus, cum in tex-tu per ε ponatur: & in Dictionarijs non niſi per η inue-nitur. Neſcio figuras literarũ pingere, alioqui meum iudicium tuo iudicio preferrem. Sed quia anathema per η repoſita & ſeparata ſignificet a ponendo ſic di-cta, Anathema per ε ſignificet excommunicationem, ſeu extra regionem poſitionẽ ſcilicet exterrem, a di-ctione Thema græce, quæ regionem ſignificat, athe-ma ſine regione, anathema, ſeceſſum ad ſine regione, id eſt, excommunicationem.

ἀνάθημα donarium eiusmodi insignia quæ in templis suspendi solent. Luc. 21. 5.

ἀνάθεμα Exitio æterno destinatus

Si venerit, ad te Agatha illa miſella, fac miſeri-cordiam peccatrici, turpiter peccauit. Vale & ora pro me. 11. Kalendas Martij.

F. Martinus Lutherus

K VENE-

VENERABILI ET SYNCE-
ræ Religionis Professori, Iohanni Lango, Bacca:
Theologiæ, eremitarum August: Erffur-
diæ Priori, sibi in Domino
suspiciendo.

Iudicium de Erasmi Theologia, Christum ignorante.

IHESVS.

25.

SAlutem. Mitto ad te Fratrem hunc nostrum Gabrielem V. P. secundum mandatum R. Patris Vicarij: tu quoque eiusdem mandato satisfaciens cura, ut & ipse & alij quam optime, id est, Christianiter grecissent. Placuit autem & expedit, ei ut cõuentualiter per omnia sese gerat. Scis enim q nec dum ritus et mores ordinis uiderit aut didicerit: deinde Fratrem, quem loco eiusdem nobis remittere promisisti, cum hoc Fratre Leonhardo quam otius absoluas: Patimur enim penuriam Vicarij Fratris pro Gabriele. Psalmi translati a me & explanati uernacula, si nulli placerent, mihi optime placerent: attamen Iohannes calcographus expectat, ut absoluas eos, quos misi ad te.

Psalmi pœnitentiales anno 1517. editi, quos uide in 1. Toma Germanico Fol. 14.

Erasmum nostrum lego, & indies decrescit mihi animus erga eum: placet quidem quod tam religiosos quam

Iudicium de Erasmo.

sos quam sacerdotes, non minus constanter quam erudite arguit & damnat inueteratæ huius & ueternosæ inscicia: sed timeo ne Christum & gratiam Dei non satis promoueat: in qua multo est quam Stapulensis ignorantior: humana præualent in eo plus quam diuina. Quanquam inuitus eum iudico, facio tamen ut te præmoneam, ne omnia legas imo accipias sine iudicio. Tempora enim sunt periculosa hodie, & uideo quod non ideo quispiam sit Christianum uere sapiens, quia Græcus sit & Hebræus: quando & Beatus Hieronymus quinq; linguis, Monoglosson Augustinum non adæquarit, licet Erasmo aliter sit longe uisum. Sed aliud est iudicium eius, qui arbitrio hominis non nihil tribuit, aliud eius, qui præter gratiam nihil nouit.

Ego tamen hoc iudicium uehementer cælo, ne consensum æmulorum eius confirmem: dabit ei Dominus intellectum suo forte tempore. Vale & Patres Magistros ac lectorem saluta: & si D. Iodocus respondere mihi dignetur, perquire. Ex nostra eremo Vuittemberg, Dominica Inuocauit.

Anno M. D. XVII.

F. Martinus Lutherus Vicarius August:

EPISTO. LVTHERI

SVO GEORGIO SPALATINO, optimo, Christi seruo amicoque.

Ostendit quos Orthodoxos potißimum legere debeat tempore celebrationis Paßionis Domini.

IHESVS.

26.

SAlutem. Gratias ago, mi Spalatine, animo tuo magnifico satis. Nam hunc ego specto solum, qui omnibus donis præfertur merito. Cæterum quod optas indicari tibi a me, quid nam legas potissimum ijs diebus. Meo iudicio aut Augustinum de gratia noui Testamenti ad Honoratũ, in quo simul tractat Psalmum 22. Deus Deus meus respice in me &c. hoc pro tempore idoneum: aut Hilarium super octonariũ: nec Cyprianus in sermonibus suis ineptus est: aut Augustinum super Iohannem a capitulo 13. vbi incipiunt horum dierum negocia. Dabo operam, si possum, vt « cras Christum in cruce, quoque hominem videri do« ceam. Vale. Pridie parasceues.

Martinus Lutherus.

SVO IOHANNI LANGO PAtri, Priori Erffurdiensi, Eremitæ ad August:

Significat in Academia sua efflorescere Bibliæ ueram Theologiam, & fastidiri Aristotelis & sententiariorum lectiones.

IHESVS.

IHESVS.

17.

SAlutem. Non fuit modo mihi negocium ad te scribendi, præter hoc solum, quod hunc Patrem visum est, non inanem literarum & salutationis mittere. Sum Dei gratia consolatus, quia Iohannes Gimman Frater, saluus venit domum. R. Pater Vicarius scribit sese maturius ad nos venturum.

Theologia nostra & S. Augustinus prospere procedunt & regnant in nostra vniuersitate Deo operante: Aristoteles descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam: mire fastidiuntur lectiones sententiariæ; nec est, vt quis sibi auditores sperare possit, nisi Theologiã hanc, id est, Bibliam, aut S. Augustinum aliumue ecclesiasticæ authoritatis Doctorem uelit profiteri. Vale & ora pro me.

Feria secunda post Vocem iucunditatis.

Anno M. D. XVI.

F. Martinus Lutherus.

SVO FRATRI IOHANNI Lango, Priori eremita: Erffurdiens: in Christo amplectendo.

Commendat pauperem & afflictum.

IHESVS.



SAlutem. Hunc hominem Vdalricum Norlingen, optime Pater, fidei & pietati tuæ commendo diligenter. Scriba enim est, manus expeditæ, eloquij nitidi, deinde ingenij non vulgaris, prẹter morum etiam per se amabilium ornamenta. Petijt apud Principem famulatum, sed nosti desperatam illam parcitatem, & prope plusquam rusticitatem, tenuitatem curiæ ducalis. Omnia enim sunt occupata. Habet preterea, occultarũ aliquid tentationũ in spiritu: quarum ego, præter te uix credo aliquem in tuo conuentu conscium. Si eas tibi uolens fuerit confessus, poteris consolari, sicut Dominus inspirarit.

Hoc ideo dico, ut hominis facilius miserearis: qui & ad mendicitatem usq;, tentationum huiusmodi procellis perductus est: uenit ad nos, satis bonis testimonijs bonorum uirorum, scilicet, literis & cognitorijs. Quid dicam, ipsa morum ciuilitas & honestas satis tibi persuadebit, ut facias quod rogo, id est, ut adiuues apud Dominum præpositum Henningum, si possit uspiam, apud prælatum suæ artis negociũ obtinere, donec paulo rursus pinguesceret. Totus enim pauper est. Quod si etiam hospitaueris eum in conuentu paulisper, credo, quod Christum hospitabis, Vale.

Reueren-

Reuerendum Patrem Vicarium iam tres ſeptimanas expectaui, ſed nunquam certius quam hodie, ex Hertzberg uenturum etiam preſumpſi. Cōmenda me patribus & fratribus, ut pro me miſero orent. Quia inter optimos fratres, de die in diem mire proficientibus ego nunc deficio: ut uerum ſit, illos oportere creſcere, me autem minui. Sex aut ſeptem magiſtrandos paro ad futurum examen: inter quos & Hadrianus erit unus, ſi Dominus uoluerit, non niſi ad ignominiam Ariſtotelis, cuius uellem hoſtes cito quam plurimos fieri. Vale & Patres & Magiſtros ſaluta. Ex noſtro Monaſterio 16. Iulij.

Sex septemq; Magistrandi.

M. D. XVII.

F. Martinus Lutherus
August.

FRATRI SVO IOHANNI Lango, eremitarum Erffurdienſium S. Auguſtini Priori, Baccalaurio Theologo, ſibi in Chriſto amantiſſimo.

Commendat Lango aliquot Fratres ſtudentes: & hortatur eum, ut Licentiam (quam uocant) Theologiæ accipiat.

IHESVS.

29.



SAlutem. Hos Fratres ſtudentes, venerabilis Pater, tibi commendat R. Pater Vicarius, imo Dominus

minus Ihesus in ipso. Tu ergo suscipe eos, & ut proficiant utrinque cura, sicut de te confidit. Dominus Ihesus. Stata etiam atque firma uoluntas est R. Patris Vicarij, ut quam primum fieri potest, & tempus permiserit, Licentiam accipias Theologiæ: quod idem tibi uocaliter præcepit in Isleben: & nunc scriptaliter commonefacit ex Porta cæli, ut scias, quoniam rem et non uerba quærit R. Pater. Vale & ora pro me. Ex Porta cæli, sexta Augusti, Anno M. D. XVII.

F. Martinus Lutherus
Augustinianus.

Habent ij Fratres 5. aureos: uide ut tibi præsentent, & ratio reddatur pro tunicis emendis. Et si quid amplius opus habuerint tu pro eis expones, ob fidem R. Patris Vicarij, qui hoc iussit addi literis. Reddetur enim tibi fideliter. Vale.

FRATRI SVO IOHANNI LANGO, Erffurdiensium eremitarum Priori. S. Theologiæ Licentiato nouello.

Offert se ad probationem & defensionem suæ disputationis.

IHESVS.

IHESVS.

30.



SAlutem, Misi ad te per M. Ottonem Positiones nostras, & Præcepta ex me exposita: nec fuit mihi tunc tantū temporis, ut & scriberem, quia repentinus mihi abcessus eius nunciatus fuit. Cæterum expecto ualde, nimis, granditer, anxieq;, quidnam uos, de istis paradoxis nostris statuatis. Vere enim illis uestris, hæc paradoxa, imo cacodoxa uideri suspicor: quæ nobis non nisi orthodoxa esse possunt.

Positiones Lutheri contra Scholasticam Theologiam, & Aristotelis somnia, quarum initium est, Dicere quod Augustinus contra hæreticos &c. in primo Tomo. Fol. 9. b

cacodoxa

Fac igitur me certum quantocius poteris, idque meo uoto. Dominis meis, atq; in ueritate reuerendis Patribus Theologicæ facultatis & alijs, quibuscunq; tibi uisum fuerit, certissime offeras & exhibeas, me scilicet esse paratissimum, uenire & publice seu in collegio, seu in monasterio, de ijs disputare: ut non putent me in angulum uelle ista susurrare: si tamen nostra uniuersitas tam uilis est, ut angulus esse possit uideri. Præcepta ideo tibi utraq; lingua misi, ut si quando uolueris, ad populum de ijs prædicare (sic enim ego illa docui, ut mihi uideor, ad euangelicum morem) haberes.

quantocius

Credo te nosse D. Magistrum Iohannem Anthonitam Præceptorem in Briga defunctum. M. Iohannes Hessus hoc tibi credo retulit satis. Fratrem Ni-

colaum Antuerpiensem expoliasti nimis pecunia. Ideo repetundarum nobis tecum agetur. Non enim uobis tantum licebit, quantum nobis. Vale. Ex Vuittemberga. Quarta Septembris Anno M.D.XVII.

F. Martinus Lutherus.

REVERENDISSIMO IN Christo Patri, Illustrissimo Domino, Domino Alberto, Magdeburgensis ac Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopo Primati, Marchioni Brandenburgensi &c. Domino suo & Pastori in Christo, venerabiliter metuendo, ac gratiosissimo.

Accusat prædicatorum Indulgentiarum rabiem, & petit eos compesci.

IHESVS.

31.

Hanc eandē epistolam Tom. I. Fol: 2. b.

GRatiam Dei & quicquid potest & est. Parce mihi, Reuerendissime in Christo Pater, Princeps illustrissime, quod ego fex hominum tantum habeo temeritatis, ut ad culmen tuæ sublimitatis ausus fuerim cogitare epistolam. Testis est mihi Dominus Ihesus, quod meæ paruitatis & turpitudinis mihi conscius, diu iam distuli, quod nunc perfricta fronte perficio, permotus quam maxime officio fidelitatis meæ, quam T. Reuerendissimæ Pat: in Christo, debere

bere me agnosco. Dignetur itaque interim tua celsitudo oculum ad puluerem unum intendere, & uotum meum pro tua potificali clementia intelligere. *potificialis*

Circumferuntur Indulgentiæ Papales sub tuo præclarissimo Titulo ad Fabricam S. Petri: in quibus non adeo accuso Prædicatorum exclamationes, quas non audiui: sed doleo falsissimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas uulgo undique iactant, uidelicet, quod credunt infelices [a] animæ, si literas indulgentiarum redemerint, se securas esse de salute sua: item, quod animæ de Purgatorio statim euolent, ubi contributionem in cistam coniecerint: deinde, tantas esse has gratias, ut nullum sit adeo magnum peccatum, etiam (ut aiunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin possit solui: item, quod homo per istas indulgentias liber sit ab omni pœna & culpa.

[a] Auditores.

O Deus optime, sic erudiuntur animæ tuis curis, optime Pater, commissæ, ad mortem, & fit atque crescit durissima ratio tibi reddenda super omnibus istis. Idcirco tacere hæc amplius nõ potui. Nõ enim fit homo per ullum munus Episcopi securus de salute: cum nec per gratiam Dei infusam fiat securus: sed semper in timore & tremore iubet nos operari salutem nostram Apostolus: Et iustus, inquit Petrus, uix saluabitur:

deniq; tam arcta est uia, quæ ducit ad uitam, ut Dominus per Prophetas Amos & Zachariam, saluandos appellet torres raptos de incendio, & vbique Dominus difficultatem salutis denunciet.

Cur ergo, per illas falsas ueniarum fabulas & promissiones, prædicatores earum faciunt populum securum & sine timore? cum indulgentiæ prorsus nihil boni conferant animabus ad salutem aut sanctitatem, sed tantummodo pœnam externam, olim canonice imponi solitam, auferant.

Deniq; opera pietatis & charitatis sunt in infinitum meliora Indulgentijs, & tamen hæc non tanta Pompa, nec tanto studio prædicant: imo propter uenias prædicandas illa tacent: cum tamen omnium Episcoporum hoc sit officium primum & solum, ut populus Euangelium discat, & charitatem Christi. Nusquam enim præcipit Christus indulgentias prædicari. Quantus ergo horror est, quantum periculum Episcopi, si, tacito Euangelio, nõ nisi strepitus indulgentiarum permittat in populum suum spargi, & has plus curet, quam Euangelium? Nonne dicet illis Christus, Colantes culicem, & glutientes camelum?

Accedit ad hoc, Reuerendissime Pater in Domino, quod in Instructione illa Commissariorum, sub T. Reuerendissimæ paternitatis nomine edita, dicitur

tur (vtiq; sine T.P. reuerendissimæ, et scientia & consensu) unam principalium gratiarum, esse donum illud Dei inæstimabile, quo reconcilietur homo Deo: & omnes pœnæ deleantur purgatorij: item, quod non sit necessaria contritio his, qui animas uel confessionalia redimunt.

Sed quid faciam, optime Præsul & illustrissime Princeps, nisi quod per Dominum Ihesum Christum T. Reuerendissimam Paternitatem orem, quatenus oculum paternæ curæ dignetur admittere, & eundem libellum penitus tollere: & prædicatoribus ueniarum imponere aliam prædicandi formam: ne forte aliquis tandem exurgat, qui editis libellis, & illos & libellum illum confutet, ad uituperium summum illustrissimæ tuæ sublimitatis. Quod ego uehementer quidem fieri abhorreo, & tamen futurum timeo, nisi cito succurratur.

Hæc meæ paruitatis fidelia officia, rogo tua illustrissima gratia dignetur accipere animo principali & episcopali, id est, clementissimo: sicut ego ea exhibeo corde fidelissimo, & T. P. reuerendissimæ deditissimo: quando & ego pars ouilis tui sum. Dominus Ihesus custodiat T. Reuerendissimam paternitatem in æternum, Amen. Ex Vuittemberga, in vigilia omnium Sanctorum. Anno M. D. XVII.

Scilicet de pœnitentia & indulgentijs, quarum initium est. Dominus & Magister noster Ihesus Christus &c.

Si tuæ Reuerendissimæ P. placet, poterit has meas disputationes uidere: ut intelligat, quam dubia res sit indulgentiarum opinio, quam illi, ut certissimum seminant.

T. Reuerendiss: P.

F. Martinus Lutherus.

SVO SPALATINO IN Arce Vuittembergensi.

Narrat sibi per Episcopi Brandenburgensis Abbatem dissuaderi editionem Probationum & aliarum lucubrationum.

IHESVS.

32.

SAlutem. Quod accepisti facultates remissionis & absolutionis ab omnibus casibus, paucis exceptis, gratus esto largitori. Porro facultates casuum satis amplector: remissiones vero poenarum, id est, indulgentias scis in quali soleam existimatione habere: licet nihil in his quoque statuam. Simile iudicium de stationibus urbis Romæ mihi fuit, cum sint non aliud nisi indulgentiæ. Meliores enim censeo orationes seu opera, quæ pro illarum acquisitione iubentur, quam ipsas

ipsas acquisitas. Reliqua non intelligo, quæ de Genijs templorum patronis scribis.

Fuit heri apud me Dominus Abbas Leninen: nomine & uice Reuerendi Domini Episcopi Brandenburgensis, cuius & literas ad me attulit, referens mihi mandato eiusdem Domini Episcopi nostri: optare se & petere, ut paululum differam editiones probationum mearum, & quarumlibet lucubrationum, " si quas haberem: de indulgentijs tamen sermonem " uulgarem editum ualde nollet; & deinceps non e- " dendum nec uendendum rogauit. "

Ego uero pudore confusus, quod tantum Abbatem, deinde tantus pontifex tam humiliter ad me mitteret, & solius huius rei gratia, dixi: bene sum contentus: malo obedire quam miracula facere, etiam si possem, & reliqua, quæ meum studium excusarent. Licet enim nihil erroris in illis, sed omnia catholica esse censeret: ipseque damnaret illas indiscretas (ut vocant) proclamationes indulgentiarum: tamen propter scandalum iudicaret aliquantulum tacendum & differendum. Vale in Domino.

Anno M. D. XVII.

F. Martinus Lutherus August:

INTE-

EPISTO. LVTHERI

INTEGRO ET SYNCERAE Religionis viro, Iohanni Lango, sacræ Theologiæ Licentiato, Eremitæ August: Erffurd: sibi in Christo amantissimo.

Mittit Propositiones cōtra indulgentias: & ueritatem prioris suæ disputationis defendit, contra Scholasticam Theologiam, & Aristotelis somnia: inuehitur etiam in Monachorum iniqua iudicia, in ipso modestiam requirentium.

IHESVS.

33.

a *Quæ extant in 1. Tomo Fol: 2.b.*

SAlutem in Christo. Ecce alia denuo [a] Paradoxa mitto (Reuerendissime Pater mi in Christo) quod si etiam in his tui Theologi offendentur, & dixerint (sicut passim de me omnes loquuntur) me nimis temere, superbeq; præcipitare iudicium, damnareq; alienas sententias: respondeo per te & has literas, Primum mihi uehementer placere, maturam eorum modestiam, cunctantemq; diu grauitatem, si eam in opere exhiberent: sicut in me reprehendunt leuitatem & præcipitem temeritatem. Facile enim in me, ut video, notant uitium eiusmodi.

Sed miror quod eisdem oculis suum Aristotelem inspiciant, aut si inspiciunt, quomodo non uident, Aristotelem nihil aliud esse per singula pene cola & commata, quam Momum, imo Momorum Momũ, si ille

Si ille itaq; gentilis, nihil prohibente mordacissimæ temeritatis uitio, adhuc placet, legitur, citatur: quid est, quod Christianus ego ita displiceo, præsertim cum gustum aliquem refero similem placidissimo illi Aristoteli? An displicet in me gutta vitij, cuius in Aristotele totum pelagus placet?

Deinde miror, cur nec seipsos pariter oderint & damnent. Quid enim sunt inuicem isti Scholastici, quam meri Critici, Aristarchi, mutuiq; Momi? Licet illis & placet iudicare omnium sensus: mihi eidem prorsus interdictum est. Tandem id etiam queror, si displicet illis ita nimis mea sententia, & modestiam potius laudant: cur non & ipsi non temperant sibi a iudicio mei? cur non modestius expectant rei finem? Vides itaq; quã sumus homines, id est, plane iniqui, ut semper festinamus festucas de oculo fratrũ eruere, interim trabibus nostrorum oculorũ etiam huius vitę delectati: ita culicem in altero colamus tanq; uitium: quod in nobis camelus est, attamen glutimus tanquam summam virtutem. p. 38. b.

Itaq; scias me eos Momorum lemures, nihil maioris, q; lemures (& eiusmodi quidem sunt) facere: nec uolo moueri, quid illis uideatur aut non uideatur. De temeritate mea, uel modestia, sciens certissimum, q, siue modestus fuero, veritas mea modestia non fiet lemures Momorum.

M dignior,

dignior, siue temerarius, non fiet indignior mea temeritate. Id solum cupio ex te tuisq; Theologis quã maximo uoto, tacito interim autoris vitio, de ipsis editionibus meis uel Conclusionibus quid sentiãt, intelligere: imo multo magis erroris uitia, si qua in illis sunt, mihi significari. Quis enim ignorat quin sine superbia, aut saltem sine specie superbiæ & contentionis suspitione, possit quicquam noui produci? Finge enim ipsam humilitatem noua conari, statim superbię uitio subijcietur ab ijs, qui aliter sapiunt. Cur enim Christus & omnes martyres occisi sunt? cur Doctores passi inuidiam? nisi scilicet, quia superbi & contemptores ueteris & inclytæ sapientię seu prudẽtiæ uisi sunt: aut quod talia noua sine Concilio illorũ protulerint, qui uetera sapiebant.

Non itaq; uolo eam ex me expectent humilitatem (id est, hypocrisin) ut prius eorum concilio & decreto mihi utendum esse credant, quam edam: nosso quod hominis industria aut consilio, sed Dei fiat, quod facio. Si enim fuerit opus ex Deo, quis prohibebit? Si non fuerit ex Deo, quis promouebit? fiat non mea, nec illorum, nec nostra, sed uoluntas tua Pater sancte, qui es in cœlis, Amen.

Vltimo memor esto ut solicite pro me ores, sicut & ego pro te, ut Dominus noster Ihesus adiuuet

& por-

& portet nobiſcum noſtras tentationes, omni homini incognitas præter nos. Vale ex Vuittemberg. noſtro monaſterio. Die S. Martini Epiſcopi. Anno M. D. XVII.

F. Martinus Eleutherius imo dulos & captiuus nimis Auguſt: Vuittemberg:

Coll. 3. v. 11. Ἐλεύθερος κῃ δοῦλος.

Aeſchicampianus apud nos profitetur literas humanitatis publico & ducali ſalario.

SVO GEORGIO SPALATINO a commentarijs Principis Saxoniæ electoris in Chriſto Fratri.

De duplici ignorantia, altera affectata, & altera inuincibili.

IHESVS.

34.

SAlutem. Corde meo & officio tuo, mi Spalatine, gratias ago Principi noſtro illuſtriſſimo. pannũ enim accepi. Sed & tibi gratias ago: imo quid tibi nõ debeo? Cæterum quid illi acciderit miror, illi inquam qui tibi dixit, Auguſtinum in Libris, de doctrina Chriſtiana, argumentũ de ignorantia inuincibili tractare: cum ſanctus ille uir, primam & vltimam par-

tem Rethorices, id est, inuentionem & pronunciationem, pro instituendis Doctoribus Christiani populi, tractet in illis totis Libris.

De ignorantia sic habet res: scholastici Doctores huc usque docuerunt, Duplicem esse ignorantiam cuiuscunque rei præsertim salutaris: alteram affectatã & crassam, qua quis ita agit, vt studio & data opera uideatur uelle ignarus esse: alteram inuincibilem, qua quis ita agit, vt per eum non stet, quo minus fiat gnarus: & illam aiunt augere peccatum, hanc uero excusare penitus.

Vide Lector disputationem, cuius supra es admonitus, contra Scholasticam Theologiã.

Contra quos ego sic posui, ut uides, & sententia mea breuiter est hæc, Omnis prorsus ignorantia est inuincibilis nobis: & nulla est ignorantia inuincibilis gratiæ Dei. Quia ex nobis nihil possumus, ex gratia Dei omnia possumus: & quanto magis conamur ex nobis ad sapientiam, tanto amplius appropinquamus insipientiæ. Sicut ait Salomon: Dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit a me. Et sicut gentes fecisse scribit Apostolus Roma: 1. Idcirco uerum non est, quod inuincibilis ignorantia excuset a peccato: alioquin nullum esset peccatum in Mundo. Vale & ora pro me. Ex Vuittemberga, vndecima Nouembris. Anno M.D.XVII.

F. Martinus Lutherus August:

SVO

SVO GEORGIO SPALATI-
no, ſacerdoti Chriſti integerrimo ſuo.

An plures Mulieres, præter Marias, ad ſepulchrum Domini acceſſerint: & quot fuerint Mariæ.

IHESVS.

35.

SAlutem. Ad literas tuas, quas ex Lochenſi arce ad me dederas, certe reſpondi, optime Spalatine: & per officium conductoris ſeu publicæ fidei miniſtrũ, ad te perueniſſe credidi: in quibus te oraui vt illuſtriſſimo principi pro panno gratias ageres pro me: deinde Paradoxum meum de ignorantia inuincibili, quo ad potui, tibi declaraui.

Nunc quod quæris, Primum, an & aliæ mulieres fuerint ad ſepulchrum Domini, præter Marias illas: habes apertum textum Lucæ vltimo non longe a principio dicentis: erat autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, & ceteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc &c. imo uidentur fuiſſe multæ, præſertim eæ, quas octauo capite enumerat Dominum ſecutas: de quibus rurſus in fine cap. 23. dicit, ſubſecutæ autem mulieres, quæ cum eo uenerant de Galilea: Et in principio vltimi cap. Vna autem Sabbathi ualde diluculo uenerunt ad monu-

mentum portantes aromata, quæ parauerant (vtiq; illæ eædem, de quibus proxime dixit eum ſubſecutas) & in Græco hic additur, & quædam cum eis, teſte Laurentio valla, & Eraſmo: Et illæ (quædam) mihi uidentur aliæ eſſe a prædictis.

Alterum quot fuerint Mariæ ? Certum eſt ex Euangelio probari euidenter poſſe, tantum duas fuiſſe Marias, præter matrem Domini ſcilicet, Magdalenam & Mariam Iacobi. Perſpicuus enim error eſt, Mariam Salome nullam eſſe, niſi ipſam Salome. Salome enim mulieris nomẽ eſt, nõ uiri, generis fæmi nini illius maſculini, quod eſt Salomon: unde & apud Ioſephum nota eſt illa Salome Herodis magni ſoror. Lege Matthei 20. Vbi mater filiorum Zebedei acceſſit ad Chriſtum: vbi Chryſoſtomus dicit, Hæc eſt Salome. Et Marci 10. eoſdem filios Zebedei nominat Iohannem & Iacobum. Iohan: autem 19. Mariam Cleophe uocat ſororem matris Domini.

Eadem autem eſt Maria Iacobi. Nam Matth. 13. & Marci 6. enumerantur Iacobus, Ioſe, Iuda, Simon, fratres Chriſti, id eſt, matrueles Chriſti: quia filij ſororis matris eius. Igitur hanc Mariam, Iohannes Mariam Cleophe 19. Marcus Mariam Iacobi cap. 6.

 hic

hic a filio, ille a Maria appellat: et id quoque uide, quod Iohannes solam Mariam Magdalenam adducit ad sepulchrum: Mattheus duas, scilicet, Mariam Magdalenam, & alteram, Mariam Cleophe uel Iacobi: Marcus tres, Mariam Magdalene, Mariam Iacobi, & Salome: Lucas tandem plurimas. Nam & Mattheus alteram dixit Mariam sine nomine, ut ostenderet unam & alteram, duas tantum fuisse.

Audio quod D. Conradus Vuimpina nescio quid moliatur aduersus Ecclesiasten Zuuickauiensem propter eandem causam, uidelicet, quod ille historiam S. Annæ confutat, & redarguit præsertim tres illas Marias. Mihi uero difficile uidetur posse illum coargui, quanquam nollem contentione eam Historiam tolli: sed potius propter populum paulatim in seipsa frigescere & cessare, maxime cum sit error ille de pietate descendens, non adeo damnandus, vt ille, quo propter pecunias Sancti coluntur. Vale mi Spalatine in Christo. Ex nostro monasterio. Vigilia S. Thomæ. Anno M.D.XVII.

Conradus Vuimpina.

F. Martinus Lutherus August.

ANNVS

ANNVS CHRIS. M.D.XVIII.

SVO GEORGIO SPAlatino, amico optimo.

Narrat quæ fuerit ipsi contentio cum Thomistis contra Thomam & Aristotelem: ac gaudet de se male dici, indeq; colligit doctrinam suam esse ex Deo. Postremo commendat Eleemosynam pro defuncto impensam.

IHESVS.

36.

SAlutem. Quod me in Dresden aliquot asserant reuictum in conuiuio, mi Spalatine, non mireris; dixerunt & alia iam diu quæcunq; etiam libuerat. Fui sane a Hieronymo Emser una cum Iohanne Lango nostro & Priore Dresdensi nostro pene coactus magis quam inuitatus ad serotinam compotatiunculam. Hic vbi inter amicos me esse arbitrabar: mox intellexi inter medias me insidias coniectũ. Erat unus Lipsensis Magisterculus Thomasterculus, sibi mire uisus omnia nosse: is, ut erat plenus in me odio, primum amice excepit, tandem suborta Disputatione in me acriter & clamose inuectus est: interim foris stabat, me inscio, Frater Terminarius prædicatorum, auscultans omnia, qui (postea id audiui) mire se tortum fuisse iactauit, & ægre se continuisse, ne prodiret, & in faciem

ciem meam ſpueret, ac omnibus nominibus fœdaret: adeo crucifixerat hominem, quod Thomã Magiſterculo illi cõfutarem. Is eſt, uir ille, qui vbiq; iactat vſq; hodie, me adeo fuiſſe conuictum, ut nec latinũ uerbũ, nec uernaculum reſpondere potuerim. Nam quia mixtim (ut fit) uernacula lingua digladiabamur, omni fiducia pronunciauit, me neſcire latinum uerbum. Cæterum diſputatio erat ſuper Ariſtotelis & Thomæ nugis: oſtendi ego nec Thomam, nec omnes Thomiſtas ſimul, uel unum in Ariſtotele intellexiſſe capitulum. In fine, cum glorioſus ille eſſet: petij, ut conflatis omnibus uiribus Thomiſticæ eruditionis, definiret mihi, quid nam eſſet implere mandata Dei: ſcio, inquam, nullum eſſe Thomiſtam, qui id ſciat. Hic homo ex triuio, adhuc memor ruditatis ſuæ, exclamauit: da paſtum (ſic enim uocatur pretium Ludi magiſtrorũ) quid enim aliud reſponderet, qui aliud neſciret? Hoc in ſulſo reſponſo in riſum ſoluti, digreſſi ſumus. Poſtea mihi Prior Dreſdenſis ſcripſit, quam iactitauerint, & in Principis aula quoq; me fœdauerint, ut indoctum, ſuperbum ac neſcio quot nominibus, item quod ſermonem, quem in caſtro feceram, in omnem (præter ueritatem) faciem uerterant. Adduxeram hiſtoriam de tribus quibuſdam uirginibus Theologiciſſimam: has tres poſtea in aula Principis a

me notatas garrierunt. Breuiter genimina serpentum expertus sum: qui & omnia vellent & nihil possent, gloriæ suæ detractum putantes, si quid in me irreprehensum relinquerent. Ego istas laruas contemnens rescripsi, ut quiesceret, sineret & mihi meum Cain & Iudam uiuere. Sed Hieronymus Emser tum enixe sese excusauit: idem & Lipsiæ nouissime me accedens iurauit, nullas insidias sese contra me machinatum: ego, sicut & hodie, contempsisse me dixi tam nihili furores. Si sunt docti adeo: sunt typi & cartæ: edant aliquid & ostendant gloriam magnificentiæ eruditionis suæ. Sermo erat de S. Iacobo maiore: cuius tunc erat dies Festus: super Euangelio: nescitis quid petatis: vbi stulta uota hominum Deo supplicantium taxaui, & quid Christiano petendum esset docui.

Sermo de S. Iacobo.

Episcopus Misnensis.

Episcopo Misnensi quid acciderit satis miror, nisi illud Ecclesiastici, verum patitur in se ipso: honores mutant mores, & uulgo adiectum, sed raro in meliores: nec uidi unquã hominem: nisi quod antea Vicario nostro amicissimum fuisse scio. Sed non mireris, mi Spalatine, de me mala dici. Hæc sunt quæ gaudens audio: nisi maledicerer, non crederem ex Deo esse, quæ tracto. Christus in signum contradictionis ponatur oportet, & in ruinam multorum, non gentium, sed Israel & electorum, egregio-

egregiorumq; uirorum, ut Psalmus. 77. dicit: Et occidit pingues (id est) magnates & optimates eorum: & electos Israel impediuit. Hæc inquam sunt opera Dei, occidere & impedire, non feces Israel (sicut per Prophetam ait) sed capita conquassare, & reges & Pharaones, ut ostendat uirtutem suam.

Scrupulosiolum illum, qui me in τὸ ἀνάθημα lapsum arbitratur, contemno cum fiducia. Nam adeo non metuo decreta ista, traditiones hominum (quas illi solas timent, Deum autem sine fine contemnunt) ut mihi contra illas etiam bellum aliquando suspiciendum « confidam. Non ligat nec nocet ira decretalium, quan- « do tuetur Misericordia Christi. Vtinam diuinam rem facturo, hæc summa & sola sit trepidandi causa. Miror Siluestres nugas non fuisse tibi redditas a Priore Grimmensi: cum tamen literæ meæ illis coniunctæ peruenerint: addidi & Dialogum Luciani, nuper a Mosellano transpositum in latinum, vt lecto simul eo reciperem cum nugis. Præterea additi fuerunt fasciculi aliquot literarum aliunde allatarum, nomini tuo adscriptarum. Poteris ex Grimma sciscitari, si nondum accepisti. De Hebræo nostro alias. Opus bonum, quod pro anima defuncti, iam beata factum fuerit, *Nugæ Syluestri.*

 obsecro

obſecro non nimio æſtimet amicus ille, nec diſputet cui nam proficiat: certum eſt, quod omne opus bonum, primo factori ipſi prodeſt, & tanto magis, quanto pluribus fuerit impenſum. Nō enim ſpiritualia bona, ſicut temporalia donantur. In his fit dator pauperior, in illis autē ditior: quo plus erogatur Spiritus, eo augeſcit magis: quo plus erogatur caro, eo decreſcit magis. Ideoq; non fruſtra fit opus, etiamſi anima eo non egeat. Omnia enim hic ſunt cōmunia: nec eſt ullum opus bonum, quod nō primo includat communitatis utilitatem & Dei uoluntatem, hoc eſt, q; pro hac uel iſta anima ſic operandum eſt, ſi Deus uelit illi id prodeſſe: Sin autem alteri, ante omnia tamen communitati totius Eccleſiæ: hanc intentionem ſpiritus uitiat affectus ille carnis, quo pro una tantū anima uelut reliquis excluſis operari ſoleat. Noſtrum eſt operari: Dei applicare & exaudire. Reliqua alias. Mitto quoq; literas D. Sigiſmundi de Clūma, ut iuxta pactū reſpondeas, quod ei reddam. Vale. Silueſtro noſtris non uidetur reſpondendū: imo conuenit inter nos, eſſe perſonatū aliquem Silueſtrū ex obſcuris uiris, qui tantas ineptias in hominem luſerit ad prouocandum me aduerſus eum. Vale. Formam confeſſionis meditor. 14. Ianuarij. Anno M.D.XVIII.

Forma Confeßionis.

F. Martinus Lutherus.

AD GEOR-

AD GEORGIVM SPALATInum, quæ methodus ſequenda ſit ſtudioſo Theologiæ.

Quam Methodum in diſcendis ſacris literis, ſtudioſus Theologiæ ſequi debeat: cui additum eſt egregium iudicium de Eraſmo, B. Hieronymo, Auguſtino & Ambroſio.

IHESVS.

37.

SAlutem. Hucuſq; ea ex me poſtulaſti, optime Spalatine, quæ fuerunt uel meæ facultatis uel temeritatis: nunc uero cum poſtules dirigi in ijs, quæ pertinent ad pernoſcendas ſacras literas: longe vltra meas vires negotium exigis. Quippe cum nec ipſemet mihi ducem tantæ rei vſpiam queam inuenire. Hic certe diuerſi ſentiunt diuerſa, & hi ſane omnium eruditiſſimi & ingenioſiſſimi. Habes Eraſmū, qui palā adſerit D. Hieronymum talem eſſe in Eccleſia Theologum, ut ſolum uelit uideri: huic ſi ego oppoſuero D. Auguſtinum, non ſolum propter profeſſionis ſtudium, ſed etiam propter euulgatum iam diuq; receptum Eraſmi iudicium, videbor iniquior & ſuſpectior arbiter: quando ille dixerit impudentiſſimū eſſe, ſi Auguſtinum Hieronymo quis comparauerit. Deinde aliorum alia ſunt iudicia. Ego pro paupertate & eruditionis & ingenij de tantis rebus, inter tantos iudices

nihil ausim statuere. Ego denique apud eos (id est omnes) qui bonas literas uel oderunt studio, uel nesciunt ignauia, Erasmum summis laudibus semper effero, atque tueor quoad possum, omni industria cauens ne euomam ea, in quibus dissentio, ne mea quoquo voce suam inuidiam in illum confirment. Quanquam sunt quam multa in Erasmo, quæ mihi ad cognitionem Christi longe aliena uideantur: si tamen, ut Theologus, non ut grammaticus loqui debeo; alioqui nihil eruditius, nihil ingeniosius uiderit uel ipse Hieronymus, tanto prædicatus ab Erasmo præconio. Atque hoc meum de Erasmo iudicium, si alteri feceris notum: tum scias amiciciæ iura te uiolasse. Non imprudens te moneo. Multi sunt (ut scis) omni studio occasionem querentes ad calumniam bonis literis. Secretum itaque tibi sit, quod dixi: imo mihi non credas, donec ipsos probaueris legendo: si tamen uel meum extorques studij institutum, nihil te plane cœlabo, ut amicissimum, ita tamen ut me non nisi iudicio sequaris.

Primum, id certissimum est, sacras literas non posse uel studio uel ingenio penetrari. Ideo primum officium est, vt ab oratione incipias, tali uidelicet qua ores, si Domino placuerit, per te aliquid fieri in gloriam suam, non in tuam, non in ullius hominis: tibi

Oratio.

concedat

concedat misericordissime uerum suorum uerborum intellectum. Nullus enim est diuinorum uerborum magister, præter ipsummet uerbi sui authorem, sicut dicit: erunt omnes docibiles Dei. Igitur de tuo studio desperes oportet omnino, simul & ingenio: Deo autem soli confidas & influxui spiritus. Experto crede ista deinde statuta, humili desperatione Bibliam ab initio legas ordine vsque in finem, vt simplicem primo historiam memoria capias (quod tamen te iam diu fecisse credo) ad quod eximie proderit D. Hieronymus in suis tum epistolis, tum commentarijs: uerum ad cognitionem Christi & gratiæ Dei (id est) ad secretiorem spiritus intelligentiam, longe mihi plus uidetur conducibilior D. Augustinus & Ambrosius: maxime cum D. Hieronymus nimis origenizare, id est, allegorizare uideatur. Hæc tamen saluo Erasmi iudicio dixerim, quia non tu Erasmi, sed meum iudicium postulasti. *Lectio Biblica.*

Incipies autem (si mea tibi placent studia) Beatum Augustinum de spiritu & Litera, quem iam noster Carlstadius homo studij incomparabilis explicauit miris explicationib. & edidit: deinde librũ aduersus Iulianum: Item aduersus duas Epistolas Pelagianorum. Adde B. Ambrosium de vocatione omnium *Lectio Augustini.* *Carlstadius.*

Gentium

Gentium, licet & stylus & ingenium, sed & Chronica alteri, quam Ambrosio, nuncupet eum Librum, eruditissimum tamen. Cætera postea, cum hæc tibi placuerint: & meæ parces temeritati, quod in re tam ardua audeam, ultra tantos uiros meum studium proferre. Vltimo Apologiam Erasmi mittam: sed vehementer doleo, inter tantos literarum principes tantum ortum incendium: longe quidem superat Erasmus, & melius loquitur, sed etiam acerbius: licet multis agat, ut amiciciam seruet. Vale mi Spalatine, ex nostro monasterio die S. Priscæ, quo dederas tu literas tuas. Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus.

Quod hæc Epistola, scripta Anno 1516. nō est suo loco collocata, in.e est quod post absolutum eius anni catalogum, primū ab amicis eam accepimus.

REVERENDO ET RELIGIOSO Patri, F. Iohanni Bercken &c. Eremitarum Augustinensium Moguntiæ Priori.

Officiose rogat Priorem Moguntinensem, ut Fratrem fugitiuū ad se remittat, largam iubens illi peccatorum ueniam polliceri.

IHESVS.

SAlutem in Domino. Reuerende & optime Pater Prior, auditu non bono audiui, apud Pat: tuam esse quendam Fratrem meum Georgium Baumgartnerum, ex Conuentu nostro Dresdensi: qui ad Pat: tuam

tuam causis & modis, proh dolor, pudendis peruenit. Gratias autem ago fidei tuæ & officioso officio, quod illum suscepisti, ut finis fieret turpitudinis. Mea est ouis illa perdita, ad me pertinet: meum est quærere illam, & reducere errantem: si Domino Ihesu ita placuerit.

Rogo itaq; Pat: tuam per communem in Christo fidem, & in S. Augustino Professionem, si quoquo modo poterit officiosa charitas tua, eum ad me uel in Dresden, uel Vuittembergam mittas, uel ire ei persuadeas, amice & benigniter inducas, ut sponte ueniat. Obuijs eum suscipiam manibus, tantummodo ueniat: non est quod metuat offensionem mei.

Scio, scio, quod necesse sit scandala venire: nec est miraculum hominem cadere: sed miraculum est hominem surgere & stare. Cecidit Petrus, vt hominem se sciret esse: cadunt hodie quoque cedri Libani: qui cœlos uertice stante attingunt: sed & angelus (quod omnia stupenda superat) in cœlo cecidit, & Adam in Paradyso. Quid mirum igitur, si arundo agitetur turbine, & limum fumigans extinguatur? Dominus Ihesus doceat te, & faciat tecum atque perficiat opus bonum, Amen. Vale ex Dresden nostro

Conuentu, Die Sanctorum Philippi & Iacobi, Anno M. D. XVI.

F. Martinus Lutherus, sacræ Theologiæ Professor, & Vicarius per Misnam & Thuringiam Eremitarum S. Augustini.

SVO GEORGIO SPAlatino optimo inter amicos amico.

Docet in bonis operibus timorem & fiduciam misericordiæ præmittendam esse: deinde asserit uirtutem indulgentiarum nullam esse: ac dolet Principem accusari quasi patronum suæ causæ: & se offert ad disputationem.

39.

SAlutem. Sicut scribis imo præscribis faciundum, ita facio, optime Spalatine, vt per te illustrissimo Principi gratias agam, pro egregio planeq; principali munere carnis ferinæ nostris nouellis (vt dicunt) Magistris donato: dixiq; id vniuersis a Principe donatum. Mire autem & mihi plus placuit animus Principis (vt scribis) clementiss: & donando benigniss: siquidem & homo diligit hilarem datorem. Subnectis iterum duas quæstiunculas. Vnam: qualis sit formanda intentio sacrificaturo, uel cætera pia opera facturo.

cturo. Breuiter respondeo: intentio desperationis & cõfidentiæ tibi semper habenda est in quocunque opere. Desperationis quidem propter te & tuum opus: confidentiæ uero, propter Deum & misericordiam eius. Sic enim dicit spiritus: beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eos, qui sperant super misericordiam. Timor enim quoddam desperationis initium est. Atque ut clare dicam: quoties sacrificare uel operari uoles: scito sine omni scrupulo firmiter credens, tale opus prorsus non posse Deo placere, quantumcunque bonum, magnum, laboriosum fuerit, sed reprobatione dignum. Ideo tu esto Prior iudex tuus, & te una cum opere talem accusa & confitere coram Deo. Quæ confessio & accusatio (quia uenit ex timore diuini iudicij, coram quo nullum opus potest subsistere) faciet ut sit gratum: imo non tam opus, quam eius illa accusatio Deo placet: ita vt Deus opera bona magis præceperit ad occasionem talis nostræ accusationis & timoris sui, quam ut in ipsis quærat sibi seruiri. Sic dicit Psalm: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et alius: Iustus primo est accusator sui. O ignorata diu definitio Iusticiæ. Quid est iusticia? Est accusatio sui. Quid iustus? Accusator sui.

quare? quia præuenit iudiciū Dei, & idem damnat, quod Deus damnat, scilicet seipsum. Ideo per omnia cōsentit cum Deo, & eiusdem iudicij, eiusdem voluntatis est cum Deo, ac per hoc verax, Iustus &c. Sic B. Aug: lib: 9: conf: væ hominum vitæ quantumlibet laudabili si remota misericordia iudicetur. Et B. Hieron: illud Psal. 32. pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno, Dial. contra Pelag. tractans dicit: quomodo est sanctus, si pro impietate orat? aut quomodo est impius si est sanctus? &c. Ita omnino docebit te B. Augu: quod omnes sancti sunt peccatores. Igitur sic de te desperatus, & idipsum Domino humiliter confessus, iam sine scrupulo tibi præsumendum est de misericordia eius. Non minus enim peccat, qui de eius misericordia diffidit, q̄ qui in operibus suis confidit. De se uult præsumi: de nobis omnino desperari. Sc in lege Moisi olim figurauit, quando præcepit, non tollendam a debitore molam inferiorem & superiorem, id est, a peccatore non remouendam spem neq; timorem: sed inter utrumq; molendum & conterendum. Sic B. Iob. verebatur omnia opera sua. Et Ecc. c. 9. Beatus homo, qui semper est pauidus. Igitur tantum bene operaberis, quantum de misericordia Dei præsumpseris, & de opere tuo desperaueris. Tum enim iam non tu nec pro gloria tua,

sed Deus

ſed Deus pro gloria ſua in te operatur. Quia nõ quęritur hic niſi vt glorificetur eius miſericordia in nobis, non vt inflemur de operibus noſtris in Deum. Et hæc eſt optima, ſola, vltima intentio omnium.

Secundo de virtute indulgentiarum quantum valeant. Hæc res in dubio adhuc pendet: & mea diſputio inter calumnias fluctuat: duo tamen dicam: Primum tibi ſoli & amicis noſtris, donec res publicetur: Mihi in indulgentijs hodie videri, non eſſe niſi animarum illuſionem, & nihil prorſus vtiles eſſe, niſi ſtertentibus & pigris in uia Chriſti. Etſi hanc ſententiam non tenet noſter Carolſtadius: certum eſt tamen mihi, quod eas nihil ducit. Nam huius illuſionis ſuſtollendæ gratia, ego veritatis amore, in eum diſputationis periculoſum labyrinthum dedi me ipſum, & excitaui in me ſexcentos Minotauros, imo & Rhadamanthotauros & Cacotauros.

Secundum in quo non eſt dubium, quod & ipſi mei aduerſarij coguntur fateri & tota Eccleſia ſcilicet, quod eleemoſina & ſubuentio proximi incomparabiliter melior eſt, quam indulgentiæ. Ideo tibi ſit conſultum, vt nullas redimas indulgentias, donec inuenias pauperes, & egenos proximos, quibus dones, quod pro indulgentijs donare velles. Si ſecus egeris: ego ſum excuſatus, tu videris. Non dubito quin iram

mereatur, qui relicto egeno indulgentias redimit. Sed plura Deo uolente uidebis, ubi nostrarum positionum probationes edidero. Ita enim me cogunt homines illi ipsa rudiores ruditate, qui in omnibus concionibus me hæreticum clamant: quin eo furunt vsque, vt Vniuersitatem Vuitembergẽsem propter me infamem conentur facere & hæreticam. Ego multo amplius laboro, quomodo me ipsum cohibeam, ne illos contemnam, & sic peccem in Christum: quam quomodo eos triumphem. Adeo enim sunt vacui humanarum & diuinarum literarum, vt dedecoris sit res plenissima, cum illis certare: atque ea ipsa tamen ignorantia incredibilem illis parit audaciam, & plusquam æream frontem. Solis autem suarum laruarum & lemurum sunt umbris animosi, quibus adeo sunt referti, &, ut eorum quoque more strideam, inessentiati: ut desperandum prorsus sit de eorum correctione. Vnum illud te nosse uolo, quod uehementer doleo, uidelicet: illi ipsi rabulæ & multi alij cum illis noua machina instructi vbiq; garriunt, Principis nostri illustrissimi esse totum, quod ego ago, tanquam inductus ab eo ad inuidiam Archiepiscopi Magdeburgensi: Tu quæso consule, quid hic faciendum: Principi ne sit aperiendum. Ego mei causa Principem in suspitionem uenire, egerrime omnino

Causa edendæ probationis propositionum de indulgentijs.

nino fero: & inter tantos Principes dissidij origo esse, valde horreo & timeo.

Possum sustinere, ut me Princeps offerat ad quamcunque disputationem uel iudicium (modo publica mihi detur fides) tantum ne innocentem Principem in meam quoque inuidiam inuoluant. Vide monstrosum hominum genus, & tenebrarum populum lucis inimicum. Iohannem Reuchlin ultra tres prouincias inuenerunt & traxerunt inuitum: me ante fores inuitantem & rogantem spernunt & in angulis garriunt, quod defendere se non posse uident. Sed vale tandem & Macrologo & perissologo mihi ignosce. Cum amico enim uerba feci. Ex nostro Monasterio. Quinta decima Febr: Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus August:

SVO GEORGIO SPAlatino optimo amico.

De reformatione lectionum Academiae.

IHESVS.

JHESVS.

40.

SAlutem. Fuimus nuper apud Dominum Doctorem Carolstadium optime Spalatine, & cæpimus tractare id quod dudum obtulisti, videlicet: de lectionibus studij nostri mutandis uel instituendis. Et quod non iam diu tibi super ijs scripsi, fuit in causa, quod res desperationis fere omnibus uideretur: præsertim quod timemus illustrissimum Principem nostrũ grauari tanta expensa. Tamen ut satis fiat tibi, tuæq; uoluntati, mitto hic schedulam, in qua quid nobis tunc uideretur, poteris legere. Quanquam si ita posset institui Sutdium, Deum immortalem, quanta esset hæc gloria nostri & Principis & studij, ac uera occasio omnium vniuersitatum reformandarum: quin & citius vniuersæ barbariæ eliminandæ, omniq; eruditioni cumulatissime augmentandæ. Tu tuo utere in his consilio. Vale, Vuittembergæ. Vndecima Martij. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus

August.

ERVDITISSIMO ET AMICISSIMO simul, suo Georgio Spalatino, Augustæ agenti in Christo syncere amando.

Petit

Petit per Principem impetrari à Cæsare, ut committatur causa sua ad partes Alemaniæ.

IHESVS.

41.

SAlutem. Opera tua, mi Spalatine, nunc quam maxime indigeo, imo indiget fere totius nostræ mecum uniuersitatis honor: ea autem est, vt apud Principem illustrissimum & D. Pfeffingerum solicitus sis, quatenus Princeps noster & Cæsarea Maiestas mihi apud summũ Pontificem impetrent remissionem seu commissionem causæ meæ ad partes Alemaniæ, sicut scripsi Principi nostro. Sic enim uideo, q͞p subdole & malitiose agant prædicatores illi homicidæ mei in meam pernitiem. Scripsissem ob idem Domino Pfeffingero, ut suo & amicorum officio hanc gratiam mihi obtinerent, apud Maiestatem Cæsaream & Principem. Hæc autem festine fieri oportet: tempus mihi angũstũ prescripserunt, sicut cernis in hac lerna citationis: leges una cũ hydris & portentis suis. Itaq; curabis, si me amas, & iniquitatem odis, ut mox consilium & auxilium Principis exquiras: quod vbi exquisieris, mihi, imo magis R. Patri Vicario nostro Iohanni Staupitz significabis: qui forte iam uobiscum Augustę est, aut mox futurus est. In Saltzburga enim moratur, ad festum Assumptionis promisso aduentu

P suo

ſuo Nurmbergenſibus. Demum rogo te nihil moueris nec triſteris pro me: Dominus faciet cum tentatione prouentum. Dialogo Syluestrino, uere ſylueſtro & penitus inculto iam reſpondeo, quod totum mox habebis, ut paratum fuerit: eſt idem homo ſuauiſſimus mihi ſimul aduerſarius & iudex, ut in citatione uidebis. Vale, multis ſcribundis occupatus non permittor eſſe prolixior. Vuittembergæ, die S. Ciriaci. Anno M. D. XVIII.

Reſpōſio ad Dialogum Syluestri.

F. Martinus Lutherus August:

REVERENDO SIBI PATRI Iohanni Lango, S. Theologiæ Licentiato, Eremitarum Erffurdenſium Auguſt: Priori, in Domino ſibi ſuſpiciendo.

Recenſet inſaniam Prædicatorum indulgentiarum aduerſus ſe: narrat etiam conflagrationem poſitionum Tetzellinatum: oſtenditq; earum autorem eſſe D. Vuimpinam.

IHESVS.

41.



SAlutem. Miſeram ad te Reuerendiſſime Pater aliquot ſexterniones, explicationum Carlſtatinarum ſuper librum de ſpiritu & litera, ſicut & nonnullis

aliis:

alijs: at memoria confusus ignoro, quot, quibus, exhibuerim. Si ergo omnes percepisti: nouem debes habere, si quo minus, rescribe & supplebo. Huc usque enim impressa habemus. Nam decubuit atque etiam nunc decumbit Doctor Carlstad: febribus: ita intercidit atque iacet negocium.

Aduersus me, mire fulminant de suggestu, veniarum fabulatores, ut tandem non satis habeant portentorum, quibus me agnominent, addunt minas, quibus alius intra quindenam, alius intra mensem, me promittunt populo, certissime comburendum: edunt aduersum positiones contrarias, ita ut metuam, ne aliquando rumpantur præ iræ multitudine & magnitudine: denique suadetur mihi ab omnibus ne adeam Heidelbergenses, ne forte, quod ui non possunt, insidijs in me perficiant. Ego tamen obedientiæ satisfaciam, & pedester ueniam, transiboque per Erffurdiam (Deo volente) sed noli me expectare, quia vix tertia feria post Quasimodogeniti exibo. Princeps noster, miro affectu, solidis his studijs Theologiæ inclinatus, acriter me & Carlstadium in protectionem, non rogatus suscipit, nullo modo passurus, ut me ad urbem trahant, quod illi non ignorantes, sat cruciantur.

Minæ contra Lutherum.

Conflagratio positionum Tetzellinarum.

Vt autem sis præmonitus, si qua fama forte ad uos peruenerit de conflagratione positionum Tetzellinarum, ne plus ullus addat (ut solet fieri) quam sit rerum gestarum, hæc est fabula. Studentes, ut sunt mire pertesi sophistici huius antiqui studij, cupidissimi uero sacræ Bibliæ, forte & mei fauoris studio, cum rescissent, aduenisse uirum ab Hallis, missum a Tetzel autore positionum: statim adeunt, & hominem terrentes, quod talia huc auderet afferre, aliquot quidam emerunt, alij uero rapuerunt, & reliquas omnes ferme 800 (præmissa intimatione & conuocatione & si quis uellet adesse conflagrationi & funeri Positionum Tetzellinarum, veniret ad forum, hora secunda) combusserunt: atque hæc inscio Principe, Senatu, Rectore, denique omnibus nobis. Certe mihi & omnibus displicet illa grauis iniuria homini a nostris illata. Sum extra noxam: sed timeo quod totũ mihi imputabitur. Fit ex ea re ingens vndique fabula: sed maior illorum, non iniusta denique indignatio. Quid futurum sit nescio, nisi quod periculum meum eo ipso fit periculosius.

Doctor Conradus Vuimpina ab omnibus cla„ matur autor illarum positionum: & certum habeo ita „ esse. Quare vnam ad te mitto, de incendio raptam, ut „ uideas, quam insaniant contra me. Cæterum studium nostrum

nostrum ea proficit spe, ut futurum esse propediem expectemus, nos habere lectiones utriusq;, imo triplicis linguæ, Plinij, Mathematicarum, Quintiliani, & nonullas alias optimas, reiectis ineptis illis Petri Hispani, Tartareti, Aristotelis lectionib. Atq; ea res & placet Principi, & iam in concilium recepta tractatur. Commenda me patribus & fratribus, Patrem M. Vsingensem saluto, & P, M. Iohannem Nathin similiter. Vuittembergæ. die S. Benedicti. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus.

PRAEFATIO REVERENDI Patris, D. Martini Lutheri, in Libellum S. Augustini de Spiritu & Litera, ex Autographo descripta.

45.

NOn sine causa statutum est, vt hic Libellus S. Augustini de spiritu & litera, in hac schola publice legeretur, præsertim hoc seculo nostro: in quo Papistæ plus quam Pelagiani rabiose etiam insectantur gratiam Dei, qua gratis iustificamur in Christo, ut defendant & stabiliant suas satisfactiones, missas & merita. Quare debent studiosi Theologiæ hunc libellum sibi facere familiarem, ut resistere possint

& confutare uoces illas rabiosas Papistarum vociferantium: nos nouum Doctrinæ genus in Ecclesiam inuehere. Nam hic Liber S. Augustini, non est nouus: sed conuincit Papistas esse nouorum dogmatum inuentores: qui huic doctrinæ ueteri & ab Apostolis traditæ, superinduxerunt suas impias & sacrilegas opiniones, quibus eam flagellauerunt, crucifixerunt, & sepelierunt.

Extat apud eos uox satis satanica, sed pro canone theologico illis habita, scilicet, Augustinum in his rebus esse locutum excessiue. Sic enim eluserunt sancti uiri doctrinam & operam, ne uincerentur autoritate S. Augustini, & cogerentur sua commenta nepharia deserere: quo simul testimonium sibi ipsis sunt, non ignoranter sese docuisse & defendisse sua portenta, ut qui pulchre scirent & legissent Augustinum longe lateq; ipsis dissentire. Vnus ex illis Gregorius Ariminensis ausus est Lutetiæ, Augustinum producere, & Sophistis opponere in hac materia: sed non præualuit, scilicet obruentibus eum Sorbonæ Theologis, & pro Pharisaico suo supercilio, decernentibus Augustinum esse locutum excessiue.

Cum igitur non sit cuiusuis omnia opera Augustini sibi comparare: necessarium uisum est, pro tenuioribus unum & alterum libellum S. Augustini edere:

edere: ut videat vnusquisq;, nos neque primos, neq; solos esse, qui Sophistarum impiam Theologiam, impugnare ausi simus: neq; nos esse, sed ipsos potius fuisse nouarum rerum authores in ecclesia Dei: qui relictis terminis, quos Patres constituerunt corda simplicium in suos tortuosos & deuios colles (ut scriptura dicit) præcipitauerunt: ut iuxta uerbum Prophetæ, populus Christi sit ipsius oblitus diebus innumeris, & coactus fornicari cum infinitis amatoribus, seu dijs alienis, qui nec die nec nocte eis requiem dederunt.

De laudibus uero Augustini nihil hoc loco dicam, nisi hoc unum, quod experientia doctus possum affirmare tuto: Post sacras literas nullum esse Doctorem in Ecclesia, qui sit illi cõferendus eruditione Christiana. Alijs suas laudes cõcedo: sint loquẽtes ut Chrysostomus: literis secularib. instructi, vt Hieronymus: sed in omnibus simul collectis non inuenies dimidiũ, quantũ in solo Augustino. Quare si potes, & tibi uacat post sacras literas elige tibi Magistrũ hunc S. Augustinũ, maxime vbi contra Pelagianos, Donatistas, & Manicheos pugnat. Hic est enim uir, solidæ eruditionis in Christo. Habet sane & ipse libros quosdã in principio suæ functionis scriptos: sed hos legendos esse censeo, vbi horas habebis superfluas & otiosas:

quales

quales ego non paucas aliquando perdidi in Hieronymo, Chrysostomo & similibus. Quod si mihi experto non credis: poteris mea quidem causa ipse periculum facere, & postea mecum pœnitere. Dominus noster dirigat & seruet nos spiritu suo sancto in gloriam suam & salutem nostram, Amen.

OPTIMO ET INTEGERRImo amico, Iohanni Syluio Aegrano, artium & Philosophiæ Magistro, Ecclesiastæ Cygneo, sibi in Domino semper obseruando.

Hortatur Aegranum, ut Ochsenfartium aduersarium, fretus causæ suæ bonitate, contemnat, sicut se Eccij rabiem in Obeliscis contemnere ostendit, simul conquerens de Theologorum suæ ætatis crassissima ignorantia

44.

SAlutem. Vidi positiones D. Doctoris Hieronymi Ochsenfarts, aduersus te, vt videtur, conflatas, citra tamen nominis tui notam. Cõstans & fortis esto mi Aegrane, sic oportet fieri. Si hæc essent de mundo: mundus, quæ sua erant, diligeret. Quidquid in mundo est, in mundo moriatur necesse est, vt glorificetur Spiritus. Tu si sapis, congratulare mihi, & ego tibi.

Scripsit nuper aduersus meas propositiones, obelis=cos aliquot insignis vereque ingeniosæ eruditionis, & eruditi ingenij homo, & quod magis urit, antea mihi magna recenterque contracta amicicia coniunctus, Io=hannes Eccius ille, theologiæ Doctor, Procancel=larius Ingolstadiensis Studij, Canonicus aistetensis, nunc denique Augustensis Aedis concionator, uir iam celebris, etiam Libris inuulgatus: & nisi cogitationes Satanæ scirem: mirarer quo furore ille amicicias recen tissimas & iucundissimas solueret, nihil monens, neque scribens, neque valedicens. Eccius.

Scripsit vero Obeliscos, in quibus me appellat vinolentum, Bohemum, hæreticum, seditiosum, procacem, temerarium: iam leuiores contumelias omitto, quod dormitantem, ineptum, indoctum, tan=dem summi pontificis contemptorem: breuiter nihil aliud nisi teterrimas contumelias, expresso nomine meo, & signatis Positionibus meis: ita vt in obeliscis illis nihil sit, nisi liuor & ferrugo animi furiosissimi. Obelisci Eccij.

Volui tamen hanc offam Cerbero dignam ab=sorbere patientia: sed amici coegerunt, illi vt respon=derem, sed priuata manu. Benedictus Dominus Ihe=sus, imo solus sit in gloria: nos merito operiat confu=sio. Gaude mi frater, gaude, & non sic terrearis ab istis folijs uolantibus, ut desistas docere, sicut cepisti,

Q sed

ſed ſicut palma in Cades aduerſus opprimẽtia põdera

Ego quo magis illi furunt, eo amplius procedo: relinquo priora, vt in illis latrent: ſequor poſteriora, vt & illa latrent. Perge feliciter, tantum ora Dominũ, ut ipſe ſuam gloriam operetur, fiatq; ſua voluntas. Scripſi autem Domino D. Hieronymo Ochſenfarts, non mihi errores uideri, quę tu aſſeruiſti, ſed veritates: videri etiam mihi ſuas Poſitiones pro maiore parte, erroneas: & me paratum eſſe, nec diffidere, vt defendas & tuos & meos errores. Siquid autem ex ſcholaſticis Doctoribus protulerint: ſciret ſe nihil apud nos agere, niſi uerba perdere.

Scholaſticorum Theologorum ignorantia in ſacris literis.

Prope eſt, ut iurem, nullũ eſſe theologum ſcholaſticum, qui unum capitulũ Euangelij uel Bibliæ intelligat, præſertim Lipſenſem, imo ne philoſophi Ariſtotelis unum capitulum: quod cum gloria ſpero me probaturum: ſi examinandi daretur facultas: niſi id eſt Euangelium noſſe, ſyllabas pronunciare, vtcunq; tamen. Quare nõ timeas a facie ignorantiæ: cedat ex animo titulorum ille fragor, Doctorum, Vniuerſitatum, Magiſtrorũ: larue enim ſunt & facies (ne paueas, quorum corda uides) nec hominum: ſaltem laruæ faciem. * Dominus doceat & confortet te: In quo bene vale. Vuittembergæ, Vigilia annunciationis Dominicæ. Anno M.D.XVIII. Mar. Luth. Auguſt:

SVO

SVO GEORGIO SPALAtino, sacerdoti Christi, ducalique Bibliothecario, Vuittembergæ, sibi in Christo.

Itineris sui Heidelbergensis molestias narrat.

IHESVS.

45.

SAlutem. Credo te, mi Spalatine, omnia ex Pfeffingero nostro intellexisse: quæ mutuo locuti sumus, cum obuiam uenissem ei in uilla Iudenbach. Inter cætera enim & id mihi solatij fuit, quod occasio dabatur, diuitem uirum aliquot nummis pauperiorem reddendi. Scis enim, quam mihi placeat, diuitibus si qua commode possum, nõ innoxium fieri, præsertim amicis. Nam data opera, etiã pro alienis comitibus duobus soluebat prandium, simul & pro omnibus nobis 10 gro: Nam etiam nunc, si potero, efficiam, ut illustrissimi Principis nostri Oeconomus hic Coburgensis, pro nobis soluat: quod si nolit, nihilominus principiali uiuimus expensa.

Nondum uidi sane hominem: nec scio an sim uisurus. Cum enim uesperi uenissemus ualde fessi, tradidimus per nuncium literas: at ipse sero in castrũ ascendit, nec dum reuersus: nescio quid sit facturus, forte occupatior est, quam ut nostri curã possit admittere.

Deinde nuncius ipse Vrbanus satis memor est, sibi commissum esse, ut ad Vuirtzburgen: nobiscum eat. Ideo siue ille ueniat siue maneat, cras prosequemur iter nostrum, Deo prosperante.

Cætera omnia salua sunt, gratia Dei, nisi quod me peccasse confiteor, quia pedester uiam cepi. Verum id peccati, cum sit contritio perfecta, & satisfactio plenissima mihi imposita, non eget remissione indulgentiarum; vehementer fatigor & nunquam uacant uecturæ, & sic abunde nimis, valde, satis, conteror, pœniteo, & satisfacio.

Fui huc usque ignotus cunctis, nisi quantum præsentia Pfeffingeri me notum fecit: sed & in Vueissenfels Pastor mihi ignotus, me eximie & agnouit & tractauit. Est enim Magister Vuittembergensis. Alia non habeo, quæ scribam modo, nisi ut Deum pro me ores, & salutes illum podagrosum patrem Reuerendum Iacobum. Vale, ex Coburgo, feria quinta post quasi modo geniti hora 5. vesperi. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus
August:

SVO GEORGIO SPALATINO
sacerdoti Christi in Vuittemberg.

Quomodo

Quomodo ab Episcopo Herbipolensi pedester sit exceptus.

IHESVS.

46.

SAlutem. Venimus tandem Herbipolim ipsa dominica Misericordia Domini, mi Spalatine: eodemq; uesperi obtulimus literas illustrissimi Principis nostri. Sigismundum de Thungen non inuenimus: aberat enim, nec rediturus biduo aut triduo dicebatur.

Ipse uero R. Dominus Episcopus acceptis literis me uocauit, & facie ad faciem locutus uoluit suis expensis itidem nuncium mihi sociare per uiam usq; ad Heidelbergam: at ego, cum hic plures Ordinis mei inuenissem, præsertim Priorem Erffurdensem Iohannem Langum nostrum, gratias egi clementissimo Principi, non necessarium ratus, ut mei causa nuncius occuparetur. Volo enim cum illis uectari, cum satis sim eundo lassatus. Id solum petij, dignaretur me literis testimonialibus pro fide (ut dicitur) publica prouidere, quas iam hac hora accepi: & egrediar in curru, relictis literis Sigismundi de Thungen, apud Capellanum Reuerendissimi Domini.

Nuncio nostro Vrbano, si quid amplius donaretur, dignum mihi uideretur. Nostra enim causa tar-

dius per uiam ire coactus est: id apud Hirsfeldium nostrum agerem, si præsens essem. Sic enim meretur hominis fides & integritas: & tu quoque intercessor esto: ego pauper sum & esse debeo, parum ei tribui. Spes Francorum est super futuro vini incremento. Ita enim diuinant ex Maij istius prosperitate. Vale ex Monasterio nostro Vuirtzburgensi, feria 2. post Misericordia Domini. Anno M. D. X VIII.

F. Martinus Lutherus August:

EGREGIO ET OPTIMO VIro Domino Iudoco Eisennacensi Theologo & Philosopho primo, sibi in Domino maiori semper venerabili.

IHESVS.

47.

SAlutem in Domino. Fui ad ostium domus tuæ hesterno uesperi, optime uir, & reuerende mi Præceptor, uolens loqui tibi, & ore literis tuis respõdere, quas nuper ad me dedisti, motus, ut clarissime sensi, nimio mei affectu, & solicitatiore cura, quam ego meruerim unquam: sed famulus tuus ostiarius dixit, te nõ usque adeo ualere, ut accessum meum ferre posses: atque ita abij. Ideo nunc literis respondeo, plane non omnibus, quæ tu mouisti, quod forte alias faciam ociosior.

Primum

Primum gratias ago tuæ erga me anxię, mihi indebitæ charitati atq; rogo te per Dominum Ihesum, ne tu vnquam suspiceris, me posse ex te offendi adeo, vt te literis mordacibus & ignominiosis confundere uelim, sicut scribis, & times me forte facturum. Neque enim hanc vindictam in eos exerceo, qui mihi aduersantissimi, nominatim e suggestis ad populum pronunciant hæreticum, insanum, seductorem, et nescio quot dæmonibus obsessum: quanto minus tibi redderem malum, cui debeo omne bonum: doleo profecto etiam in te esse ortam tanti mali in me suspitionem.

Deinde Positiones meæ displicent, atq; ita futurum suspicabar: verum de ijs, quæ gratiam & opera tangunt, scias optime uir, me neq; solum neque primum esse earum assertorem. Scis ingenia eorum, qui apud nos sunt, puta Carlstadij, Amsdorffij, Docto: Hiero: D. Vuolffgangi, vtriusq; Feldkirchen: denique D. Petri Lupini. At ij omnes constanter mecum sentiunt, imo tota Vniuersitas, excepto vno ferme Licentiato Sebastiano, sed & Princeps & Episcopus Ordinarius noster: deinde multi alij Prælati, & quotquot sunt ingeniosi ciues, iam uno ore dicunt, sese prius non nouisse, nec audiuisse Christum & Euangelium.

Istis

Iſtis ingenijs, par eſt, ut meum non præferam: atq; cum ipſi in Scholaſtica Theologia ſint, ut noſti, eruditiſſimi & exercitatiſſimi, patere quæſo, me cum eis ſapere uel deſipere, donec diſcutiatur per Eccleſiam. Atq; ut me etiam reſoluam: ego ſimpliciter credo, ꝙ impoſſibile ſit Eccleſiam reformari: niſi funditus Canones, Decretales, Scholaſtica Theologia, Philoſſophia, Logica, ut nunc habentur, eradicentur
,, & alia ſtudia inſtituantur: atq; in ea ſententia adeo
,, procedo, ut cottidie Dominum rogem, quatenus id
,, ſtatim fiat, ut rurſum Bibliæ & S. Patrum puriſſima
,, ſtudia reuocentur. Tibi uideor non eſſe logicus, forte
,, neq; ſum: id autem ſcio, quod nullius logicam timeo,
,, in defendenda iſta ſententia.

De alijs autem Poſitionibus indulgentiarum, prius tibi ſcripſi, mihi non placere earum tam uaſtam inuulgationem. Nuſquam enim id auditum eſt fieri: nec potui ſperare futurum, quod in iſtis ſolis contigit, alioqui clarius eas poſuiſſem, ſicut feci in Sermone uulgari, qui tibi plus ijs omnibus diſplicet.

Obſecro te, mi Domine & mi in Domino Pater, non etiam tibi diſplicet, quod miſer populus Chriſti, tamdiu uexatur, & illuditur, per indulgentias? Adeo ne magna res eſt, remiſſio temporalis & arbitrariæ ſatisfactionis, ut populum neceſſe ſit, in fidei pericu-

lum

lum uenire? Siquidem nullus hominum ferme est, qui nõ aliquid magni uelut gratiam Dei se consequi credat per indulgentias. Bonum erat, ut nos ipsi primo rem detegeremus: ne nobis rem uelantibus, ipsi tandem per se intelligant pias illas, ut uocant, imo impiissimas fraudes venaliũ exactorum: & reddant quod meriti sumus. Ego sane fateor, uellem quod nullæ essent in tota ecclesia indulgentiæ, quas nec Itali curant uel pilum: nisi quod lucrum tantum promouent: imo ipsum lucrum atq; aliud nihil promouent: ut latius dicam in probationibus meis, Deo uolente, statim uulgandis.

Miror autem quod etiam credere potuisti, me fuisse Autorem concremationis positionum Tecellinarum: adeo mihi omnem sensum humanum perijsse credis, ut tam insignem iniuriam, ego religiosus, & Theologus in loco non meo, homini tanti officij, irrogarem? Sed quid faciam, quando omnes omnibus omnia credunt de me? ego ne possum omnium linguas prohibere aut præuenire? dicant, audiant, credant, quilibet, quælibet, vbilibet uelint: ego agam, quantum Dominus dederit, & neq; timebo, neq; presumam, Deo propitio, unquam.

Quod autem Magistrum Iohannem Aegranum defenderim in Zuiccauia Ecclesiasten: non est uere tibi dictum.

bi dictum. Homo doctus est & mei nihil egens: scripsi sane epistolium: quo approbaui sua dicta a Lipsensibus Theologis in calumniam satis insidiose traducta. Non potui negare homini iudicium meum tam obnixe postulanti: sed si pateris, discipuli tui & obsequentissimi famuli tui, id est, meam confidentiam: ex te primo omnium didici, solis Canonicis libris deberi fidem, cæteris omnibus iudicium, ut B. Augustinus, imo Paulus & Iohannes præcipiunt.

Sine ergo, mihi licere id idem, in Scholasticos: quod tibi & omnibus licitũ fuit hucusq;: volo sequi, si per Scripturas aut ecclesiasticos Patres, meliora fuero doctus: sine quibus, volo Scholasticos audire, quo ad sua firmauerint ecclesiasticis dictis: & ab hac sententia nec tua autoritate (quæ apud me certe grauissima est) multo minus ullorum aliorum, deterreri propositum est.

Hæc, mi suauissime Præceptor, obiter & cursim scripta boni consule: si placet, ut literis mutuis super hac re disceptemus: res erit mihi omnium facile gratissima: paratus sum tuas correptiones, ita ferre & suscipere, ut si etiam sint asperrime, tamen lenissimæ mihi erunt. Ideo sine omni timore tete plenissime in me resolue, imo securus euome. Non uolo, nec possum in te fieri amarus, testis est Deus & conscientia mea:

sic sum

ſic ſum hodie affectus in te. Vale mi Pater optime. Ex Monaſterio noſtro Erffurdienſi, dominica Vocem iucunditatis. M.D.XVIII.

Tuus

F. Martinus Lutherus

Auguſt:

SVO SPALATINO ERVDItiſſimo & humaniſſimo.

Prædicat liberalitatem Comitis Palatini: & quomodo Heidelbergæ ſit accepta eius diſputatio: ac quod Erffurdiæ, cum Vſingenſi & Iſennacenſi contulerit.

IHESVS.

48.

SAlutem. Redij tandem, fauente Chriſto, ad noſtros penates, mi Spalatine: veniq; Vuittembergam Sabbatho poſt Aſcenſionis dominicæ feſtum. Veni autem curru, qui exieram pedeſter: ſiquidem cogebar a Maioribus uehi cum Nurmbergenſibus prope vſq; Herbipolim: inde cum Erffurdienſibus: ab Erffurdia uero cum Eislebenſibus: qui deniq; ſuis & expenſis & equis ad Vuittembergam duxerunt. Fui ſane incolumis tota uia, & mire cōueniebat mihi cibus & potus: ita ut nōnullis uidear factus habitior & corpulentior.

Suſcepit me egregie Illuſtriſſimus Princeps Vuolffgangus Comes Palatinus, & Magiſter Iacobus Simler, ſed & Haſius curiæ Magiſter. Inuitauit enim nos, id eſt, Patrem Vicarium Staupitium, Langum noſtrum, nunc Vicarium prouintialem: & dulci iucundaq; cõuerſatione inuicem gaudebamus, edentes & bibentes, & omnia ſacelluli caſtrenſis Palatini ornamenta, deinde bellicos apparatus, deniq; omnia ferme, quæ habet regale illud & plane illuſtriſsimum caſtrum, decora luſtrantes. Non potuit ſatis commendare Magiſter Iacobus literas Principis noſtri pro me datas, dicens ſua Neccharena lingua, Ir habt by Gott einen kyſtlichen Credentz. Nihil deſideratum eſt, quod humanitatem deceret.

Porro diſputationem meam Domini Doctores & libenter admiſerunt: & ea modeſtia mecum diſceptarunt, ut eo nomine mihi ipſi ſint commendatiſsimi. Quanquam enim peregrina illis uidebatur Theologia: nihilominus tamen & argute & pulchre aduerſus eam uelitabantur, excepto uno, qui erat quintus, & iunior Doctor: qui riſum toti mouebat auditorio, quando dicebat, ſi ruſtici hæc audirent, certe lapidibus uos obruerent & interficerent. Erffurdienſibus mea Theologia eſt, Bis mortem crambe: & in primis Doctor Iſennacenſis, omnibus placitis meis nigrum

Thita

Thita præfigit, datis ad me literis: quibus & dialecticæ quoq; ignarum, nedum Theologiæ argueret.

Disputassem & apud eos, nisi Litaniarum dies impedimento fuissent: contuli tamen cum Doctore Isennacensi, præsens præsente: & id saltem effeci, ut intelligeret, se non posse sua probare, nec mea confutare: imo & ipsorum potius sententias esse eam bestiam, quæ seipsam fertur comesse. Sed frustra narratur fabula surdo, suis distinctiunculis pertinaciter inhærent: etiamsi confiteantur, non esse aliqua autoritate confirmatas, nisi dictamine (ut uocant) naturalis rationis: quod apud nos idem est, quod chaos tenebratum, qui non prædicamus aliam lucem, quam Christum Ihesum lucem ueram & solam.

Cum Doctore Vsingen pluribus quam cum omnibus alijs egi, ut persuaderem (erat enim socius uecturæ) sed nescio an quid profecerim: cogitabundum & mirabundum reliqui. Tanta res est, in opinionibus malis inueterasse. Cæterum adulescentulorum & totius iuuentutis animus per dis diapason ab illis sentit: & eximia spes mihi est, ut sicut Christus ad gentes migrauit reiectus a Iudeis: ita & nunc quoque uera eius Theologia, quam reijciunt opiniosi illi senes, ad iuuentutem sese transferat.

Hæc de me. Demum & spero & oro te non fore

immemorem nostri Gymnasij, id est, vt pro Græca & Hebræa lingua instituenda sis solicitus. Vidisse te credo indicem Lipsensis studij, nostri vt semper æmulum: multas lectiones in eo iactitant, quas non credo lectum iri. Literas ad illustrissimum Principem Episcopum Neumburgensem non potui aptius, quam per te dirigere. Ideo facies, quod uides a te petere amicissimos. Vale in Domino. Ex nostro Monasterio. 15. Calendas Iunias. Anno M. D. X VIII.

F. Martinus Lutherus
August:

REVERENDISSIMO IN Christo Patri ac Domino, Domino Hieronymo, Ecclesiæ Brandenburgensis Episcopo, clementissimo Domino suo, in primis gratioso.

Hanc Epistolam inuenies in Tomo 1. Fol. 76. a.

Offert Episcopo Brandenburgensi Resolutiones suæ disputationis de indulgentijs.

IHESVS.

49.

SAlutem. Cum nuper circum nostras Regiones, optime Præsul, audiri cæpissent noua & inaudita de Apostolicis indulgẽtijs dogmata, ita, ut tam docti quam

quam indocti plurimi passim admirarentur & mouerentur: fui ego a multis tum familiaribus, tum ignotis facie, rogatus multis literis & colloquijs, quid mihi de istorum uerborum nouitate (ne dicam Licentia) uideretur: dissimulabam aliquandiu: tandem urgebant disputationibus acribus vsque ad periculum pontificalis reuerentiæ.

Ego uero quid facerem? Non erat meum in hac re quidquam statuere, & uerebar illis contradicere: quos non nisi uera prædicasse cupiebam uideri quam maxime: isti uero sic instabant euidentibus argumentis, falsa & inania probare, ut me (uera fateor) omnino captiuarent atque concluderent.

Vt ergo utrisque satisfacerem, uisum est id optimum consilium, vtrisque neque consentire, neque dissentire: sed interea de tanta re disputare, donec Ecclesia sancta statueret, quid sentiendum foret. Itaque emisi disputationem, inuitans & rogans publice omnes, priuatim uero, ut noui, quosque doctissimos, ut uel per literas suam sententiam aperirent. Quandoquidem in ijs rebus, neque Scripturas, neque Doctores ecclesiasticos, neque ipsos Canones, præter paucos Canonistas, & hos sine textu loquentes, & aliquot Scholasticos Doctores similiter opinantes, nihil etiam probantes, suffragari mihi uiderem.

De pœnitentia & indulgentijs, quæ extat in I. Tomo Latino.

Mihi

Mihi id ſane omnium abſurdiſſimum uidetur, aliquid ſcilicet in Eccleſia Dei prædicari & audiri: quod cum Hæretici expoſtulauerint, unde rationem reddamus: & nos non poſſimus: Chriſtum & Eccleſiam eius relinquamus illis ridiculum & ludibrium.

Porro, Scholaſticis doctoribus & Canoniſtis, conſtat, nullam deberi a nobis fidem, dum ſuas opinantur opiniones: & ut uulgo dicitur: turpe eſt Iuriſtam loqui ſine textu: at multo turpius eſt, Theologum loqui ſine textu: non Ariſtotelis dico (nam hunc plus, ualde, nimis, ſatis loquuntur) ſed noſtro, id eſt, ſcripturæ ſacræ, Canonum, Eccleſiaſticorum patrum,

Proinde mihi uiſum eſt, rem hanc eſſe mei ſtudij & officij, diſputare ſcilicet de rebus omnium dubioſiſsimis, ſed ſimul, ſi falſę ſint, periculoſiſſimis aſſertu: quando hucuſq; licitum eſt Scholaſticis, de ijs etiam rebus ſacratiſſimis reuerendiſq;, quas per tot ſecula nullus dubitauit Chriſtianus, diſputare.

Quod uero humilis & deiecta eorum ſit religio ſeu reuerentia: qui de poteſtate eccleſiaſtica ſeu ſummi Pontificis putent non diſputandum, ſed tacendum & gratias agendum: quis non uel palpet, quæſo? cur non etiam tacent & gratias agunt, & ſuas friuolas diſputationes omittunt, de poteſtate & ſapientia & bonitate eius, qui dedit iſtam poteſtatem Eccleſiæ? deniq;

deniq; quid eſt ſecretum, uel in illa ſumma Maieſtate uel ſacratiſſima humanitate, quod non prope nugis ita contaminauerint: ut omnium pene & affectum & reuerentiam cordium, aſſiduitate nugandi, in Deum extinxerint. Sed de hoc alias.

Igitur cum in hanc harenam uocarem, omnes, veniret uero nullus, deinde uiderem Diſputationes meas latius uagari, quam uolueram, atq; paſſim, non ut diſputabilia, ſed aſſerta acciperentur: coactus ſum præter ſpem & uotum, meam infantiam & ignorantiam in uulgus mittere: & declarationes ac probationes earum in publicum edere, ſatius ratus me facere, ſi imperitiæ meæ infamiam incurrerem, quam illos errare ſinerem: qui forte putant, omnia eſſe aſſerta. Inter quæ ſunt, de quibus dubito, nonnulla ignoro, aliqua & nego, nulla uero pertinaciter aſſero, ſed omnia Eccleſiæ ſanctæ, ſuoq; iudicio ſubmitto.

Reſolutiones poſitionum de indulgentijs.

Cum uero tu, optime præſul, nobis per miſericordiam Chriſti datus ſis huius loci ordinarius (ut uocant) qui quidem bonos & eruditos non modo diligis mirifice: quod in multis multi plurimũ prędicãt: uerũ pro tua ſingulari humanitate & humilitate, prope uſq; ad periculũ pontificalis dignitatis etiam uenerraris & colis (faceſſat adulatio, nõ te, ſed Chriſti dona in te prædico) iuſtiſſimũ fuit, ut tibi (ad quem perti-

net huius loci ſtudia inſpicere & iudicare)potiſſimum offerrem: & pedibus tuis primum ſubijcerem,quicquid id fuerit,quod operor.

Itaqꝫ digneris, clementiſſime Præſul, ſuſcipere has meas ineptias: atqꝫ ut omnes ſciant, quam nihil audacter aſſeram, non ſolum permitto,ſed etiam obſecro, ut Reuerenda Paternitas tua, arrepto calamo, quæcunqꝫ uiſum eſt, aboleat, aut igne facto totum comburat;mea prorſus nihil refert. Scio quod Chriſtus mea opera non eget, abſque me nunciabit proſpera Eccleſiæ ſuæ: quando ſecundum Gregorium Nazanzenum, nec uera tutum eſt loqui in Eccleſia, præſertim grauibus peccatoribus.

Idcirco mei non oblitus,his uerbis proteſtor,me diſputare,non determinare. Diſputo, inquam, non aſſero:ac diſputo cum timore: non quod eorum bullas & minas timeam, qui nullo prorſus timore tacti, quicquid uel ſomniauerint, uelut Euangelium credi uolunt. Horum enim audacia & inſcicia ſimul coegit (fateor) etiam timori meo non credere.Quæ niſi tanta eſſet,nullus me præterquam angulus meus cognouiſſet. Si opus ipſum nõ fuerit ſuum,omnino uolo,ut nec ſit meum:ſit uero nihil & nullius;ego nihil debui quærere, niſi ut nulli eſſem erroris occaſio; gloriam

habeat

habeat ille solus, cuius solius est: qui est benedictus in omnia secula, Amen. Datum Sabbatho post Exaudi. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus
August:

REVERENDO ET VERE
Patri suo Iohanni Staupitio, S. Theologiæ Professori, Augustinianæ Familiæ Vicario.

Opponit ueram Doctrinam de pœnitentia indulgentijs Pontificijs: & petit transmitti & commendari, per Staupitium seu Vicarium, resolutiones Romano pontifici.

IHESVS.

so.

SAlutem & seipsum. Memini, R. Pater, inter iucundissimas & salutares fabulas tuas, quibus me solet Dominus Ihesus mirifice consolari, incidisse aliquando mentionem, huius nominis, Pœnitentia: vbi miserti conscientiarum multarum, carnificumque illorum, qui præceptis infinitis eisdemque importabilibus, modum docent (ut vocant) confitendi, te uelut e cœlo sonantem excepimus: quod Pœnitentia uera non est, nisi quæ ab amore iusticiæ & Dei incipit: & hoc esse

Eandem Epistolã quære in Tomo 1. fol. 77. a.

potius principium pœnitentiæ, quod illis finis & conſumatio cenſetur.

Hæſit hoc uerbum tuum in me, ſicut ſagitta potentis acuta: cæpiq; deinceps cum Scripturis, pœnitentiam docentibus, conferre: & ecce iucundiſſimum ludum, uerba undiq; mihi colludebant, planeq; huic ſententiæ arridebant & aſſultabant, ita, ut cum prius non fuerit ferme in Scriptura tota amarius mihi uerbum, quam pœnitentia (licet ſedulo etiam coram Deo ſimularem, & fictum coactumq; amorem exprimere conarer) nunc nihil dulcius aut gratius mihi ſonet quam Pœnitentia. Ita enim dulceſcunt præcepta Dei, quando non in libris tantum, ſed in uulneribus dulciſſimi ſaluatoris legenda intelligimus.

Poſthæc acceſſit, quod ſtudio & gratia eruditiſſimorum uirorum, qui nobis Græca & Ebræa officioſiſſime tradunt, didici, idem uerbũ Græce μετάνοια dici, a μετὰ & νοεῖν, id eſt, a poſt & mentem, ut ſit Pœnitentia ſeu μετάνοια, reſipiſcentia, & poſt acceptũ damnum, & cognitum errorem, intelligentia ſui mali: quod ſine mutatione affectus & amoris fieri eſt impoſſibile. Quæ omnia Paulinæ Theologiæ ita reſpondent apte: ut nihil ferme aptius Paulum illuſtrare poſſit, meo ſaltem iudicio.

Deniq; profeci & uidi, μετάνοιαν, non modo a

post & mentem, sed a trans & mentem posse deduci, (sit sane violentum) ut μετάνοια transmutationem mentis & affectus significet: quod non modo affectus mutationem, sed & modum mutandi, id est, gratiam Dei uidebatur spirare. Nam transitus ille mentis, id est, uerissima pœnitentia, celeberrimus est in sacris literis, ut quem phase illud uetustum olim significauit, Christus exhibuit, & longe ante Abraham quoque figurauit, quando transitor, id est, Ebræus uocari cepit, traiectus scilicet, in Mesopotamiam, vt Burgensis docte docet: huic & titulus ille Psalmi concinit, vbi Idithun, id est, transiliens cantator inducitur.

His inhærens ausus sum putare, eos falsos esse: qui operibus pœnitentiæ tantum tribuerunt, ut pœnitentiæ uix reliquum nobis fecerint, præter frigidas quasdam satisfactiones, & laboriosissimam confessionem, latino scilicet uocabulo abducti: quod pœnitentiam agere, actionem magis sonet, quam mutationem affectus, & Græco illi μετανοεῖν, nullo modo satisfacit.

Hæc mea cum sic ferueret meditatio: ecce subito cœperunt circum nos strepere, imo clangere, noua indulgentiarum classica, & remissionum buccinæ; quibus tamen non ad strenuum belli studium animaremur,

mur: breuiter, neglecta ueræ pœnitentiæ doctrina, adeo magnificare præſumpſerunt, non pœnitentiam, non ſaltem uiliſſimam eius partem, quæ ſatisfactio dicitur, ſed eiuſdem uiliſſimæ partis remiſſionem: vt nunquam ſit ita magnificari audita: deniq; impia & falſa, & hæretica docebant, tanta autoritate (temeritate uolui dicere) ut qui uel contra mutiret, ſtatim hæreticus, igni deuotus eſſet, & æternæ maledictionis reus.

Ego horum furori occurrere non potens, ſtatui modeſte eis diſſentire, & in dubium uocare eorum dogmata, fretus, omnium Doctorum, totiuſq; Eccleſiæ ſententia, quod etiam ſatisfacere melius ſit, quam ſatisfactionem remitti, id eſt, indulgentias redimere: nec eſt ullus, qui aliter unq; docuit. Itaq; diſputaui, id eſt, ſumma, media, infima omnia in malum capitis mei irritaui, quantum per hos, pecuniarum (heus animarum dicendum fuit) zelatores fieri ac perfici poteſt. Sic enim ſuauiſſimi homines, craſſiſſima aſtutia inſtructi, cum negare non poſſint ea, quæ dixi, fingunt ſummi Pontificis poteſtatem lædi meis diſputationibus.

Hæc eſt cauſa, R. Pater, quod ego nunc infeliciter in publicum prodeo, qui ſemper anguli, amator ſiu, & ipſe eligens ſpectare pulcherrimũ noſtro ſeculo inge-

lo ingeniorum ludum, magis quam spectari & videri: sed (ut uideo) oportet & corchorum inter olera uideri, & nigrum statui inter alba, decoris scilicet & Veneris gratia.

Rogo itaque, has meas ineptias suscipias: & qua fieri potest industria, ad optimum Pontificem, Leonem decimum, transmittas: ut sint ibi mihi aduersus studia malignantium, uice alicuius paracleti: nõ quod te mihi coniungi periculo uelim: meo solius periculo hæc egisse uolo. Christus uiderit, sua ne sint an mea, quæ dixi: sine cuius nutu, nec summi pontificis sermo est in lingua eius, nec cor Regis in manu sua. Hunc enim expecto iudicem e Romana sede pronunciantem.

Resolutiones disputationum de uirtute indulgentiarum.

Cæterum minacibus illis meis amicis, nihil habeo quod respondeam, nisi illud Reuchlinianum: qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere. Res nec habeo nec cupio: famam & honorem, si habui: assidue nunc perdit, qui perdit. Vnum superest, imbecille, & assiduis fatigatum incommodis, corpusculum: quod si qua ui uel dolo abstulerint (in obsequiũ Dei) forte una uel duabus uitæ horis, me pauperiorem facient. Sufficit mihi dulcis Redemptor & Propitiator Dominus meus Ihesus Christus: cui cantabo, quamdiu fuero. Si quis autẽ noluerit cantare mecum, quid

ad me?

ad me ; vlulet, si libet, uel secum. Ipse Dominus Ihesus seruet te in æternum, mi Pater suauissime. Vuittembergæ die S. Trinitatis. Anno M.D.XVIII.

Discipulus,

F. Martinus Lutherus

August.

BEATISSIMO PATRI, Leoni decimo, Pontifici Maximo.

Offert Pontifici suas Resolutiones: & simul de quæstorum indulgentiarum auaritia & impudentia queritur.

IHESVS.

51.

In Tomo I. fol. 78. a.

SAlutem æternam. Auditum audiui de me pessimum, beatissime Pater: quo intelligo, quosdam amicos fecisse nomen meum grauissime coram te & tuis fœtere; vt qui authoritatem & potestatem Clauium & summi Pontificis minuere molitus sim; inde hæreticus, apostata, perfidus & sexcentis nominibus, imo ignominijs accusor. Horrent aures & stupent oculi, sed vnicum stat fiduciæ præsidium, innocens & quieta conscientia. Nec noua audio. Talibus enim insignibus & in nostra regione me ornauerūt, homines isti honestissimi & ueraces, id est, pessime sibi

ſibi conſcij: qui ſua portenta mihi conantur imponere, & mea ignominia, ſuas ignominias glorificare: ſed rem ipſam, beatiſſime Pater, digneris audire ex me infante & inculto.

Cœpit apud nos diebus proximis prædicari iubilæus ille indulgentiarũ Apoſtolicarum: profecitq; adeo, vt præcones illius, ſub tui nominis terrore, omnia ſibi licere putantes, impijſſima hæreticaq; palam auderent docere, in grauiſſimum ſcandalum & ludibrium eccleſiaſticæ poteſtatis: ac ſi decretales de abuſionibus quæſtorum nihil ad eos pertinerent. Nec contenti, quod liberrimis uerbis hæc ſua venena diffunderent: inſuper libellos ediderunt, & in uulgum ſparſerunt: in quibus, ut taceam inſatiabilem & inauditam auariciã, quam ſinguli pene apices olent craſſiſſime, eadem illa impia & hæretica ſtatuerunt, & ita ſtatuerunt, ut confeſſores iuramento adigerent, quo hæc ipſa fideliſſime inſtantiſſimeq; populo inculcarent.

Vera dico, nec eſt, quo ſe abſcondant a calore hoc: extant libelli, nec poſſunt negare. Agebantur tum illa proſpere: & exugebantur populi falſis ſpebus: & ut Propheta ait, carnem deſuper oſſibus eorum tollebant: ipſi uero pinguiſſime & ſuauiſſime interea paſcebantur.

Vnum erat,quo ſcandala ſedabant, ſcilicet ter⸗ror nominis tui,ignis comminatio, & hæretici nomi⸗nis opprobrium.Hęc enim incredibile eſt,quam pro⸗penſi ſint intentare, quandoq; etiam ſi in meris opi⸗nioſiſq; nugis ſuis contradictionem ſenſerint: ſi ta⸗men hoc eſt ſcandala ſedare, ac non potius mera ty⸗rannide,ſchiſmata & ſeditiones tandem ſuſcitare.

Verum nihilominus crebreſcebant fabulæ per tabernas de auaricia ſacerdotum, detractioneſq; Cla uium,ſummiq; Pontificis, vt teſtis eſt uox totius hu⸗ius terræ. Ego ſane (ut fateor)pro zelo Chriſti, ſicuti mihi uidebar,aut,ſi ita placet,pro iuuenili calore ure⸗bar,nec tamen meum eſſe uidebam, in ijs quiſquam ſtatuere aut facere.

Proinde monui priuatim aliquot magnates Ec⸗cleſiarum: hic ab alijs acceptabar, alijs ridiculum, alijs aliud uidebar: præualebat enim nominis tui terror & cenſurarum intentatio: tandem cum nihil poſſem aliud, uiſum eſt, ſaltem leniuſcule illis relu⸗ctari, id eſt, eorum dogmata in dubium & diſputa⸗tionem uocare. Itaque ſchedulam diſputatoriam edidi, inuitans tantum doctiores, ſiqui uellent me⸗cum diſceptare, ſicut manifeſtum eſſe, etiam ad⸗uerſarijs oportet, ex præfatione eiuſdem diſcepta⸗tionis.

Ecce,

Ecce, hoc eſt incendium, quo totum mundum queruntur conflagrari, forte, quod indignantur me unum, autoritate tua Apoſtolica Magiſtrum Theologiæ, ius habere, in publica Schola diſputandi pro more omnium vniuerſitatum, & totius Eccleſiæ, non modo de indulgentijs, uerum etiam de poteſtate, remiſſione, indulgentijs diuinis, incomparabiliter maioribus rebus: nec tamen multum moueor, quod hanc mihi facultatem inuideant, a tuę beatitudinis poteſtate conceſſam, qui eis fauere cogor inuitus, multo maiora, ſcilicet, quod Ariſtotelis ſomnia, in medias res Theologiæ miſcent: atque de diuina maieſtate meras nugas diſputant, contra & citra facultatem eis datam.

Porro, quodnam fatum urgeat has ſolas meas Diſputationes præ cæteris, non ſolum eis, ſed omnium Magiſtrorum, ut in omnem terram pene exierint, mihi ipſi miraculum eſt. Apud noſtros & propter noſtros tantum ſunt editæ, & ſic editæ, ut mihi incredibile ſit, eas ab omnibus intelligi. Diſputationes enim ſunt, non doctrinæ, non dogmata, obſcurius pro more, & ęnigmaticos poſitæ: alioqui ſi pręuidere potuiſſem: certe id pro mea parte curaſſem, ut eſſent intellectu faciliores.

Nunc quid faciam? Reuocare non poſſum, &

miram mihi inuidiam ex ea inuulgatione uideo conflari: inuitus uenio in publicum, periculosissimumque ac uarium hominum iudicium, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, uacuus eruditione, deinde nostro florentissimo sæculo, quod pro sua in literis & ingenijs felicitate etiam Ciceronem cogere possit ad angulum, lucis & publici alioqui non ignauum sectatorem. Sed cogit necessitas, me anserem strepere inter olores.

Itaque quo & ipsos aduersarios mitigem, & desideria multorũ expleam: emitto ecce meas nugas,[a] declaratorias mearum disputationum. Emitto autem, quo tutior sim, sub tui nominis præsidio, & tuæ protectionis umbra, beatissime Pater: in quibus intelligent omnes, qui uolent, quam pure simpliciterque Ecclesiasticã potestatem & reuerentiam Clauium quæsierim & coluerim, simulque quam inique & false me tot nominibus aduersarij fœdauerint. Si enim talis essem, qualem illi me uideri cupiunt, ac non potius omnia disputandi facultate, recte a me tractata fuissent: non potuisset fieri, ut illustissimus Princeps Fridericus Saxoniæ Dux, Elector Imperij &c. hanc pestem in sua permitteret Vniuersitate: cũ sit Catholicę & Apostolicę ueritatis vnus facile amantissimus: nec tolerabilis fuissem, uiris nostri studij acerrimis & studiosissimis.

[a] Hæ Inueniuntur in Primo Tomo Latino. Fol.79.b.

ſiſſimis. Verum actum ago, quando illi ſuauiſſimi homines non uerentur mecum & Principem & Vniuerſitatem pari ignominia conficere palam.

Quare beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus quæ ſum & habeo: viuifica, occide, uoca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti, in te preſidentis & loquentis agnoſcam. Si mortem merui: mori non recuſabo. Domini enim eſt terra, & plenitudo eius: qui eſt benedictus in ſecula, Amen. Qui & te ſeruet in æternum, Amen. Die S. Trinitatis.

Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus
August:

SVO SPALATINO ERVditiſſimo & humaniſſimo.

Petrum Moſellanum ſignificat ambire profeſſionem Græcæ linguæ: ac indicat Tetzelium uernaculum libellum plenum inſcicia edidiſſe.

IHESVS.

52.

SAlutem. Obſecro te, mi Spalatine, æquo animo feras, quod uel tardius uel rarius ſcribo: ipſe non ſufficio dimidio negociorum meorum: neſcio qua

fertilitate temporis præter ſpem aſſidue pullulanti-um. Fuit apud nos Petrus Moſellanus, paratus ſuſci-pere conditionem, & ſubire profitendæ græcæ lin-guæ munus: atque id, ut tibi ſuo nomine ſcriberem, orauit: ego, qui neſciebam, ſi quid interim tractatum ſit inter te & ipſum, promiſi me ſcripturum: & ecce ſcribo: tuum fuerit in hac re præſtare, ſicut tibi Deus & noſſe & poſſe donauit.

Petrus Moſellanus.

Venit inter res meas e Capitulo noſtro, pariter & hic libellus, quem mihi tradendum committebas: ego oblitus inter tot cogitationes, cui tradendus eſſet, obtuli omnibus, quos uſpiam noueram: nemo agno-uit. Quia ſi adhuc poſſem tradere, per noſtræ factio-nis fratres inferiores, fac vt ſciam & fiet. Miſi nuper ad te duos libellos, ſed mancos, vulgaris noſtræ lin-guæ Theologiam continentes: mitto reſiduos duerni-ones, ſi quid defuerit ultra, ſcribe. Nam decem duer-nionibus integer eſt. Vale & ora pro me. Studij no-ſtri ſtatum, credo, ex alijs te noſſe. Probationes meæ laborantur ſub incude.

duernio.

Edidit Iohannes Tetzel aduerſus meum uerna-culum ſermonem, itidem vernaculum libellum, inſig-nem inſciciæ ſuæ & teſtem & præconem: cui ego ad-dam lucem, ut intelligatur ab omnibus qualis ſit, nō qualem ipſe uelit videre ſuum libellum. Vale iterum.

Ex Mo-

Ex Monasterio Vuittembergensi, cursim, altera Corporis Christi. Anno M.D.XVIII.

Saluere cupio aulicos omnes, præsertim quorum nomine tu me nuper salutasti.

F. Martinus Lutherus
August:

REVERENDO ET OPTIMO Patri Iohanni Lango, S.T. designato Doctori, Eremitarum Turingiæ Vicario Augustiniano Erffurdiensi suo maiori.

Petit ut Tabulatorem faciendis sedilibus mittat: donat libellum quendam: & contra Tecellinas nugas in se editas parat antidotum.

IHESVS.

53.

SAlutem. Expectamus, Reuerendissime Pater, & ægre expectamus, ut Fratrem istum tabulatorem, quem nobis a R. Patre Vicario promissum nosti, nobis expedias & mittas, pensans quod nec sedes nec scamna habemus in vllo Monasterij loco: & uester conuentus facilius dilationem feret, quam noster: præsertim cum sit rediturus ad uos mox finito labore aliquantulo.

Cæterum

Cæterum mitto hic librum, plane Silenum quendam Alcibiadis, quem dono T. P. quorum si plures uolueris, græca fide scias tibi cõparandas. Edidit aduersus meũ uulgarem sermonem suas nugas, Tecellinus ille, in quem rursus & meam instituo amphorã, Deus faxit, ne urceus exeat. Vale & ora pro me. Ex Vuittemberga. Velim fratri tuo Georgio prouideres, Quintilianum & Aristote: textum, si & Plinium haberet, forte non foret incommodum. altera Corporis Christi. Anno M. D. X V I I I.

F. Martinus Lutherus
August:

SVO SPALATINO GEORgio, Christi seruo & ducali a secretis.

Dialecticam in sacris literis non habere locum.

IHESVS.

54.

SAlutem. Non angor, optime Spalatine, quod illi de me pessime loquuntur, uel Principem nostrum autorem mearum conclusionum garriunt: id solum timeo, ne ista occasione inter Principes tantos simultas nasceretur: si forte & Princeps Brandenburgensis, simile aliquid fieri permitteret, in uindictam, quale

quale fuit nuper auditum de illo, qui vocatur, der Schenck.

Cæterum quæris, quatenus vtilem Dialecticen arbitrer Theologo: ego ſane non uideo, quomodo non ſit noxia potius Dialectice uero Theologo. Eſto quod ſit forte vtilis iuuenilium ingeniorum luſus vel exercitatio: ſed in ſacris literis, vbi mera fides & ſuperna expectatur illuſtratio, foris relinquendus vniuerſus ſyllogiſmus, non aliter, quam Abraham ſacrificaturus reliquit pueros cum Aſinis. Quod et Iohannes Reuchlin in ſecundo libro Cabalę ſuæ ſatis affirmat: quod ſi ulla neceſſaria eſt Dialectica, naturalis illa ingenita ſufficit, qua homo promptus eſt, conferre credita cum creditis, & ſic cõcludere uera. Ego ſæpius cum amicis diſquiſiui, quidnam uideretur nobis utilitatis acceſſiſſe ex tam anxijs ſtudijs Philoſophiæ & Dialecticæ, & certe vno conſenſu admirati imo lamentati noſtri ingenij ſortem, nihil utilitatis, totum autem nocentiæ pelagus inuenimus.

Scripſi deniq; ad D. Iſennacenſem, noſtra ætate (ut videtur) principem dialecticorum, in eandem rem potiſſimum allegans id, quod negari non poteſt, uidelicet, ideo non poſſe Dialecticen prodeſſe Theologiæ, ſed magis obeſſe, quod eiſdem uocabulis grammaticis, longe aliter vtatur Theologia quam Dia-

 lectica.

lectica. Quomodo ergo, inquam, prodest Dialectica, cum postquam accessero ad Theologiam, id uocabuli, quod in Dialectica, sic significabat, cogar reijcere, & aliam eius significationem accipere? Atque ut non agerem uerbis, exempla subieci, videlicet: corpus in arbore Porphyriana, significat rem constantem materia & forma: at tale corpus nō potest homini contingere, cum in scriptura corpus nostrum solam materiam significet, non etiam formam, vt ibi, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Deinde intuli, absurde dici: angelum nec rationalem nec irrationalem: item quod nullus usus sit scripturæ, hominem uocari sensitiuum, rationalem, corporeū, animatum: & breuiter, totum illud commentum arboris Porphirianæ dixi & adhuc dico, minus quam anile figmentum, aut somnium ægrotantium: ac iuste Purphyrium uocatum (id est cruentum) ab occidendis scilicet Christianis animabus. Deinde & prædicamenta ac nonnulla alia Philosophiæ, tantum Theologiæ nocere.

Displicuit homini ualde: & non Achilleas rationes meas, asseruit, uel a me ipso debere uideri. Sed sunt illi homines Aristoteli & Purphyrio captiui: nec quid, sed quia dicunt, aduertunt; inde fit, vt nec vnius Capituli scripturæ possint intelligentiam capere, multo minus tradere.

Si ergo

Si ergo meo iudicio credis, prosit tibi Dialectice vbi poterit, in sacris literis etiam nocebit: obseruaui ego doctrinas & regulas scholasticæ Theologiæ: & dedita opera iuxta illas uolui tractare sacras literas, & Ecclesiasticorum Patrum (perdat me Deus si mentior) horrui plusquam a tartari confusione: ibi uidi, quid prodessent eiusmodi studia. Sed tecum aliquando idem tentabo, quando præsens fueris, & expertum te faciam eorum, quæ nunc audis. Vale & ora pro me. Vuittembergæ, die S. Petro sacro. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus August:

REVERENDO PATRI

Venceslao Linco, Theologo & Ecclesiastę monasterij Eremitarum Nurmbergensium &c. suo in Christo maiori.

Admonitus à comite Alberto de insidijs paratis ituro Augustam, suam fiduciam in Christum, cuius causam agit, opponit omnibus comminationibus: addit etiam quomodo exceptus sit sermo suus, de excommunicatione habitus.

IHESVS.

SAlutem. Misissem probationes mearum Positionum R. Pater; sed tam segnis est noster calcographus, ut & ipse mire discrutier ea dilatione; sunt ferme 18. conclusiones absolutæ, quas tentaui ut mitterem. Nugas illas quas nudius aduersus meum Timonem edideram, denuo & late inuulgant, quod nollem fieri. Quia in ipsis nimiũ sum amicorum exhortationibus obsecutus: quanquam nec satisfecerim eorum uotis. Cæteri meæ imputant impatientiæ, cũ potius luserim quã succensuerim in illis. Si quid rescire ultra de nobis uolueris, hi uestri Conradi sat narrabunt.

Vicarius noster Iohannes Langus hodie præsens,
„ dicit sese per literas monitũ a Comite Alberto Mans-
„ feldensi, ne ullo modo me patiatur egredi Vuittem-
„ bergam. Ita enim per insidias ordinatum a nescio quibus magnatibus, ut uel stranguler uel baptiser ad mortem, sum plane uir ille cum Ieremia rixarum & discordiæ: qui quottidie nouis (ut uocant) doctrinis irrito Pharisæos. Ego autem ut mihi conscius sum, non nisi syncerissimam Theologiam me docere: ita
„ iam diu præscius fui, fore ut sanctissimis Iudæis scan-
„ dalum & sapientissimis Græcis stulticiam prædica-
„ rem.

Sed

Sed spero me debitorem esse Ihesu Christo, qui & mihi forte dicit, ostendam ei, quanta oporteat eum pati propter nomen meum. Si enim id non dicit: cur in officium uerbi huius me inuictissimum posuit? aut cur non aliud docuit, quod loquerer? Fuit uoluntas sua sancta: quanto magis illi minantur, tanto magis ego cõfido: vxor mea & liberi mei prouisi sunt: agri, domus, substantia cuncta disposita sunt: gloria & nomen iam discerpitur: vnum superest imbecille & fractum corpusculum: quod si abstulerint, forte duabus uel una uiuendi hora me pauperiorem facient, animam uero nõ aufferent. Canto cum Iohanne Reuchlin: qui pauper est, nihil timet, nihil perdere potest: sed spe bona lætus sedet: nam sperat acquirere.

Scio uerbum Christi ab initio mundi eius esse genij, vt qui id in mundo voluerit portare, necesse sit cum Apostolis eum relictis renunciatisq; omnibus, omni hora, mortem expectare. Quod nisi esset, non uerbum Christi esset: morte emptum est, mortibus uulgatum, mortibus seruatum, mortibus quoq; seruandum aut referendum est. Sic enim sponsus noster „ sponsus sanguinum nobis est. Tu ergo ora, ut Do„ minus Ihesus spiritum hunc sui fidelissimi peccatoris augeat & seruet.

Sermo de uirtute excommunicationis.

Habui nuper sermonem ad uulgum de virtute excommunicationis: vbi taxaui obiter tyrannidem & insciciã sordidissimi istius uulgi Officialium, commissariorum, Vicariorum. Mirantur omnes nunquam sese talia audisse. Deinde quid futuri mali mihi incumbat, omnes expectamus, nouum ignem succendi: sed ita facit verbum veritatis signum cui contradicitur: uolueram eadem publicitus disputare: sed ecce rumor præuenit & plurimos magnates adeo permouit, vt Episcopus meus Brandenburgensis misso nuncio magno postularet, ut differrem eam disputationem, quod & feci & facio præsertim amicis quoque consulentibus: uide quam sim monstrosus homo, cuius conatus etiam sunt intollerabiles.

Dominus Doctor Isennacensis misit ad me literas, zelo magno (sic enim honestare oportet hominis passionissimas passiones) plenissimas, longe acriores, quam eas, quas in capitulo coram audiebas, eadem mihi coram positus Erffurdiæ loquebatur: usque ad insaniam cruciantur isti homines, quod stulti in Christo fieri debeant, & Magistri nostri eximij toto orbe, tanto tempore errasse iudicari. Ego nihil moror moros & momos omnes: Christus modo sit mihi Deus propitius: cui paratus sum cedere uerbi officium. Hæc uerbosius,

verbosius, quia libuit tecum fabulari. Vale. Vuittembergæ. Die 12. Fratrum. Anno M.D.XVIII.
F. Martinus Lutherus.

SVO GEORGIO SPALAtino, Christi sacerdoti Augustæ agenti, Ducis Friderici Saxoniæ à libris, erudito amico.

Fretus Deo & conscientiæ testimonio, Caietani ac omnium hominum odia se contemnere scribit: & agit de impetrando saluo conductu.

IHESVS.

56.

SAlutem. Nondum redierat nuncius, quem ad illustrissimum Principem Fridericum emisi: ideo adhuc expecto, quid Dominus in mea causa per uos agere uelit. Audiui autem Reuerendissimum Cardinalem Caietanum id potissimum habere mandati a summo Pontifice: ut omni studio mihi Cæsaris & Principum animos faciat aduersos: adeo timet conscientia, etiam tantorum pontificum: imo tanta est & tam intollerabilis uis ueritatis super opera, quæ in tenebris facta sunt. *Cardinalis Caietanus.*

Ego tamen, ut scias, mi Spalatine, in his omnibus nihil timeo: quod si etiam obtinuerit eorum uel adulatio,

latio, vel potentia, vt omnibus me odiosum faciant, id mihi reliquum est & cordis & conscientiæ, quod omnia, quæ habeo, quæque ipsi impugnant, ex Deo me habere cognoscam & confitear, cui & ea ipsa libens & sponte refero & offero: si aufert, sint ablata, si seruat, sint seruata: & nomen eius sanctum & benedictum in secula, Amen.

Ego adhuc non satis uideo, qua uia possim censuras illas intentatas euadere, nisi Princeps auxilio mihi fuerit. Rursum multo magis uellem in censuris perpetuo agere, quã Principem mei causa, quid malæ opinionis incurrere. Tu ergo, sicut me prius obtuli: ita adhuc me oblatum & crede & persuade, quibus uolueris aut tibi uisum fuerit. Hæreticus nunquam ero, errare disputando possum: sed statuere nihil uolo, porro nec opinionibus hominum captiuus fieri.

Id uisum est amicis nostris tum doctis tum bene consulentibus, ut ego apud Principem nostrum Fridericum postulem saluum (ut uocant) conductum per suum Dominium. Quod ubi mihi negauerit, sicut scio mihi negaturum, iustissima fuerit mihi exceptio & excusatio non comparendi in Roma (sic enim loquuntur) Si ergo uelles & meo nomine apud illustrissimum Principem impetrares rescriptum, quo mihi saluum conductum negaret, & meo mihi periculo

commit-

committeret: Si uellem ire, optime mihi consuleres: at hic mature facto opus est, accelerant dies, & dies præfixus propinquat, & nos terra nimio separat & negocia impediunt.

Mitto resolutiones mearum Propositionum, sed mendose excusas: ita obfuit mea aliquanta absentia. Aduersus Dialogum Siluestrinum, imo vna cum ipso Dialogo excuditur Lipsiæ responsio mea: quam & breui ad te mittam. Doleo ego uehementer meum nomen & negocium in tantum ascendisse & creuisse: ut tantis etiam Principibus negocium factum sit: & de me sordidissimo homuntione tanta tantorum luminum claritas tractet: contemptiorem me arbitrabar fore, præsertim disputatorem, quam ut mei similes, nedum mediocres commouerem. Vale in Domino semper. Vuittemberge Sabbatho octauæ Assumptionis D. Mariæ. Anno M.D.XVIII.

Resolutiones probationum Lutheri. In 1. Tomo fol. 28.

Responsio Lutheri contra Dialogum Siluestri. In 1. Tomo Fol. 45.

F. Martinus Lutherus
August:

Id autem curandum quoque suadent, ut datum literarum (ut uocant) anticipetur: sic ut ante vigiliam Bartholomei signetur scripta: nec in hoc mendacium esse dicunt, quod certum sit, & constet, Principis animus & mens semper hucusque negare conductũ voluisse seu licentiam.

EPIST. LVTHERI

ERVDITISSIMO ET HVmaniſſimo, Georgio Spalatino, a libris Ducis Saxoniæ, fideli amico in Chriſto.

Commendat ſermonem ſuum de excommunicatione, à modeſtia & ueritate: prædicat etiam Philippum recens Vuittembergam ingreſſum: & eum liberaliter alendum iudicat.

IHESVS.

57.

Sermo de excommunicatione.

SAlutem. Antequam uenirent literæ tuæ, mi Spalatine, iam editus erat ſermo de excommunicatione, ſed tanta modeſtia & tam firmis fultus ueritatis patrocinijs, ut mihi ſpes ſit, eum non modo non reprobari a ueritatis amatoribus: ſed & magnam gratiam initurum, apud eos etiam, quos tyrannis ipſa delectat: adeo ſacram illam poteſtatem extuli magnifice, citra tamen adulationem, non tamen citra neceſſitatem. Nihil enim in eo docui, quod non ipſimet docuerint & doceant.

Philippus Melanthon Vuittembergam uenit, die 25. Auguſti.

De Philippo noſtro Melanthone, quæ ſcribis & mones, facta & facienda quoque non dubites: habuit orationem quarto die poſtquam uenerat plane erudítiſſimam & terſiſſimam tanta gratia omnium & admiratione, ut iam non id tibi cogitandum ſit, qua ratione nobis eum commendes: abſtraximus cito opi-

nionem

nionem et uisionem staturæ & personæ: & rem ipsam in eo & gratulamur & miramur: gratiasq; illustrissimo Principi, tuo quoq; officio agimus: verum id potius curandum est, quo nam studio, reddas eum Principi nostro commendatissimum. Ego plane Græcum præceptorem, illo saluo, alium non desidero. Vnum timeo, ne forte uictum nostrę regionis non satis ferat teneritudo eius: deinde, quod audio, nimium parco stipendio eum conductum, adeo ut Lipsensibus iam gloriabundis spes sit, fore, ut nobis eum quantocius auferant. Nam & solicitatus iam fuit ab eis, antequam ad nos perueniret. Suspicio mihi est, & multis alijs mecum, D. Pfeffingerum pro more suo, etiam in hac causa, nimium uoluisse Principis marsupio fidelem dispensatorem præstare.

Itaque, mi Spalatine, ut libere, id est, cum amicissimo loquar, uos uidete, ne personam & ætatem eius contemnatis: homo dignus est omni honore. Nollem enim nos & vniuersitatem nostram rusticitatis insigne admittere, quo fabulam ex nobis æmuli speciosiorem facere possint.

Responsio Lutheri ad Siluestri Dialogum.

Mitto nugas meas nugacissimas & extemporalissimas aduersus Siluestrũ uere siluestrem & campestrẽ Sophistam meum biduo effusas. Neque enim dignus mihi uisus est, propter quem neruos ingenij & studij

operam frustra tentarem, in tam leuibus suis, & (vt uocant) bullaceis syllogismis. Meas causas tibi curæ esse, gratias ago Deo & tibi. Vale & ama me in Christo. Pridie Calend: Septembris. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus
August:

D. Andreas Carolstadius, aduersus Eccij defensionem aliam molitur pugnam: & quantum ego capio, Eccius sua defensione nihil fecit: nisi quod locum ostendit, quo possit quam aptissime feriri.

REVERENDO ET OPTIMO Patri, Iohanni Staupitio, Eremitarum S. Augustini Vicario, suo in Christo colendo patrono ac maiori.

Ad Staupitij admonitionem respondet, se nihil uel citatione uel minis moueri: Siluestro etiam liberius se responsurum, si denuo prouocetur: causam etiam exponit editi sui sermonis de excommunicatione.

IHESVS.

58.

SAlutem. Nihil dubites, Reuerende mi Pater, futurum me liberum in uerbo Dei scrutando & tractando. Neq; enim illa citatio & intentatæ comminationes me aliquid mouent: incomparabiliter peiora patior,

ra patior, ſicuti noſti, quæ cogunt me iſta temporalia & momentanea fulmina leuicula ducere: niſi quod poteſtatem eccleſiaſticam ſyncere uolo colere: quod ſi excommunicer ab homine, te vnum timeo offendere: cui confido iudicium in rebus datum a Deo rectum & fidele.

Videbis Reſolutiones] & reſponſiones meas in aliquot locis liberiores, quã forte & tu ipſe probare poſſis, porro adulatorib. Romanis intollerabiles: ſed reſolutiones editæ fuerant alioqui eas temperaſſem. Verum ſi Siluester et Silueſtreus iſte ſophiſta pergere cœperit, & aliis me prouocare nugis: tunc ego non iterum ludam, ſed, datis frenis, ingenio & calamo, oſtendam ei in Germania eſſe, qui ſuas & Romanas technas intelligant: & id cupio citius fieri: iam diu & minis nos Romani tanquam Bardos & Buccones ſuos ſine fine ſtrophis et uerſuris uerſutiiſq; ludunt, & non tam fallunt aſtute, quam aperte & impudenter calumniantur. Siluester.

Horum enim ſtudium eſt, ut uideo, ne regnum veritatis, id eſt, Chriſti ſit regnum ueritatis, dum uno furore id ſatagunt, ne ueritas in regno ſuo proprio audiatur & tractetur. Ego me partem huius regni fieri cupio, ſi non ueraci uita, certe tamen ueraci lingua & corde, utcumq; emendata ſaltem uere confitente.

Et ego experior populum suspirare uocem Pastoris sui Christi, & miro studio in sacras literas feruere etiam adolescentes. Cœpta est apud nos græca lectura: græcissamus omnes propter intellectum Bibliæ: hebræum expectamus etiam, & Princeps in hoc curam habet.

Causa sermonis de excommunicatione editi.

Habui sermonem de excommunicatione Vuitembergæ, vehementer necessarium populo propter duras officialium vexationes in populum nostrum. Quem cum omnes nostri Iuristę & Theologi probãt maxime: mirũ tamen est quanta incendia mihi ex illo cõflare studuerint obseruatores atroces nimis: qui raptum ex ore meo in articulos odiosissime cõpositos, tum redegerunt & vbiq; sparserunt & spargunt cum insigni nominis mei persequutione: deniq; Augustæ inter magnates uolat et irritat multos: in Dresdẽ mihi ipsi in faciem obiectus fuit, allatis aliquot eiusdem articulis. Vide quam insidiose petar & undiq; sepiar spinis: sed Christus uiuit & regnat heri & hodie, & in secula. Veritatem doctam a me, conscientia mihi respondet, & ueritatem cum nominem, ideo magis odiosam. * Vterus Rebeccæ est: paruulos in eo collidi necesse est, etiam vsq; ad periculum matris.

Ista ecce fuit causa, ut ederem eundem sermonem, quo uenenatis istis articulis occurrerẽ, aut male

intellectis

intellectis lucem afferrem. Tu pro me ora: ne nimis gaudeã & confidam in ista tentatione. Deus illis nõ imputet oro. Habent & ipsi zelum Dei, etiam teste me, sed indoctissimum, donec & ipsos illuminet eadem luce nostra Ihesus Christus: qui te seruet sibi in gloriam & in ecclesiæ suæ salutem, Amen, die Egidij. M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus.

SVO GEORGIO SPALAtino, librario Ducali, amico erudito in Aldenburg.

Primo, quod ad suam causam non uult misceri aut periclitari Principem, sed suo periculo cum aduersarijs se disputaturum. Secundo, quod ad Academiam, petit minui studiosæ iuuentuti complctionem pro gradibus. Postremo, exaggerat Florentinorum auaritiam, per bullas exigentium decimas.

IHESVS.

59.

SAlutem. Scribis, mi Spalatine, esse quosdam qui Principem nostrũ illustrissimũ conentur & cœlo et terrę inuisum facere: obsecro, quid hoc monstri est? Opto ex corde, ne id mei causa fiat, sicut dixi, ita dico, Nolo in hac re Principem nostrum innocentissimum, quicquã facere, quod Propositiones meas defendat, sed

ſed offerri & obijci omnibus, quicunq; contra me vel agere uel ſcribere uoluerint: ſicut ſpero facturum eſſe, niſi forte id commode præſtare poſſet, ne uis mihi irrogaretur. Quia ſi ne hoc poterit: etiam ſic uolo meum eſſe periculum totũ. Spero me pulchre defenſurũ ea, quæ defendenda ſuſcepi, inuitis (ut Chriſto duce glorier) omnibus opinionibus Thomiſtarũ. Violentię autem locum dare neceſſe erit, ueritate tamen ſalua.

Reſolutiones meas corruptiſſime excuſas, vna cum Dialogi Siluestri confutatione ad te perueniſſe credo: ita rogo, dic omnibus, quibus potes, Martinum eſſe eum, qui diſputarit iſta, ſi quis contra uoluerit ire, aut meliora ſperat facere: is me inuenturus eſt paratum doceri aut docere. Mecum igitur agant: quid Principem & alios in his rebus fruſtra fatigant? ſed ſatis.

Orta eſt apud bonos adoleſcentes noſtros quæſtio, quam conſulentibus amicis tibi ſcribere, aut per te Principi noſtro inſinuare uiſum eſt. Ea autem eſt: quod cum nunc Dei gratia optimæ lectiones uigeant, & ipſi mire in ſacras literas ſynceramq; Theologiam ardeant: durum eis uidetur, propter tot lectiones alias, quas pro gradibus complere coguntur, poſtponere optimas, aut ſaltem nimis grauari utriſq;. Petunt igitur, ſi fieri poſſit, ut Ethica lectio (cum ſit plane ad

ne ad

ne ad Theologiam, Lupus ad agnum) permitteretur libera, ſcilicet, quibuſcunq; liberet audienda, ſaluo non minus promotionis beneficio. Alia etiam quæſtio uertitur, quis modus futurus ſit examinandorum Baccalau: & magiſtrandorum, ſecundum nouas lectiones: ſed in hoc ipſi & nos uiderimus, niſi ad manum tibi ſit, & in numerato conſilium felicius.

Eſt apud nos epiſtola quædam ex urbe Roma ſatis erudita, uehementer acris in Romanas aſtutias, de decimis nouis exigendis, pro bello aduerſus Turcas, quæ euidenter excogitatæ a Florentinis auariſſimis omnium, quos cœlum tegit, cognoſcuntur. Ipſi enim Pontificis facilitate utuntur in omnem ſuæ uoraginis libidinem: ſed credo exemplar apud uos dudum fuiſſe, alioquin ſcribito & mittam. Cardinales enim Legatos eſſe (forte ignoras) auaritiæ, certum eſt: ſi uera illa ſunt quæ ſcribit. *Cardinales Auaritiæ Legati.*

Vale in Domino, & Philippum Græciſſimũ, eruditiſſimum, humaniſſimum habe commendatiſſimũ: auditorium habet refertum auditoribus: in primis omnes Theologos ſummos cum medijs & infimis, ſtudioſos facit græcitatis. Vuittembergæ, 2. Septembris. Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus.

EPISTO. LVTHERI

REVERENDO PATRI IOhanni Lango, Vicario medio, Eremitarum Augustinensium, Erffurdiensium &c. sibi in Christo maiori.

Prædicat Philippi M. eruditionem & linguarum cognitionem.

IHESVS.

60.

SAlutem. Habes hic Fratrem sacrificaturum: non erat, quo citius mitti posset, defectu socij itinerarij. Dialogos siluestrinos non habeo, nisi hunc unum: alios excudit Melchior Lotther, venditis omnibus prioris excusionis exemplaribus. Ita enim Dominicales fratres omnia emunt, & supprimere conantur. Lectorem Iohannem Ienner mittimus ad locū suum: licet necdum quid certi experiri possum: nisi quod mores meliores alibi accepturum spero.

Eruditissimus & græcanicissimus Philippus Melanthon apud nos græca profitetur, puer & adolescentulus, si ætatem consideres, cæterum noster aliquis, si uarietatem et omnium fere librorum noticiam spectes, tantum ualet non solum in utraq; lingua, sed utriusq; linguæ eruditione: ebræas quoq; non incognitas habet literas.

Scripsit

Scripsit mihi illustrissimus Princeps, se in causa mea egisse: ut Legatus Caietanus scripserit ad urbem pro mea causa committenda ad partes: & interim id me debere expectare. Ideo spero censuras non uenturas esse. Displiceo autem multis, pluribus, plurimis. Cæterum nec tibi fuisset opus tanta impatientia mihi respondere. Fuit enim mihi suggestum, & adhuc non aliud interim quærere curaui, te uelle, omnes a nobis expensas solui, non tãtum sex illos grossos Cerbitensi. Deinde & Priori nostro satis displicuit, & displicet fratris scriniatoris tanta dilatio, scilicet ad hyemem, quando nemo potest operari: sed tu uideris quoque, quid ad me?

De Patre M. Mechlinia, & mortuorum nominibus, ex isto fratre omnia agnosces. Vale, & saluta, qui salutari a me dignantur. Volo Theologos tuos esse mirabundos super me, modo mihi integrum permittatur meam sequi Theologiam. Illorum enim nolo, vnquam, vsquam, vllo modo. Altera octauæ Natiuitatis Virginis. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus August.

IOHANNES STAVPItius Doctor, Martino Luthero.

Crucem illi paratam denunciat: & ut relicta Vuittemberga, ad se ueniat, ad quamcunque fortunam secum ferendam, hortatur.

IHESVS.

61.

IN patientia possidere animam pro salute. Tam multa scribenda occurrunt, ut opusculo sufficerent: absoluam autem paucis. Videtur mihi mundus contra ueritatem exasperatus: olim in tanto odio fuisset crucifixus Christus: & quid hodie præter crucem te maneat, non uideo quicquam. In foribus, ni fallor, est sententia: ne quis inconsulto Pontifice scrutetur Scripturas, ad inueniendum se, quod uticque Christus ut fieret iussit. Paucos habes patronos: & vtinam non sint occulti propter metum aduersariorũ. Placet mihi, vt Vuittembergam ad tempus deseras, meque accedas: ut simul uiuamus moriamurque. Id ipsum & Principi complacitum est. His pono modum uerbis. Expedit ita fieri, quatenus deserti desertum sequamur Christum. Vale & felix ueni. Datum Saltzburgæ, die exaltationis sanctissimæ Crucis. Anno M. D. XVIII.

Frater tuus Iohannes D. Staupitius.

AD

AD GEORGIVM SPALATINUM.

Narrat, quid Augustæ orator Montisferrati, ante colloquium cum Caietano, cum ipso egerit: & quam spem alat de colloquij successu & euentu.

IHESVS.

92.

SAlutem. Venimus Augustam, mi Spalatine, die sancti Marci, qui est post Franciscum: uenimus autem fessi, & ego per uiam pene defeceram, hausto nescio quo graui incommodo stomachi: sed reualui. Hodie tertius dies est aduentus, nec dum vidi Reuerendissimum Dominum Legatum: misi tamen primo statim die Doctorem Vuenceslaum & alium, qui me adesse nunciarent, interim mihi publica fides, seu saluus conductus, ab amicissimis paratur apud Cæsareanos & Senatum: omnes sunt spontanei & obsequiosi in me, nomine illustrissimi Principis nostri.

Licet enim Cardinalis ipse Reuerendissimus Legatus, omnem clementiam promittat: nolunt tamen amici permittere, vt simpliciter illi confidam: adeo curãt rem & prudenter et diligenter. Sciunt enim esse eum in me exacerbatissimum intus, quicquid simulet foris: quod & ego intellexi aliunde non obscure.

Hodie autem omnino accedam, & primum, col-

loquium & conspectum petam: quid futurum sit, nescio. Alijs uidetur in rem meam esse, quod absens est Cardinalis Gurcensis: alijs quoque, quod absens est & ipse Cæsar. Nam hic non longe abest: quottidie expectatur reuerti. Et Episcopus Augustensis abest ab urbe. Cænaui heri apud Conradū Peuttinger, Doctorē & ciuem, & uirum, qualem melius nosti: qui vnus omnium est in mea re studiosissimus, nec segnius, senatores alij: atque nescio an Reuerendissimus Dominus Legatus me timeat, uel monstrum alat.

Heri ad me misit orator Montisferrati, vt ne accederem Legatum, nisi prius mecum sibi fuisset interlocutum: venit homo (omnium iudicio) subornatus, & a legato instructus: & multis uerbis sanissimisque (vt ait) consilijs, mecum omnino egit, vt simpliciter Legato consentirem, ad ecclesiam redirem, maledicta reuocarem, exemplum mihi proponens Abbatis Ioachimi Florentini, qui eadem ratione meruerit, non esse hæreticus, licet hæretica dixisset. Deinde dissuasit homo suauissimus, ne rationem dictorum redderem: vultis, inquit, hastiludia facere? breuiter Italus est & Italus manet. Ego uero dixi: si potero doceri, aliter a me esse dictum aliquid, quam sancta Ecclesia Romana sapit: mox ipse mihi iudex ero, & canam Palinodiam.

Cæterum

Cæterum hic erit nodus, ſicubi opinationes D. Thomæ ille pertinacius coluerit, quam ferre poſſit decretum & authoritas Eccleſiæ: eatenus ei non cedam, quatenus eccleſia non reuocarit ſuum prius decretum, quo ego nitor. Hei hei, inquit ille, vultis haſtiludia facere? Deinde proceſſit in inſaniſſimas propoſitiones, vt palam fateretur: mendaces propoſitiones licere prædicari, modo bonam quæſtam (ut ait) facerent & capſam replerent: & Pontificis poteſtatem negaret tractandam diſputatione, ſed extollendam ita, ut nutu ſolo omnia abrogare, etiam ea quæ fidei eſſent, in hac præcipue re poſſit, & nonnulla alia quæ coram audies. At ego hunc Sinonem, parum conſulte inſtructum arte Pelaſga, dimiſi, & abiit. Ita inter ſpem & metum pendeo. Nam non parum fiduciæ iſte mediator ineptus mihi contulit.

Doctorem Chriſtopherum Scheurlin non inueni Norimbergæ: ideo apud Dominum Philippum Feilitzſch egi, ut nomine Principis daret Domino Iohanni Boſſenſtein ſex florenos, alios quatuor apud D. Scheurlin, vel Priorem noſtri conuentus Nurmbergæ mutuũ acciperet. Nam omnino negabat poſſe ſe tali ſumptu tantum iter perficere. Veniet ergo quãto poteſt maturius.

Reuerem-

Reuerendissimus Pater Vicarius noster, Doctor Iohannes Staupitz scribit sese omnino & certissime uenturum, si constiterit ei me aduenisse. Ideo statim misso Fratre Leonardo eo die, quo ueneram, nunciaui ei aduentum meum: & hodie expecto uenturum. Orator Franciæ abierat paulo antequam ueni in terram suam, relicto insigni iudicio studij sui in me.

Has literas si meis Vuittembergensibus, uel certe ea, quæ eos scire uolueris, communicaueris, gratum feceris: scribam alias, latius & pluribus, modo per negocium & tempus non licuit, quos omnes meo nomine salutes, & siue ego redeam siue minus, prospere agant. Nam certum est me appellaturum concilium futurum: si Dominus Reuerendus Legatus magis ui quam iudicio uoluerit agere.

Scimus Principi nostro illustrissimo Rosam esse missam a summo Pontifice (quam illi magnis magna spe solent offerre) & omnia officia beneuolentissime promissa. Summa summarũ, ecclesia: Romana (si sic licet loqui) auro insatibiliter eget, & uorando assidue sitim auget. Vale in æternũ, & illustrissimo Principi mea uice & gratias age amplissimas & me commenda. Augustæ Dominica post Dionysij, summo mane. Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus.

ERVDITISSIMO SVO DVL- cissimoque, Philippo Melanthoni, Græca profitenti Vuittembergæ, in Christo suspiciendo.

Scribit se Augustæ potius periturum, quam bene dicta reuocaturum.

IHESVS.

63.

SAlutem. Iohannem nostrum Bossenstein, mi dulcissime Philippe, a te potius accipio commendatum, quam tibi commendatum facio: homo est ut uideo anxius & modicæ fidei, quæ res (timeo) ne familiaritatem uestram faciat ei rariorem: sed tu uiscera non ossa in eo ostende una cum reliquis: de mea causa D. Carlstadium certum faciet. Nihil noui aut miri hic agitur, nisi quod mei nominis rumore plena est ciuitas: & omnes cupiunt uidere hominem tanti incendij Herostratum.

Tu age uirum sicut & agis, & adolescentes recta doce: ego pro illis & uobis uado immolari: si Deo placet. Malo enim perire, & quod unum mihi grauissimum est, uestra dulcissima conuersatione carere in æternũ, quam ut reuocem bene dicta, & studijs optimis perdendis occasio fiam.

Apud hos ut insipientissimos ita acerrimos li-

terarum & studiorum hostes: Italia est in Egypti tenebras palpabiles proiecta. Adeo ignorant omnes Christum, & ea quæ Christi sunt: hos tamen Dominos & Magistros habemus fidei & morum: sic impletur ira Dei super nos, quę dicit: dabo pueros Principes eorum & effœminati dominabuntur eis. Vale mi Philippe, & Dei iram castis precibus auerte.
Augustæ Feria 2. post Dionysij.
Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus.

SVO GEORGIO SPALAtino, sacerdoti Christi eruditissimo & humanissimo amico in Domino.

Recitat Historiam colloquij cum Caietano, in quo lucide cernitur Caietani extrema inscitia & impudentia, ac Lutheri constantia & solida eruditio.

IHESVS.

64.

SAlutem. Inuitus scribo ad Principem illustrissimum, mi Spalatine: ideo tu, qui familiaris es, accipe, & clementissimo Principi significari curato. Dominus Legatus iam quarto die mecū, imo contra me agit, pulchre quidem, nomine illustrissimi Principis,

omnia

omnia se leniter ac paterne facturum promittens, sed mera, sola, inflexibili potentia omnia faciens: noluit ut publice disputando responderem, noluit priuatim mecum disputare: vnum erat quod replicabat assidue: reuoca, agnosce errorem: sic uult Papa & non aliter, uelis, nolis, & id genus alia: potissimum uero me urgebat, Extrauagante quadam Clement: Sexti, quæ incipit, vnigenitus: hic hic, inquit, uides Papam determinare, merita Christi esse thesaurum indulgentiarum, credis, uel non credis? nec patiebatur ullam declarationem, aut responsionem, sed ui uerborum agebat & clamabat.

Tandem permisit uix exoratus multorum precibus, ut scriptis redderem rationem: quod hodie feci, præsente & ob id adducto Domino Philippo de Feilitzsch, nomine & uice Principis, denuo suggerente Principis petitionem. Tandem reiectis schedulis atque contemptis, reuocationem denuo clamabat: & multo longoque sermone ex S. Thomæ fabulis tracto, me uicisse & compescuisse uisus est: decies fere cœpi vt loquerer, toties rursus tonabat & solus regnabat.

Tandem & ego clamare cœpi, dicens: si potest ostendi quod Extrauagans illa dictet, merita Christi thesaurum esse indulgentiarum: reuocabo ut uoles.

hic, o Deus, quantus gestus & cachinnus: repente librum arripuit, legit feruens & anhelans, donec peruenit eo, ubi scribitur, quod Christus sua passione acquisiuit Thesaurum.

Hic ego, heus Pater reuerendissime, hoc uerbum (acquisiuit) perpende. Si Christus per sua merita acquisiuit thesaurum: ergo merita non sunt thesaurus, sed id quod merita meruerunt, id est, claues Ecclesiæ. Ergo conclusio uera. Hic repente confusus, cum nollet uideri confusus, transilijt fortiter ad alia, & uolebat hæc obliuisci prudens: uerum ego (certe satis irreuerenter) feruens, erupi: non etiam Grammaticam nobis deesse credat R. P. tua Germanis: aliud est esse thesaurum, aliud acquirere thesaurum (& sic fracta fiducia eius) cum adhuc clamaret Reuocationem, abij, dicente ipso, vade & ne reuertaris ad me amplius, nisi reuocare uelis.

Et ecce mox prandio facto ad se uocat Reuerendissimum Patrem Vicarium D. Staupitium, & multis blanditijs egit, ut me persuaderet ad reuocationem (me absente) asserens quoque me non habere amiciorem facile quam sese: cumque ille respondisset, se persuasisse, persuadere quoque hodie, ut Ecclesię humiliter submitterer, sicut & coram omnibus fueram prius testatus: dicebat tandem sese esse mihi imparem (opinione

nione scilicet sua) in sacris literis & ingenio : deinde ipsum esse uice Papæ, & omnium nostrum hoc loco prælatum, ut ipsemet persuaderet. Tandem eo uentũ est, ut præscribat articulos, quibus reuocare, quid & sapere debeam.

Et huc usq; pendet negotium. Sed mihi non est spes neq; fiducia in eum : appellationem autem paro quotidie, ne syllabam quidem reuocaturus: edam autem responsionem meam ei oblatam, ut per orbem confundatur, si ui processerit, ut cœpit. Vale, raptim, Augustæ, die S. Calixti. Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus August.

REVERENDISSIMO IN Christo Patri & Domino, Domino Thomæ, Tituli S. Sixti, Cardinali sanctæ sedis Apostolicæ Legato.

Respondet Caietano ad duas obiectiones in colloquio motas. 1. De Extrauagante, quod uidelicet, non uocet merita Christi Thesaurum indulgentiarum, sed quod per merita sit acquisitus Thesaurus. 2. Quod necesse sit statuere nos fide iustificari.

JHESVS.

In 1. Tomo Ienensi. fol. 196. a.

SAlutem. Quam non detrectem respondere, libensque uelim rationem reddere de singulis specialibusque meis dictis, Reuerendissime in Christo Pater, vt obiectionibus satisfaciam, quas heri & nudius mihi obiectas memini, hac uolui epistola humiliter protestari. Nam duo sunt, quæ mihi sunt a Pat. tua Reue. obiecta. Primum Extrauagans illa Clement. VI. quæ incipit: vnigenitus &c. In qua thesaurus indulgentiarum asseri uidetur esse merita Christi & sanctorũ, quod ego in Positionibus meis uideor negare.

Respondeo itaque. Non fuit mihi incognita Extrauagans illa, cum istas meditationes meas meditabar: sed cum certissimus essem, vnamque totius Ecclesiæ sententiam esse scirem, merita Christi in spiritu non posse comitti hominibus, nec tradi per homines, aut ab hominibus, sicut tamen Extrauagans ista, sonare uidebatur: uolui intactam relinquere, alijsque ingenijs melioribus committere magnas illas molestias & angustias, quas pro tuenda Papæ reuerentia patiebar.

Occurrebat enim & mouebat, Primo, quod nuda essent verba Pontificis, & aduersus contentiosum uel hæreticum, inualidum præsidium. Deinde, si quis diceret,

diceret: turpe esse, Principem loqui sine lege: & iuxta Zachariam, non verba hominis, sed legem Dei requirendam ex ore sacerdotis: item, quod verba scripturæ torquet, & in alienum sensum eis abutitur. Nam quæ de gratia iustificante dicta sunt, ad indulgentias trahit: quo videbatur magis narrare, & magis opinione quadam pia exhortari, quam solida demonstratione aliquid probare.

Vexabat etiam erroneas esse, quod fieri posse constat, decretales aliquando erroneas esse, & contra sacras literas & charitatem militare. Nam licet Decretales Ro. Pontificis tanquam uocem Petri oportet audire, vt dicitur di. xix. tamen hoc ipsum intelligitur de his solum (ut dicitur ibidem) quæ consonæ sunt sacræ scripturæ, & a prioribus Patrum decretis non dissentiunt.

Accessit ad hoc, quod de facto Petrus non incedens ad veritatem Euangelij, reprehensus est a Paulo, Galat. 2. Ideo non mirum videri, si successor eius in aliquo defecerit. Quandoquidem & Acto. 15. doctrina Petri non fuit suscepta, donec accederet & approbatio Iacobi minoris Episcopi Hierosolymitani, & totius Ecclesiæ consensus: vnde fluxisse uidetur id iuris dogma, Legem tunc firmari, quando utentium moribus approbatur.

Præterea,

Præterea, quam multæ Decretales priores correctæ sunt per posteriores. Ideo & hanc forte pro tempore suo corrigi posse. Panormitanus quoque li. I. de elect. C. significasti, ostendit, in materia fidei, non modo generale concilium esse super Papam, sed etiam quemlibet fidelem, si melioribus nitatur autoritate & ratione, quam Papa: sicut Petro Paulus Gala. 2. Quod & illo 1. Corinth. 14. confirmatur, si fuerit alteri sedenti reuelatum, prior taceat. Ideo sic uocem Petri esse audiendam, ut tamen liberior sit uox Pauli eum redarguentis; porro omnium superior uox Christi.

Maxime uero laborabam, quod eadem Extrauagans manifestissime mihi apparebat falsa quædam continere. Primo, quod dicit, merita sanctorum esse thesaurum, cum tota scriptura dicat, Deum ultra condignum præmiare, vt Roma. 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis &c. Et B. Augustinus lib. I. retract. xix. Tota Ecclesia usque in finem mundi orat, dimitte nobis debita nostra. Ergo non superfluere alijs posse, quæ nec sibi sufficerent: inde uirgines sapientes noluerunt oleum communicare insipientibus. Et B. Augustinus lib. 9. confessionum, uæ hominum vitæ, quantumcunque laudabili, si remota misericordia iudicetur. Et Propheta: non intres in iudicium cum

seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ideo sancti, non suis meritis, sed sola Dei misericordia salui fiunt, ut latius dixi in Resolutionibus.

Ego uero non eram tam insigni temeritate, vt propter unam decretalem pontificis hominis, tam ambiguam & obscuram, recederem a tot & tantis diuinis scripturæ testimonijs apertissimis: quin potius arbitrabar, quam rectissime, uerba scripturæ, quibus sancti describuntur deficere in meritis, incomparabiliter præferenda uerbis humanis, quibus scribuntur abundare: cum Papa non super, sed sub uerbo Dei sit, iuxta illud Galat: 1. Si Angelus de cœlo aliud uobis euangelizauerit, quam accepistis, anathema sit. Iam illud quoq; nonnihil erat, quod Petro hunc commissum thesaurum dicit: de quo nihil constat, nec in Euangelio, nec ulla scriptura.

His perturbatus molestijs, vt dixi, consilium mihi fuit, quiescere, & alios audire: cum Positiones meas verissimas usq; hodie quoque uiderem: nunc uero, cum urgeor ipse tentare, quod ab alijs, maxime a summo Pontifice expectare debueram, cuius solius est declarare ea, quæ condidit: tamen pro uiribus ingenij & gratia Dei conabor pro tutela syncerissimæ ueri-

tatis, positiones meas cum Extrauagante concordare, utrasque seruando in ueritate.

Primum, supponendo, quod indulgentiæ prorsus nihil sunt metaphysice loquendo: quia certum est eas esse aliud nihil, quam remissiones satisfactionis, id est, bonorum operum, eleemosynæ, ieiunij, orationis, &c. Ideoque certum est, eas esse bonũ priuatiuum, dum permittunt, non solui pœnas debitas, aut non fieri labores operum. Quare necessario thesaurus hoc loco improprijssime accipitur. Quia nihil confertur positiue: sed permittitur, ut nihil soluatur.

Secundo, certo certius est, quod hunc thesaurum Papa non habet uelut in loculo, uel cista, sed in verbo uel clauibus, uel potestate. Quia erogando, non cistam, sed uoluntatem & uerbum aperit, & sic donat.

Tertio, Ideo sequitur, quod thesaurus indulgentiarum sunt merita Christi, non formaliter, nec proprie, sed effectiue & improprie. Quia Papa non dat merita Christi formaliter: sed de merito Christi, id est, per claues, quas meruit dari Ecclesiæ suæ. Quia in uirtute clauium est, vt remittatur satisfactio: & sic patet, quod recte dixi conclusione 60. Thesaurum hunc esse claues Ecclesiæ merito Christi donatas. Et hoc sensu uerum est, merita Christi esse thesaurum

Indul-

Indulgentiarum, scilicet improprie, thesaurum & meritum Christi accipiendo. Patet ergo, concordantia Extrauagantis cum mea Positione.

Quarto, hanc esse mentem Papæ in ista Extrauagante, probant ipsa uerba Papæ, ubi dicit: hunc thesaurum Petro & successoribus suis a Christo commissum: sed constat & certum est, nihil Petro commissum, præter has claues regni cœlorum, quæ sunt merita Christi (id est, de merito Christi donatæ) improprie & effectiue, ut dixi: & alterum uerbi thesaurum, de quo dicit: Pasce, pasce, pasce oues meas.

Quinto, hanc autem thesauri indulgentiarum intelligentiam, certum est esse incognitam apud populum Christi et innominatam, ut dicit conclusio 56. Quia uere non dicuntur, nisi impropria & obscura illa nomina, thesaurus, merita Christi &c. Ideo fere credunt, sese bonum aliquod proprium & positiuum consequi, sicut donum aliquod aut gratiam: cum tamen non consequantur nisi ministerium clauium, quo soluuntur, ne satisfaciant pro peccatis, ac sic priuatiuum bonum accipiunt & impropriũ thesaurũ. Et ille est inexhaustus & infinitus: quia virtus clauium est inexhausta, quæ merito Christi immediate nititur, indulgentiæ uero mediate. Ac ideo potest etiam

dici, merita Christi esse thesaurum Indulgentiarum mediate.

Sexto, Similiter admitterem etiam, merita sanctorum esse hunc thesaurum, scilicet improprie, id est, quod merita sanctorum per fidem Christi incorporata & unum cum eis facta, iam idem sint & faciant, quod merita Christi: iuxta illud, quod uita iusti non est ipsius, sed Christi in eo uiuentis. Galat: 2. Viuo ego, non ego, uiuit uero in me Christus. Nam merita sanctorum, ut sanctorum, nihil essent, & damnabilia, ut supra dixi, ut B. Augustinus: Vbi non ego, ibi felicius ego: quia Christus & Ecclesia sunt duo, in carne vna.

Septimo, Verissimum tamen est, merita Christi non esse thesaurum indulgentiarum, positiue, proprie & immediate, vt aliquid conferant, sicut intelligunt rudiores. Quia quando conferunt donum positiuum, faciunt id, non ut indulgentiæ thesaurus, sed ut gratiæ uitalis thesaurus. Tunc enim formaliter, proprie, immediate donantur sine clauibus, sine indulgentijs a solo spiritu sancto, non autem unquam a Papa. Quia per charitatem homo fit unus cum Christo: ideo participat omnibus bonis eius. Et hoc est, quod mea conclusio 58. dicit: nec sunt merita Christi: quia hæc sine Papa operantur gratiam hominis interioris.

Breuiter

Breuiter itaq; patet, quod merita Christi necesse est dupliciter accipi, si salua debet Extrauagans consistere: uno modo proprie & formaliter, & sic sunt thesaurus, uitæ spiritus, & propriissime a spiritu sancto distributus, cui uoluerit: alio modo improprie & effectiue & literaliter, pro eo quod meritis Christi effectum est. Et sicut Extrauagans improprie inducit scripturas, ita etiam improprie thesaurum, improprie merita Christi, & omnia improprie accipit. Quo factum est, ut esset ambigua, obscura & occasio iustissima disputandi: ego autem proprie loquutus sum in meis Positionibus.

Qui habet, det meliora, & reuocabo ista. Non enim meum est interpretari canones Pontificum, sed meis Positionibus adesse, ne contra Canones pugnare uideantur, expectans humiliter, si alia fuerit mens Papæ demum declarata, paratus eidem parere.

Hæc omnia tamen dicta uolo pro Reuerentia sedis Apostolicæ, & reuerendissimi domini Cardinalis &c. Nam si legitima & libera agendum mihi est sententia: contendo & probo eandem Extrauagantem esse proprie, directe, aperte pro me meaq; conclusione, & contra sententiam reuerendissimi Domini Card: quia textus expresse dicit, quod Christus thesaurum hunc acquisiuit Ecclesiæ &c. Hoc uerbum,

acquisiuit, euidenter conuincit, atque concludit irrefragabiliter, aliud esse merita Christi, quibus acquisiuit, & aliud thesaurum, quem acquisiuit. Quia aliud est causa, & aliud effectus, vt etiam Philosophi dicunt. Ideo conclusio mea stat inuicta: quod merita Christi non sunt thesaurus indulgentiarum, sed acquisierunt eum. Nihilominus tamen etiam hæc ipsa submitto iudicio Ecclesiæ, ut supra.

OBIECTIO altera est, quod in conclusione mea 7. declaranda, dixi: neminem iustificari posse, nisi per fidem, sic scilicet, ut necesse sit, eum certa fide credere, sese iustificari, & nullo modo dubitare, quod gratiam consequatur. Si enim dubitat & incertus est, iam non iustificatur, sed euomit gratiam. Hanc theologiam nouam uideri putant & erroneam.

Ad quod respondeo:

Primum, infallibilis est ueritas, quod nullus est iustus, nisi qui credit in Deum, ut Rom. 1. Iustus ex fide uiuit. Ideo quicunque non crediderit, iam iudicatus & mortuus est: igitur iustitia iusti, & uita eius, est fides eius. Quare & omnia opera fidelis, uiua sunt, & omnia opera infidelis mortua, mala, & damnabilia, iuxta illud: Non potest arbor mala fructus bonos facere: arbor autem, quæ non facit fructus bonos, exci-

cidetur, & in ignem mittetur.

Secundo, Fides autem est nihil aliud, quam illud, quod Deus promittit aut dicit, credere, sicut Roma.4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ideo uerbum & fides necessario simul sunt: & sine uerbo impossibile est esse fidem, vt Isa. 55. Verbum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum.

Tertio nunc probandum est, quod accessuro ad Sacramentum necessarium sit credere, sese gratiam consequi, & in hoc non dubitare, sed certissima fiducia confidere, alioqui in iudicium accedit.

Primo per illud Apostoli Ebr.11. Oportet accedentē credere, quod Deus est, & quod inquirentibus se remunerator est. Hic patet, quod non licet dubitare, sed firmiter credere, quod Deus sese inquirentes remuneret. Quod si oportet credere remuneratorem, omnino oportet etiam credere iustificatorem, & gratiæ largitorem in præsenti, sine qua præmium non donatur.

Secundo necessarium est sub periculo æternæ damnationis, & peccati infidelitatis, credere his uerbis Christi: Quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Ideo si accedas ad Sacramentum pœnitentiæ, & non credideris firmiter, tete absoluendum

dum in cœlo, in iudicium accedis & damnationem. Quia non credis Christum uera dixisse: Quodcunque solueris &c. et sic tua dubitatione Christum mendacem facis, quod est horrendum peccatum.

Si autem dixeris: quid si sim indignus & indispositus ad Sacramentum? Respondeo ut supra: Per nullam dispositionem efficeris dignus, per nulla opera aptus ad Sacramentum, sed per solam fidem. Quia sola fides uerbi Christi iustificat, dignificat, uiuificat, pręparat, sine qua omnia alia, uel sunt pręsumptionis, uel desperationis studia. Iustus enim nō ex dispositione sua, sed ex fide uiuit. Quare de dignitate tua nihil oportet dubitare. Ideo enim accedis, quia indignus es, ut dignus fias, & iustificeris ab eo, qui peccatores, nō iustos, quærit saluos facere: dum autem credis uerbo Christi, iam honoras uerbum eius, & ex eo opere iustus es &c.

Tertio, hanc fidem multipliciter nobis commendauit in Euangelio. Primo, quando mulieri Cananeæ dixit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut credidisti. Hic patet quod non de fide illa generali agitur, sed de speciali illa, quæ erat de effectu sanandæ filiæ, quem mater petijt. Hunc enim effectum ipsa fortiter credidit, posse & uelle Christum efficere, & sic impetrauit. Nunquam autem impetrasset, nisi ita

credi-

credidisset. Ergo ad hunc effectum nulla dispositione, sed sola fide, digna facta est.

Secundo, quando ad cœcos illos dixit: creditis, quia possum hoc vobis facere? Et illi: Vtiq;. Ait: Sicut credidistis, fiat vobis. Ecce certi erant, quod fieret, quod petebant. Ideo & factum est, sine omni alia dispositione. Si autem dubitassent futurum: nec petijssent bene, nec accepissent.

Tertio, Centurio ille: Dic tantum verbum, inquit, & sanabitur puer meus: non vtiq; generali fide, sed speciali, de præsenti effectu credidit & impetrauit.

Quarto, Ioan: 4. Regulus ille credidit sermoni, quem dixit illi Ihesus, scilicet: Vade, filius tuus uiuit. En ipsa fide, meruit vitam filij. Ita certe oportet omnem accedentem credere, sese consecuturum, quod quærit, aut nihil consequitur.

Quinto illud Marci 11. Amen dico vobis, quicquid orantes petieritis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Ecce dicit: Quicquid, nihil excipiendo. Patet autem, quod in Sacramento quolibet petimus aliquid (nemo enim Sacramentum accedit, nisi gratiam petiturus) Ideo hic audiendus est Christus dicens: Credite, quod accipietis, & fiet vobis. Alioqui omnia nutarent in Ecclesia, & nihil certi constaret, quod est absurdissimum.

Sexto illud: Si habueritis fidem, sicut granum synapis, & dixeritis monti huic, transi hinc, & non hæsitaueritis in cordibus uestris, amen dico uobis, fiet.

Et si totum Euangelium percurras: inuenies exempla alia multa, quæ omnia non de fide generali, sed particulari, & quæ ad effectum aliquem præsentem pertineat, dicuntur. Quare necessaria est fides certa absoluendo, cum Sacramenta nouæ Legis, iuxta Magistrum, sint in exercitium, & actuationem fidei nostræ instituta.

Septimo, Hinc enim discipulos & Petrum, sæpe arguit Dominus, quod essent modicæ fidei, non generalis illius, ut dicitur, sed specialis, de effectu præsente, ut patet.

Octauo, Iacob. 1. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo: postulet autem in fide, nihil hæsitans: nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui uento mouetur: non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Deo. Ista est certe euidentissima authoritas, etiam cogens me ad hanc sententiam, quod gratiam aut sapientiam nullus accipere potest, qui dubitat sese accepturũ: nec uideo, quid ad eam responderi possit.

Nono, B. Virgo nunquam concepisset filium Dei, nisi Angelo nunciante, credidisset ita futurum, ut diceret: Fiat mihi secundum uerbum tuum. Sicut prę-

dicat

dicat Elizabeth: Beata, quæ credidisti, quia perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Vnde fidem eius miratur diuus Bernhardus, & vniuersa Ecclesia. Sic Samuelis mater Hanna, postquam credidit uerbo Eli, abijt, & vultus eius nõ est amplius in diuersa mutatus. Contra, filij Israel, quia non crediderunt uerbo promittentis terrã Canaam, in deserto prostrati sunt.

Et breuiter, quicquid illustre factum legimus in ueteri & noua lege, fide factum esse legimus, non operibus, nec fide generali, sed particulari, ad præsentem effectum destinata. Inde nihil aliud in scriptura quam fides commendatur, præsertim Abrahæ, Rom: 4. quæ tamen fuit in filium nasciturum Isaac, & nihilominus est ei in iustitiam reputata. Sic & nobis in Sacramentis fiet: si credimus, consequimur: si non credimus, in iudicium accedimus.

Decimo, Et B. Augustinus super Iohannem: Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum: nõ quia fit, sed quia creditur. Ecce Baptismus abluit: non quia fit, sed quia creditur abluere. Inde & peccatricem absoluens, dicit: fides tua saluam fecit: uade in pace. Inde illud dictum commune: Non Sacramentum fidei, sed fides Sacramenti iustificat, sine qua impossibile est, ut sit pax in conscientia: vt Rom. 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum.

Dictum Bernhardi. Vndecimo, Et B. Bernhardus sermone de Annunctia. 1. Necesse est enim primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: sed adde adhuc, vt credas & hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur: hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Hæc ille. Rom. 3.

Istæ & multæ aliæ authoritates tam expresse, tam copiose, cogunt, captiuant, ducunt me in sententiam, quam dixi.

Quare, Reuerendissime in Christo Pater, cum diuino munere es vnus insignibus dotibus, præsertim iudicij acrimonia donatus, rogo humiliter, Reue. tua Patern. dignetur clementissime mecum agere, & conscientiæ meæ compati, ac demonstrare lucem, qua possim hæc aliter intelligere, & non cogere ad reuocationem eorum, quæ etiam teste conscientia non alia duco, quam ea, quibus me necesse sit consentire. Et stantibus his authoritatibus, aliud facere non possum: nisi quod obediendum esse Deo, magis quam hominibus scio.

Velitque Reue. Pater. tua, apud sanctissimum dominum nostrum Leonem x. pro me intercedere: ne tanta rigoris inclementia in me permoueatur, ut in te-

nebras

nebras proijciat animam quærentem non nisi lucem veritatis, & paratissimam cedere, mutare, reuocare omnia, vbi aliter intelligenda esse edocta fuerit. Nec tam arrogans & vanæ gloriæ studiosus sum, vt hac causa pudeam reuocare male dicta: imo gaudiũ meũ primũ fuerit, victricem fieri veritatem: solum ne quid contra conscientiæ meæ sensum tentare cogar. Nam sine omni scrupulo hanc esse Scripturarum sententiam credo. Dominus Ihesus regat & seruet Reuerendissimam Pater: tuam in æternum. Amen.

QVæ cum altera die obtulissem, Primo contempsit & verba esse, missurũ tamen ea ad vrbẽ sese, dixit, interim ad Reuocationem vrgebat, intentans censuras sibi demandatas, ac nisi reuocarem, abijrem, & non redirem in conspectum suum.

Quo audito, cum viderem eum esse firmatum in proposito, nec vellet audire Scripturas, ego quoq; firmassem propositum non reuocandi: abij sine spe redeundi. Nam quanq; dixit, et etiam nunc glorietur, sese paterne, non iudicialiter mecum acturum: non intellexi tamen hanc paternitatem, nisi omni iudicio rigidiorem esse, vt quæ non nisi reuocationem contra conscientiam exigeret, nec saltem vellet, aut posset potius ostendere & conuincere errorem. Nam cum vidisset a me reijci scholasticorum opinatorum com-

menta, promisit quidem, se acturum contra me, sacra scriptura & canonibus: quod quomodo intellexerit iterum ignoro. Nullam enim syllabam ex sacris literis contra me produxit unquam: nec usque hodie, si quam maxime uellet, posset: cum uno omnium consensu firmatum sit, nihil de indulgentijs in sacris literis haberi, quæ potius, non nisi fidem commendant, & tam uacuæ sunt indulgentiarum memoria, quam plenæ sunt fidei eruditione, ut impossibile sit, utrum illorum articulorum posse conuelli per ipsum.

Vbi uero ego Scripturas pro me attuli, cœpit homo paterne agens, de corde suo mihi fingere glosas. Et qui tam uigilanter Extrauagantem contra me obseruarat, satis pulchre dissimulabat Canonem illum, quo prohibet Ecclesia, ne quis proprio ingenio Scripturas interpretetur, & iuxta Hilarium, non afferendas, sed referendas esse ex sacris literis intelligentias. Nec tamen hanc uiolentiam eius ægre tuli, sciens eam facultatem interpretandi ex longa Romanæ curiæ consuetudine & Scholasticorum distinctorum usu sibi præsumptam. Creditum est enim iam diu, quod quicquid Romana Ecclesia dixerit, damnarit, uoluerit, id mox omnibus dicendum, damnandum, uolendum esse: nec aliam reddi rationem oportere, quam quia sic sedes Apostolica & Romana Ecclesia sentit.

Dictum S. Hilrij.

Hinc

Hinc relictis sacris literis,& acceptis traditionib. uerbisq; hominũ,factum est, ut Ecclesia Christi nõ mensura tritici pascatur,nec uerbo Christi: sed nõ raro temeritate & uoluntate alicuius indoctissimi adulatoris regatur: & eo profecerit nostræ infelicitatis magnitudo,ut ad reuocationem & abnegationẽ fidei Christianæ,& sacratissimæ scripturæ incipiant cõpellere.

Porro,si iste est modus reuocandi:nihil uideo futurum,quam ut precedentem reuocationem,sequente alia sine fine reuocem. Nam si qua industria suum ipsius dictum,in eum ipsum retorsero, cito aliud cordis sui idolum mihi fingeret (Est enim mire fecunda distinctionibus Thomistica theologia, ac uere Protheus quidam) cui necesse esset denuo,reuocando obedire. Cum enim non in soliditate petræ, sed in arena cogitationũ suarum uagetur,nihil aliud quam perpetuum reuocandi negocium mihi incumberet.

Igitur accepto mandato nõ redeundi,mansi tamen eodẽ die in loco. Tum uocato reuerẽdo & optimo patre meo Iohanne Staupitio, Vicario egisse dicitur multis,ut ad reuocationem inducerer spontaneã.Mansi et sequenti die,& nihil mandabatur. Tertia die,scilicet, Dominica,mansi, & literas dedi, nec aliquid respondebatur.Quarta die mãsi,& nihil fiebat.Idem silentiũ quinta die passus. Tandem consulentibus amicis pręsertim

ſertim cum antea iactaſſet ſeſe habere mandatum, vt & me & Vicarium incarceraret, diſpoſita Appellatione affigenda: receſſi, ſat periculoſam obedientiam me præſtitiſſe arbitratus. Anno M.D. XVIII.

REVERENDISSIMO IN Chriſto Patri & Domino Thomæ, tituli S. Sixti, presbytero Cardinali, Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, per Germaniam de latere Legato &c. In Chriſto metuendo & colendo, Salutem & omnem ſubiectionem ſui.

Agnoſcit uehementiam ſuam in pontificium nomen: deprecaturq; culpam: & pollicetur ſe indulgentiarum negocium intactum uelle relinquere: dummodo aduerſariorum clamoribus modus imponatur: quod uero ad reuocationem attinet, non poſſe per conſcientiam.

IHESVS.

66.

REuerendiſſime in Chriſto Pater, iterum uenio, ſed per literas: dignetur reuerendiſſima Paternitas tua me clementiſſime audire.

Egit mecum reuerendus, mihiq; dulciſſimus, Pater meus in Chriſto, Vicarius noſter, Iohannes Staupitius, ut humiliter ſentirem, & opinioni propriæ cederem, & ſenſum meum ſubmitterem, commendauitq;

uitq; , ac exuberantissime persuasit, Paternitatem tuam reuerendissimam mihi esse gratiosissimam. Ea res & nuncius pariter me mirum in modum exhilararunt. Est enim homo hic talis & tantus in oculis meis, ut nullus sit in mundo, cui libentius audirem et obsequerer. Nec minus egit dulcissimus frater meus, Magister Vuenceslaus Lynceus, qui ab ineunte ætate pari mecum studio adoleuit. Breuiter non potuit reuerendissima paternitas tua fortius & dulcius me mouere, quam his duobus uiris mediatoribus, quorum uterq; in solidum me habet in manu sua. Tanta est tua simul humanitas & prudentia, qua uideo tuam reuerendissimam Paternitatem non mea, sed me quærere: cum potuisset sola potestate in me dominari. Itaq; iam timor meus sensim transit, imo mutatus est, in singularem erga reuerendissimam Paternitatem tuam amorem, & ueram filialemq; reuerentiam.

Nunc, reuerendissime in Christo Pater, fateor, sicut & alias fassus sum, me fuisse certe nimis (ut dicunt) indiscretum, acrem & irreuerentem in nomen summi Pontificis: & licet acerrime fuerim in hanc irreuerentiam prouocatus: tamen meum fuisse nunc intelligo, modestius, humilius & reuerentius hanc materiam tractare, & non ita respondere stulto, ut ei similis efficerer. De quo syncerissime doleo, & ueniam

c peto,

peto,& per omnia pulpita in uulgus promulgabo,ſicut & ſæpius iam feci, daboq́ deinceps operam, ut alius ſim,& aliter loquar,Deo miſerente: imo promptiſſimus ſum, atque facillime promitto,me poſthac materiam de Indulgentijs non tractare,atq́ his finitis quieſcere: modo illis quoq́ modus imponatur, aut ſermonis aut ſilentij, qui me in hanc tragœdiam ſuſcitauerunt.

Cæterum, mi reuerendiſſime in Chriſto ac iam dulciſſime Pater, quantum ad ſententiæ ueritatem pertinet,libentiſſime omnia reuocarem, tam tuo,quã Vicarij mei iuſſu & conſilio: ſi ullo modo conſcientia mea permitteret.Ego enim ſcio,nullius præcepto,nullius conſilio,nullius gratia,me tantum debere permittere,ut aliquid contra cõſcientiam dicam aut faciam. Deinde narrationes diui Thomæ & aliorum tantæ nõ ſunt,ut mihi in hac quæſtione ſatisfaciant:cum dedita opera contra eas diſputarim,ut optime perlectas atq́ percognitas. Viſæ enim ſunt non ſatis firmo niti fundamento. Hoc autem unum ſupereſt,ut meliori ſuperer ratione: quæ eſt,ſi uocem ſponſæ audire merear. hanc enim certum eſt uocem ſponſi audire.

Ideoq́ omni humilitate ſupplico, Reuerendiſſima Paternitas tua dignetur ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Leonem X. iſtam cauſam referre, ut

per

per Ecclesiam hæc dubia determinata, ad iustam uel reuocationem uel credulitatem possit compelli. Nihil enim aliud cupio, quam Ecclesiam audire & sequi. Nam mea super dubijs & indeterminatis reuocatio quid faciat ignoro: nisi quod merito mihi obijci posse timeo, me nec quid asseruerim, nec quid reuocarim, scire. Suscipiat reuerendissima Paternitas tua hanc humilitatis & paruitatis meæ supplicationem: & in filij uicem clementer commendatum me habere dignetur. Datum pridie Lucæ Euangelistæ. Anno M.D.XVIII.

Reuerendissimæ tuæ
Paternitatis
deditus Filius
F. Martinus Lutherus
Augustinianus.

Ex hac Epistola cognosci potest, quam calumniose Caietanus Lutherum, in Epistola ad Principē Fridericum, traduxerit.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri, & Domino Thomæ, Tituli S. Sixti, presbytero Cardinali sanctæ Sedis Apostolicæ per Germaniam de latere Legato &c. in Christo metuendo & colendo, Frater Martinus Lutherus salutem & seipsum.

Abitum & Appellationem suam Cardinali insinuat.

IHESVS.

VIdit Reuerendissima Paternitas tua, Reuerendissime in Christo Pater, uidit, inquam, & satis cognouit meam obedientiam, qua per tantum iter, ac per tot pericula, imbecillis corpore, & pauperrimus sumptu, huc me contuli: & ad mandatum sanctissimi Domini nostri Leonis X. coram reuerendissima Paternitate tua comparui, & me obtuli: præterea edito libello Resolutionum, me & omnia mea sub pedibus suæ sanctitatis proieci, expectans accepturusque quicquid siue damnanti, siue approbanti uisum fuerit: & plane nihil me omisisse mihi conscius sum, quod ad debitum obedientemque Ecclesiæ filium pertinere possit.

Quare frustra hic tempus terere nolo, neque possum: quia & sumptus deficit, & patribus his Carmelitis satis superque fuerim & sim onerosus: maxime cum reuerend: Paternitas tua mihi uiua uoce mandarit, ut si nollem reuocare, non redirem in conspectum reuer: Pater: tuæ. Reuocare quid & quantum ualeam, prioribus literis significaui.

Itaque nunc abeo, & alio me loco prouisurus migro. Et quanquam mihi consultum est, ab his etiam, qui uel maiores me mouere possunt, ut a reuer: Pater-

nit.

nit. tua, imo a sanctissimo Domino nostro Leone X. male informato, ad melius informandū (scio enim me Principi nostro illustrissimo, gratum facturum appellando magis quam reuocando) appellem: tamen quantum in me fuisset, non appellassem. Primū, quod mihi non uideatur necessaria Appellatio, uel commissio ad partes: cum ego, ut dixi, omnia in iudicium Ecclesię retulerim: & non nisi sententiam eius expectem. Quid enim ultra facere debeo, aut facere possum? Neq; enim me reo aut responsore opus est, qui non quid ego dixi, sed quid Ecclesia dictura sit, attendo: nec aduersarius contendere, sed Discipulus audire uolo.

Deinde, quod mihi pene persuasum est, hanc causam reuerendiss. Pater. tuæ esse molestam, & appellationem gratissimam. Ideoq;, sicut non mereor, ita neq; timere habeo censuras. Etsi ego Dei gratia talis sim, ut censuras longe minus timeam, quam errores & malam in fide opinionem, sciens, quod censura non nocet, imo prodest, si sana fides, & ueritatis sensus mecum fuerit.

Quare per Christi uiscera, & insignem tuam mihi exhibitam clementiam rogo, dignetur hanc meam obedientiam hucusq; præstitam & completam, gratiose agnoscere, & sanctissimo Domino nostro Papæ

benigniter commendatam facere: atque hanc meam abitionem & Appellationem, pro mea necessitate & amicorum autoritate paratam, boni consulere. Nam eorum uox & ratio mihi insuperabilis est hæc: quid tu reuocabis? nunquid tua reuocatione nobis legem fidei statues? Damnet Ecclesia prius, si quid damnandum est: & eius tu iudicium sequere: non illa tuum sequatur iudicium: atque ita uictus cedo. Valeat itaque Reuerendiss: Paterni: tua in Christo, mihi obseruantiss: ex Carmelo Augustensi, die S. Lucæ Euangelistæ. Anno M.D.XVIII.

Reuerendissimæ
Paternitatis tuæ
Deditus Filius
F. Martinus Luherus
Augustinianus

SVO ERVDITISSIMO amico, Georgio Spalatino, Ducis Saxoniæ a Libris &c. in Christo.

Narrat se appellasse à Papa male informato ad melius informandum: appellaturum etiam à Papa ad futurum concilium: & causam appellationis suæ exponit: addit etiam se editurum esse acta Augustensia.

IHESVS.

IHESVS.

68.

SAlutem. Veni hodie, mi Spalatine, Vuittembergam sanus, Dei gratia, nescio quam diu mansurus: nam causa mea sic habet, ut & timeam & sperem. Appellaui a summo Pontifice male informato ad eundem melius informandum: & sic abij, relicto Fratre, qui Appellationem insinuaret Cardinali cum Notario & testibus: interim hic positus aliam parabo Appellationem ad futurum conciliū adhæsurus Parrhisiensibus in euentum, quo hanc priorem Appellationem de plenitudine potestatis imo tyrannidis refutaret Papa. Sum plenus gaudio & pace, ita ut mirer hanc meam tentationem aliquid magni uideri multis & magnis uiris.

Appellatio Parrhisiensis.

Beneuolentia & clementia in me, quam Legatus D. Cardinalis promisit Principi nostro illustrissimo &c; certe eximia fuit & copiose exhibita: sed nos non talem intelleximus. Ipse enim omnia paterne quin paternissime obtulit facere: & sine dubio fecisset, si reuocare duntaxat mea uoluissem. Nam in hoc nodo hæsit tota causa: quod quia nolui, & ipse omnino uoluit (nec credo eum aliud quam damnandi mandatum habuisse) appellare fui coactus.

Respon-

Responsiones meas ad eius obiecta vna cum appellatione curabo, ut edam in uulgus, adiecto Theologico quodam apparatu, super breue Apostolicum imo diabolicum, cuius tu sæpe mihi mentionem fecisti, & nuper exemplar misisti, quod mihi redeunti Nurmbergæ redditum fuit, cum alijs literis instructarijs. Nam incredibile est, tale quid monstri a summo pontifice egredi, præsertim Leone decimo. Ideo quisquis ille fuerit nebulo, qui sub nomine Leonis decimi tali me terrere proposuit decreto, intelliget, me posse quoq; nugas intelligere: aut si uere etiam a curia emanauit, docebo eos suas impudentissimas temeritates, & iniquissimam ignorantiam.

Ipse Cardinalis Legatus pro persona sua mire placet: & quantum suspicor incipiunt timere Romani, & rebus suis parum confidere: ideo miro ingenio quærere euasiones. Cætera latius & utinam coram. Principi me commenda, & gratum ac memorem me offero.

Vltimo id tibi pro honore Principis curandum, ut Principem certum facias de aduentu Patris Licentiati Carmelitæ Augustensis Prioris, qui ultra fidem nos tractauit largiter & humaniter: multis modis dignus est, cui gratificemur & nos rursum. Exijt Augustam Sabbatho ante Simonis & Iudæ, venitq; in

spe pro-

spe promissi sibi (ut ait) a Principe nostro prandij: & ego, si promisit Princeps, securus ueni: fient omnia sine dubio. Vide ergo ut cum honore fiant, quæ sperat &c. Vale in Christo, Dominica vigilia omnium Sanctorum, in quo sperabam te esse præsentem cum Principe: sed falsus sum ac frustra festinaui. Vuittembergæ. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus
August.

AD IOHANNEM Staupitium.

Se Vuittembergam redisse: acta sua edi Principis permissu: Caietani criminationibus & postulationibus se respondisse: uerū de fuga, etsi multum deliberatum: nihil tamen certi constitutū: moleste etiam fert, gradum Magisterij cuidam denegari.

IHESVS.

69.

VEni ineunte vigilia omnium Sanctorum lætus & sanus Vuittembergam, Reuerende & optime Pater: veni autem præter omnium spem: sed inueni postea fœdum istum casum: & pœnituit mox aduenisse. Dominus misereatur nostri.

Princeps omnino dissuasit edi acta mea, nunc tandem permisit & iam excuduntur: scripsit interim prolixam Epistolam R. D. Legatus Principi, in qua dire

criminatur me & te, & socios (ut uocat) meos, quod inscio eo recessimus, fraudulentum negocium esse conquerens: tandem consulit, ut me ad urbem mittat, uel extra terras expellat: ne ponat maculam in gloriam suam propter unum inquit fraternaculum, dicens quod Romæ causæ prosequentur: sic enim sese scripsisse fraudulentiam meam ad urbem, & lauisse manus suas. Ad has literas Princeps uoluit me respõdere, & suis inclusas meas Legato mittere: & feci ita: & credo satisfeci.

Verum Princeps pro me solicitus, mallet tamen me alibi habere locum: diu mecum fecit loqui M. Spalatinum in Lichtenbergk uocato, super eadem re: dixi si uenerint censuræ, non manebo: dissuasitq́ ne tam cito in Galliam irem. Adhuc expecto consilium eius. Tu autem uale mi suauissime Pater, & solum animam meam Christo commenda. Videor eos firmasse propositum exinaniendi me: rursus firmat Christus propositum non cedendi in me. Fiat fiat uoluntas eius sancta & benedicta. Ora pro me.

Obsecro quid monstri alunt Patres Erffurdienses, quod Patrem Vicarium Licentiatum differunt ab insignibus Magisterij? quamdiu quæso proprietas ista & inobedientia durat? Nam hæc tecum oblitus fui cum uellem quam maxime loqui. Studium no-

strum

ſtrum recte habet: niſi quod horæ deficiunt optimis lectionibus. Datæ. Anno. M. D. X VIII.

T. Martinus Lutherus.

ERVDITISSIMO ET INTEgerrimo amico ſuo, Georgio Spalatino, ſacerdoti Chriſti, a libellis Principis Saxoniæ in Domino.

Agit de prandio curando Doctori Carmelitæ, & de difficultate affigendæ appellationis, deniq; de ſtatu Scholæ.

IHESVS.

70.

SAlutem. Ecce adeſt, mi Spalatine, pater ille Iohannes Froſch Licentiatus, conſtanter affirmans ſibi a Principe noſtro promiſſum, ut antea tibi & dixi & ſcripſi. Exploraui enim oblique rei certitudinem, ita ut neſciret Principem huius promiſſi ignarum uel dubium eſſe. Prouincialis ſuus non uenit cum eo prohibitus ualetudine quadam: Priorem uero Nurmbergenſem expectat: nunc conſilium iniuimus, ut prandium ſuum diſponamus ad quintam proximam feriam, ne multum tempus fruſtra hic tereret: ſpe certa quod principali munificentia exoluetur.

Fecimus autem hoc: quia id nuper nobis uiſum

fuit, cum tecum essem, & quod nec in arce, nec alibi fieri præsumi possit. Nam uoluit quidem prius adire Principem, sed dissuasus omisit, ne scilicet triplicem uiam & tempus exerceret, maxime uero, quod scirem eum uix admitti propter suspitionem pestis, per quã proficisci eum esset necessarium. Sic nos: tu si quid melius habes, quo & Principis honorem, & illius reuerentiam seruemus, indica uelociter: in monasterio nostro parassemus ei eiusmodi prandium; sed carnibus ferinis prouideri non posse timebamus: deinde quod honestius uisum est, Principali promisso cedere.

Acta Augustana.

Excuditur negocium meum Augustense: rediijt enim meus frater Leonhardus, nihil noui referens de Augusta, sed neque Licentiatus: nisi quod quidam ex amicis notarium deterruerat, ne appellationem meam affigeret: sed tamen opera Licentiati notarius perstitit. Sic sunt homines, vbi Deus non est cum eis. Magnus enim ille est & inter primos mihi habitus amicos: sed uera est scriptura, nolite confidere in Principibus, in filijs hominũ, in quibus non est salus.

Studium nostrum prospere & feliciter agit, præsertim græcitatis: Hebreus tantum professor, suo more, caput habet, & id ponderat, quod pondere caret. Nam ea, quæ nos maximi facimus, facile & libenter tradit,

tradit: ea quæ nos pene contemnimus, uelut denegaturus magnifacit, id est, vim literarum & uerborum nos curamus, prosodiam uero minus quærimus, haud sperantes, futuros nos oratores apud Iudeos: inseruimus tamen homini, ne quid querelæ (ad quam unus omnium promptissimus est) iactet. Vale, Vuittembergæ, altera S. Martini. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus.
August:

SVO GEORGIO SPALATINO, sacerdoti Christi, integerrimo amico.

Post reditum ex Augusta deplorat Caietani & reliquorum Theolorum extremam insciciam: & deliberandum proponit, an à Principe scribendum sit Pontifici, pro commißione causæ suæ ad partes Alemaniæ: idq; ideo ne se oppresso damnum accipiant reflorentia Theologiæ studia in Academia Vuittembergensi.

IHESVS.

71.

SAlutem. Scribo his literis illustrissimo Principi nostro, mi Spalatine, argumentum & actus Tragœdiæ meæ latius & apertius, quam nuper tibi scripseram. Nam Tabellarius urgebat: & ego uix domum ingressus fueram: nolui tamen eum abire uacuum li-

teris uel raptissime & corruptissime scriptis. Tui esto nunc officij, curare, ut Princeps illustrissimus has literas uel legat uel audiat.

Reuerendissimus Dominus Legatus, quam sit in scripturis sanctis institutus, intelliges ex obiectione altera, ad quam ego respondi: præterea ex ore eius multas audiui propositiones atheologissimas, & quas, si alius dixisset, hæreticissimas pronuntiassem. Video predicatoribus omnibus eundem esse sensum, id est, nullum esse legitime Christianum: quandoquidem iste Cardinalis ab ipsis prædicatoribus iactatur princeps principissimus suæ doctrinæ. Siluester uero secundus ab hoc. Tu cogita (nam Siluestrum nosti) quid sint decimi, aut centesimi: si secundus talis est, talisq; & primus: pene inflatur mihi cor, nisi me
„ misereret hominum, tam perdite eos sua tempora tri-
„ uisse, et studia perdidisse, nec aliud quam miserrimam
„ ignorantiam didicisse. Adeo exulauit Christus lux uera hominum: & regnauit Aristoteles caligo hominum & quidem teterrima. Igitur uidi nunc, & expertus sum duos Leones Moab, ut ait scriptura: nunquid timere possum lepores Moab? Viuat, viuat, viuat Christus, Amen.

Collatio Christi & Aristotelis: & quid de utroq; sit iudicandum in Ecclesia.

Nunc rogo, id explora mihi, an ne Principi faciundum sit, vt pro me scribat ad summum Pontificem,

cem, pro commiſſione cauſæ ad partes. Non quod ego multum curem pro me, cum doleam miſerum me non eſſe dignum, aliquod inſigne malum pro veritate pati, cum tamen hac profectione prope vſque ad tentationem Dei, pericula & mala quæſierim: ſed quod vniuerſitas noſtra mihi curæ eſt: & optimorum adoleſcentulorum in ſacras literas mire ardentium ſtudia nollem in ipſo iam lacte immolari. Scriptum eſt enim, nō immolabis hædum in lacte matris ſuæ. Me autem per uim oppreſſo, aperta eſt ianua contra D. Andream Carlſtadium, & totam Theologiæ profeſſionem: & ita fieri timeo, vniuerſitatis noſtræ ſubitam & iam uix naſcentis diſperſionem: non ſecus ac Pharao filios Iſrael ab utero matrum interfici iubebat, & ſubmergi.

Multi Pharaones in prædicatoribus ſunt, & præſertim iſto Pontifice pontificante, a quo obtinuerunt concilium Baſilienſe damnari, de quo mihi gloriabatur Cardinalis ipſe. Ideo nihil non præſument attentare. Reſiſtat illis autem Deus, Amen. Vale in Domino: coram forte aliter & plura.

Vuittembergæ. 19. Nouembris.

Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Luherus.

SVO

SVO GEORGIO SPALA-
tino, viro optimo & eruditiſſimo, in
Chriſto amiciſſimo.

Dicit ſe expectare maledictiones ex urbe, paratus exulare propter ueritatem.

IHESSVS.

72.

SAlutem. Remitte epiſtolam illam ſimulati Epiſcopi Leodienſis, mi Spalatine, cum altera Croti: literas autem vniuerſitatis, & meas curabis illuſtriſſimo Principi uidendas. Expecto cenſuras tuas ſuper reſponſione mea, quam in epiſtolam Legati edidi: niſi forte in ſpongiam cadere debeat. Eduntur iam acta mea.

Ceterum expecto maledictiones ex urbe Roma quottidie: ideo omnia diſpono & ordino, ut cum uenerint, paratus & ſuccinctus eam cum Abraham, neſciens quo, imo certiſſimus quo: quia Deus vbiqꝫ: ſed relinquam tamen epiſtolam valedictionis. Tu uide ut audeas legere epiſtolam maledicti & excommunicati. Vale nunc, & ora pro me. Die S. Catharinæ, Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus
August:

OPTIMO

OPTIMO VIRO ERVDITISsimo Magistro, Georgio Spalatino, suo in Christo charissimo.

De abitu suo deliberat: nec dum quid sequatur se constituisse ait; dolere etiam quod uulgo suspicentur Principem sibi adhærere. Porro manenti omnem ferè dicendi & scribendi libertatem ereptam, esse; at profectum liberrime omnia, etiam uitam, si sic res ferat, effusurum Christo.

IHESVS.

73.

SAlutem. Nisi uenissent heri literæ tuæ, iam parabam recessum, mi Spalatine: sed & adhuc sum in vtramuis partem paratus. Mira est hominũ nostrorum de me sollicitudo, & maior quam ipse ferre possim: institerunt nonnulli magno hortatu, ut Principi nostro me in captiuitatem darem: & ipse acceptum alicubi seruaret, scriberetq; Legato, me captum & sistendum in loco tuto, ad respondendum. Quale sit illud consilium, tuæ committo prudentię: ego in manibus Dei & amicorum sum.

Certum est credi, principem mihi adhærere vna cum Vniuersitate, de quo nuper ab uno, quem scio mentiri nequaquam mihi, in curia Episcopi Brandenburgensis de me tractatum est: quanam fiducia, & cuius adhæsione ego niterer: hic unus, Erasmus (in-

e quit)

quit)Fabritius, et alij doctissimi uiri, fiducia eius sunt. Non, inquit, Episcopus: hi nihil essent ad Papam: Vniuersitas Vuittembergensis & Dux Saxoniæ prę-ualent. Ita intelligo manifestissime Principem mecum esse credi, quod sane displicet. Et sane Vniuersitatem ipsam uellem, ut quam maxime timerent. Verum ista suspicio Principis coget me recedere, si recedendum est: quanquam Princeps potest obtendere in scriptis suis, sese Laicum non posse de tantis rebus iudicare: iam multo minus, postquam uidet approbatam ab Ecclesia Vniuersitatem, non contra me stare. Sed hæc sunt parerga. Ego si hic mansero multa dicendi scribendiq; libertate carebo: si iero, totum effundam & vitam offeram Christo. Vale. Vuittembergæ secunda decembris. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus.

EPISTOLA THOMAE CA-ietani. Tituli S. Sixti, presbyteri Cardinalis ad D. Fridericum, Saxoniæ ducem, sacri imperij Electorem &c. De Lutheri causa, post discessum eiusdem Lutheri ex Augusta.

Anno M. D. XVIII.

Narrat

Narrat Lutherum sine publica fide ad se accedere noluisse, eoque nomine cum principe expostulat: deinde exponit ut ad se Lutherus uenerit, quæq; petiuerit: à se uero mira humanitate attentatum, ut erroris admonitum ad mentem sanam & Reuocationem adduceret, interim omnia illius & amicorũ eius consilia dicta & facta sugillans: postremo hortatur Principem, ut hominem Romam mittat, aut è suis terris eijciat.

74.

ILlustrissime & excellentissime Princeps, uenit Frater Martinus Lutherus cum literis excellentiæ uestræ, & antequam nos adiret, uoluit se munire saluo conductu: quem ab illis Dominis cæsareæ Maiestatis consiliarijs, uestræ illustrissimæ Dominationis intuitu et fauore impetrauit: non tamen sine scitu meo. Noluerunt enim hi Domini quicquam illi concedere, nisi me permittente. Quibus respondi: facerent quicquid eis placeret, dum modo nomen meum non misceretur. Et hic cœpi mirari. Nam si Excellentia uestra in me confidebat: non erat opus saluo conductu: Si non confidebat: non erat mittendus ad me ut patrem.

Adijt deinde nos Frater Martinus, primum excusans se super impetratione salui cõductus propter inimicitias &c. Deinde dicens, se uenisse, ut nos audiret: & veritatem a nobis agnitam profiteretur. Nos ho-

minem libentiſſime ac humaniſſime excepimus, paterneq́ complexi ſumus. Dixi ante omnia, quod ſecundum ſolidam Scripturam ſacram, & ſacros Canones interrogandus eſſet: & quod, ſi ſe cognoſceret, & de cætero caueret: poſſemus ſecure dormire: ne reuerteretur ad uomitum: omnia componerem, ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Leonis X. authoritate.

Oſtendi deinde, monuiq́ paterne, diſputationes et ſermones eius, eſſe contra Apoſtolicam doctrinam, maxime ſuper Indulgentijs: citauiq́ Extrauagantem Clementis VI. aperte contra ipſum ſtantem, tam ſuper cauſa quam effectu Indulgentiarum. Adduxi præterea antiquam & communem Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem: ac interpretationem ſuper alio etiam articulo de fide Sacramentorum aperui: admonuiq́ opinionem eius non eſſe ſanam, ſed manifeſte diſſentire a ſacra Scriptura, & recta Eccleſiæ doctrina, quæ illi omnino repugnat. Is ad Extrauagantem claram & apertam dixit, neſcio quid relatione indignum: & petijt diem ad deliberandum, rediturumq́ ſe affirmauit. Ego illum hortatus, ut ſe cognoſceret, dimiſi.

Redijtq́ poſtridie, una cum Patre Vicario generali congregationis obſeruantium, multiſq́ ſtipatus: & cum expectarem, ut ſe uere agnoſceret: cœpit

coram

coram Notario, quem secum duxerat, protestari. Ego id subridens, iterum humanissime hominem hortatus sum, ut relicto huiuscemodi inani consilio, ad cor & sanitatem rediret: durum esse illi contra stimulum calcitrare. Addidit deinceps, in Scriptis se uelle mihi respondere, & causam suam agere: me anteriore die satis digladiatum uerbis cum illo fuisse. Ego audaciam hominis miratus, dixi: Fili, neque tecum digladiatus sum, neque digladiari uolo: tantum paratus sum intuitu illustrissimi ducis Friderici, te paterne ac benigne (non disputandi contendendiue gratia) audire ac pro ueritate monere & docere, conciliare etiam (si uoles) sanctissimo Domino nostro Papæ Leoni X. & Romanæ Ecclesiæ.

Rogauit me tum is, tum Vicarius eius, ut illum in Scriptis audire uellem: dixi me libentissime auscultaturum, & facturum omnia paterne, non tamen iudicialiter. Itaque abiit, reuersusque postea tertio est, & longam scripto exhibuit phylacteriam: in qua fatue admodum respondet ad constitutionem Extrauagantem Papæ: nec parcit etiam suæ sanctitati, quam dicit abuti autoritatibus sacræ Scripturæ: ad illud uero de fide Sacramentorum implet papyrum locis sacræ Scripturæ, omnino impertinentibus, & perperam intellectis.

Ego postquam ostendi non ita esse intelligendum, quod in illa Extrauagante & sacris literis scriptum est, iterum atq; iterum Fratrem Martinum, ut filium, monui & obtestatus sum, nollet plus sapere quam oporteret; nec noua dogmata in Ecclesiam intrudere, sed seipsum cognoscere, & saluare animam suam.

Venit ad me deinde Pater Vicarius congregationis, cum quo, pręsente magnifico Domino Vrbano oratore Montisferrati, & uno Magistro Theologiæ dicti ordinis, multasq; horas tractauimus de negocio hoc, ut tolleretur scandalū, salua reuerentia Apostolicæ sedis, & sine ulla nota Fratris Martini. Venit postea solus ille Theologiæ Magister, socius Fratris Martini, qui probauit et collaudauit tractatū.

Iactis his fundamentis, cum bene sperarem omnia, profectus est hinc idem Vicarius, insalutato hospite, ac me omnino inscio: subsecutus est deinde Frater Martinus & socij eius, mihiq; omnino, imo sibi perbelle illuserunt. Accepi interea Fratris Martini literas, quibus petit fucatā ueniā: non ideo uero reuocat male dicta & scandala, quæ catholicę ecclesię incussit.

Ego, illustrissime Princeps, fraudulentum Fratris Martini & sequacium consilium, non solum admiratus sum, uerum etiam prorsus perhorrui & obstupui. Cum enim de bona illius ualetudine maxime sperarem,

rem, maxime ſum fruſtratus: non uideo tamen, cuius fiducia hæc agat.

In cauſa uero tria affirmauerim. Primo, dicta Fratris Martini in concluſionibus ſuis diſputatiue eſſe poſita: in ſermonibus tamen ab eo ſcriptis, affirmatiue & aſſertiue eſſe poſita, & confirmata in uulgari germanico, ut aiunt. Ea autem ſunt partim contra doctrinam Apoſtolicæ ſedis, partim uero damnabilia. Et credat mihi illuſtriſſima Dominatio ueſtra, quia uera dico & loquor, ex certa ſcientia, non ex opinionibus.

Secundo, illuſtriſſimam illam ueſtram Dominationem hortor & rogo, conſulat honori & conſcientiæ ſuæ, uel mittendo Fratrem Martinum ad vrbem, uel eijciendo extra terras ſuas: poſtquam non uult paterna uia errorem ſuum cognoſcere, & cum vniuerſali Eccleſia bene ſentire.

Poſtremo, illud ſciat illuſtriſſima Dominatio ueſtra, nequaquam hoc tam graue & peſtilens negocium poſſe diu hærere. Nam Romæ proſequentur cauſam, quando ego laui manus meas, & ad ſanctiſſimū Dominum, Dominum noſtrum huiuſcemodi fraudes ſcripſi. Bene & feliciter ualeat Excellentia ueſtra, cui me intime commendo. Ex Auguſta vindelicorū. xxv. die Octobris, Anno M. D. XVIII.

Iterum

Iterum atq; iterum rogo, ut Dominatio uestra illustrissima, non permittat se decipi a dicentibus: nihil mali continent Fratris Martini Lutheri dicta: nec ponat maculam in gloriam Maiorum suorum, & suam, propter unum Fraterculum, ut toties promisit. Ego loquor puram ueritatem, & seruabo Ihesu Christi regulam: A fructibus eorum cognoscetis eos. Hæc pauca manu propria.

E. V. & illustriss: D.

ad obsequia

Thomas S. Sixti Cardinalis,

Legatus Apostolicæ Sedis.

ILLVSTRISSIMI PRINCIpis D. Friderici, Ducis Saxoniæ, Romani imperij Electoris, responsio ad Literas D. Thomæ, Tituli S. Sixti Cardinalis, præcedentes.

Respondet se fidem suam sistendo Luthero liberasse: moleste autem ferre, quod contra, quam promiserit & ante causam cognitam, Lutherũ ad reuocandum adigere uoluerit: & quod additis comminationibus postularit à se, ut eundem uel Romam mitteret, uel suis terris eijceret: quin ante audiendum & conuincendum hominem, quam damnetur.

Reueren-

75.

REuerendissime in Christo Pater, singulariter nobis dilectissime Domine & amice, uestræ charitatis literas die xxv. Octob: Augustæ datas, die xix. Nouemb: per tabellarium non peculiarem, sed fortuitum, redditas accepimus, ad D. Martinum Lutherum Augustinianum pertinentes: quas undecunque cum toto earum argumento percepimus atque intelleximus.

Hæc cum præcedente & sequente epistola supra fol: 99. collocari debebant: sed, quod exemplaria in initio defuerunt, huc sunt repositæ.

Quoniam ergo dictus Martinus coram pietate uestra apud Augustam comparuit: sicut cum charitate uestra collocuti Augustæ pollicebamur: nostræ satisfecimus promissioni. Præterea persuaseramus nobis, uestram pietatem audito Martino, secundum uestræ reuerentiæ promissionem multiplicem, eum paterne & beneuole dimissuram fuisse: neque quamuis nondum cognita causa & sufficienter discussa, ut Martinus refert, coacturam ad reuocationem & palinodiam. Sunt enim plurimi eruditorum, in nostris Principatibus ac terris, & alibi in uniuersitatibus Studiorum, a quibus hactenus & in hodiernum usque diem constanter & irrefragabiliter certiores fieri non potuimus, Martini doctrinam impiam, non Christianam, & hæreticam esse: exceptis nonnullis, quorum rei priuatæ & utilitati pecuniariæ eruditio eius non profuit. Qui ut propriæ commoditati consu-

lerent, Martino ſeſe aduerſarios oppoſuerunt: ſuo tamen propoſito contra Martinum nondum probato. Nam ſi aliquo conſtanti fundamento & ratione intelligeremus, D. Martini Lutheri doctrinam impiam & inſtabilem eſſe: Dei omnipotentis auxilio & gratia, ipſimet ita nos doceremus, ut nulla indigeremus exhortatione atq; admonitione. Noſter enim animus, noſtra uoluntas, noſtra mens, in hoc tota eſt, ut ad Chriſtiani principis officium ſit paratiſſima, & qui Deo adiutore, & honori & conſcientiæ ſuæ cupiat conſultum.

Qua propter modis omnibus ſperauimus, non futurum, ut in hoc rerum ſtatu, hac afficeremur comminatione, ſcilicet Ro. curiam id cauſæ proſecuturã, & Reuerentiam ueſtram manus lauiſſe: vel, ut a nobis poſtularetur, ut Martinum Lutherum ſiue Romam mitteremus, ſiue ex noſtris Regionibus expelleremus: nõ tam ob alia, quam quod Mart: Lutherus criminis hæreſeos nondum eſt conuictus. Pelleretur enim incommodo noſtræ Vniuerſitatis, ſicut in hanc diem notum eſt, Chriſtianæ, & multos bonos & doctos & ſtudioſos homines habentis.

Neq; omiſimus D. Martino ueſtræ charitatis literas exhibere: ad quas nobis ſecundum tenorem exempli, his noſtris literis incluſi, reſpondit.

Cum

Cum itaq; D. Martinus sese offerat ad aliquarum Vniuersitatum iudicium, & in locis tutis disputationem, & cognita causa, permissurum se obedienter, ut doceatur & simul ducatur: arbitramur eum merito admittendum, aut saltem ei ostendendos in scriptis errores. Id quod & nos petimus: ut sciamus, quam ob rem tamen hæreticus esse debeat: & habeamus, quod sequamur & faciamus. Neq; enim nos ita nondum conuictum pro hæretico reputandum & scribendum sentimus. Deniq; non libenter permitteremus, nos in errores pertrahi, neq; ut inobedientes a sancta sede Apostolica inueniri.

Hoc vestram charitatem (quam Deo omnipotenti diu feliciter conseruandam commendamus) cælare noluimus. Datum Aldenburg, die VIII. Decembris. Anno M.D.XVIII.

EPISTOLA D. MARTINI LVtheri ad illustrissimum & clementissimum D. Fridericum, Saxoniæ ducem &c. in qua respondet ad ea, de quibus eum Legatus Apostolicus accusat, in literis suis ad prædictum Saxoniæ Electorem ex Augusta missis.

EPIST. LVTHERI

ILLVSTRISSIMO ET VERE optimo Principi, D. Friderico electori, sacri Romani imperij Archimarscallo, Duci Saxoniæ, præsidi Thuringiæ, Marchioni Misnensi, Domino suo clementissimo, Deditum mancipium Frater Mart. Lutherus Augustinianus, felicitatem, & quicquid potest oratio peccatoris.

Initio lætatur occasionem esse sibi datam exponendæ causæ suæ: deinde bona fide & sine omni sophisticâ integram eorum historiam, quæ Augustæ inter ipsum & Caietanum acta sunt, exponit. Quorum hæc ferme summa est: se pro cognita ueritate retinenda acerrime demicasse, colloquendo, scribendo, etiam disputando, nisi denegatum illud fuisset, item submittendo se pontificis & aliquot uniuersitatum iudicio, denique prouocando à Pontifice ad Concilium. Maluisse enim se quauis ui potius opprimi, quam ueritatem cognitam abnegare.

76.

ACcepi, clementissime ac illustrissime Princeps, per amicissimum meum Dominum Georgium Spalatinum, literas una cum exemplo literarum Reuerendissimi Domini Thomæ Caietani, Tituli S. Sixti Cardinalis, sedis Apostolicæ Legati, uoluntate illustrissimæ Dominationis tuæ ad me misso: accepi autem & reuerenter & hilariter. Video enim pulcherrimam totius causæ meæ exponendæ occasionem datam. Vnum solum ab illustrissima Celsitudine tua

precatus

precatus fuero, ut ſordidum hunc & mendicum Fraterculum ſplendor magnitudinis tuæ clementiſſime toleret balbutientem.

Primum uere ſcribit Reuerendus Dominus Cardinalis me ſaluo conductu uoluiſſe muniri meam Auguſtæ præſentiam. Neq; id feci aut meo aut illuſtriſſimæ Dominationis tuæ conſilio, ſed amicorum ſingulorum & omnium, quibus fueram literis commendatus; excepto uno, magnifico Domino Vrbano Oratore, qui ſolus multis uerbis diſſuaſit. Sed neceſſe fuit mihi, ut omnes præferrem uni: ne, ſi quid temere mihi contigiſſet, me contempſiſſe ſcriberent, & illuſtriſſimæ Dominationis tuæ commendationem, & ipſorũ fideliſſimam operam. Deinde non capitoſi, ſed naturalis affectus eſt, multos Germanos antea cognitos, atq; uita & autoritate celebres, a me Germano præferri uni Italo. Ipſa enim natio & multitudo me, ſpero, iuſtiſſime excuſabunt, ne Orator ille Dominus magnificus ſe a me contemptum poſſit cauſari.

Non ergo tua, illuſtriſſime Princeps, diffidentia arguenda fuit: imo plus in reuerendiſſimum Dominum Legatum confiſum eſt, quam ſperauerant amici: ita ut meam temeritatem mirarentur, ſeu (ut ipſi honorabant) audaciam, quod ſine conductu

essem ingressus Augustam. Mandauerat enim mihi illustriss: tua Dominatio per Spalatinum meum, non esse mihi necessarium saluum conductum: adeo illustriss: tua Cel: omnia bona de Reuerend: Legato presumebat.

Percurram & cætera Epistolæ Reuerendiss: Domini Legati membra: ac paucis respondebo ad ea.

Vere scribit, me tandem comparuisse, & dilationem accessus ac salui conductus impetrationem excusasse. Dicebam enim me a magni Ordinis utriusque status uiris fuisse monitum, ne muros Vuittembergæ egrederer: esse enim mihi insidias, aut ferri, aut ueneni paratas. Deinde addidi & causam prædictam, scilicet amicorum studium nomine illustrissimæ Dominationis tuæ mihi consulentium. Obtuli itaq; me prostratum ante pedes Reuerendissimi Domini Legati: & omni reuerentia & humilitate petij ueniam, si quid temere uel dixissem, uel egissem: esseq; me paratissimum doceri & duci (sicut & hodie sentio) in saniorem sententiam.

Hic me reuerendissimus Dominus Legatus paterne & clementissime suscepit, commendans & congratulans huic meæ humilitati: statim tria mihi facienda proposuit, de mandato sanctiss: Domini no-

ſtri Papæ Leonis X. ſicut aiebat (nam exemplar Breuis petenti denegabat)

Primum, ut redirem ad cor, & erratus meos reuocarem.

Secundo, ut promitterem, in futurum abſtinere ab ijſdem.

Tertio, ut ab omnibus quoque alijs abſtinerem, quibus perturbari poſſit Eccleſia.

Ad primum petij, ut monſtraret mihi, in quo nam erraſſem. Mox id obiecit, quod concluſione 7. inter declarandum dixeram: Oportere eum, qui ad Sacramentum accedit, credere, ſe conſecuturum gratiam Sacramenti. Hanc enim doctrinam eſſe contra ſacram Scripturam, & rectam Eccleſiæ doctrinam uoluit. Ego uero conſtanter dixi, in eo puncto me non eſſe ceſſurum, ſicut nec hodie, neq; in æternum ſum ceſſurus. Tunc ipſe: Velis, nolis, hodie oportebit te reuocare: alioqui uel propter hunc locum omnia tua dicta damnabo.

Et quanquam dicebat, ſeſe non opinionibus Doctorum ſed Scripturis ſanctis & Canonibus mecum acturum: nec ſyllabam tamen Scripturæ contra me produxit: cum ego contra multas Scripturas pro me adducerem, ut uideri poteſt in ſchedula reſponſionis meæ: niſi quod de efficacia Sacramentorum mihi

concilia

concilia recitabat, quæ non negaui, neque contra me erant. Labebatur tamen inter dicendum semper in opiniones doctorum. Et expecto, peto, rogo, usque hodie unam Scripturæ autoritatem, uel sanctorum Patrum, quæ sit contra meam hanc sententiam.

Et ut tibi, illustrissime Princeps, ex corde loquar: doleo totis uisceribus hanc rem fidei nostræ in Ecclesia non solum dubiam & ignotam, sed etiam falsam putari. Verum optime Princeps, coram Deo & Angelis eius protestor, fiat de alia mea responsione, quicquid fieri potest, sit falsa, sit contra Extrauagantem, sit damnanda, sit reuocanda: faciam hic omnia, si ita oporteat: hanc autem sententiam moriens cõfitebor: & omnia potius negabo, quam illam reuocabo. Nam siue merita Christi sint thesaurus indulgentiarum, non ideo indulgentijs aliquid accedit: siue non sint, nihil ideo decedit: manent indulgentiæ id quod sunt, quocunque tandem nomine honorentur & inflentur. Nec sum ideo malus Christianus, si indulgentias nolim, quas ille tantum solas extollit & pro eis pugnat: sed si hanc fidei sententiam mutauero, Christum negauero. Sic sapio, sic sapiam, donec contraria sententia per scripturas fuerit probata, & adductæ per me autoritates dissolutæ: quod nondũ est factum, neque fiet (Deo propicio) unquam.

Deinde

Deinde quia Indulgentiæ mouebant plus quam materia illa fidei, ſicut & ſcribit: maxime (inquit) ſuper Indulgentijs, attulit Extrauagantem Clementis VI. Contra propoſitionem meam LVIII. ubi negaui merita Sanctorum & Chriſti, eſſe theſaurum indulgentiarum: ſicut adhuc nego, ſaltem ut iacent & ſonant uerba, quantumcunque ipſe claram apertamque iactet Extrauagantem: ego contra, obſcuram, ambiguam, impropriam dico: ſicut in reſponſione mea priore patet.

Quod autem in literis ſuis ſcribit, me dixiſſe ad Extrauagantem neſcio quid relatione indignum: hoc tanquam laico ſcribit. Illud indignũ relatione: (ut odium uerbi illius reuelem: & appareat, an hoc ſit paterne me quærere) hoc fuit, illuſtriſſime Princeps, quod dixi Extrauagantem illam nõ ſatis ualere contra meam concluſionem: maxime cum torqueat in alienum ſenſum Scripturas, & abutatur eis. Hoc uerbum, torquere, &, abuti, mire torquebat hominem, & adhuc torquet, ut indicant Literæ eius. Voluit enim & uult uerba humana Pontificis ſimpliciter accipi, non habita ratione, an conſentiant cum Scripturis, nec ne.

Verum, optime Princeps, permittat Celſitudo tua, ut & ego tanquã coram laico hanc rem tractem,

id eſt, craſſe & aperte. Volo interim obliuiſci acerrimum illud, & omnibus doctiſſimis quoq; formidabile iudicium, quo Deus inſigniuit præ omnibus, quos noſtra uidit ætas, ingenium Principis Friderici. Dico itaq;, non eſſe rarum atque nouum Scripturas ſanctas a Pontificibus & Doctoribus ſanctis fuiſſe tortas, & in alienum ſenſum ductas. Quod ne multis agam, etiam craſſo cuiq; bubulco clarum faciam: uno extra propoſitum (ut uocant) exemplo adducto.

Dicit Decretalis quædam, de conſtitutionibus: translato ſacerdotio, neceſſe eſt, ut legis fiat translatio. Hæc uerba Apoſtoli ſunt apud Ebræos cap. 7. docentis temporale ſacerdotium & legem abrogata & finita, ſuccedente æterno ſacerdotio Chriſti. Hæc eſt propria & genuina ſententia uerborum Apoſtoli.

At in Decretali eſt iſta ſententia: Sacerdotium Chriſti eſt translatum in S. Petrum. Sic enim Iuriſtæ interpretantur. Quis non uidet alienam eſſe hanc intelligentiam, & prorſus talem, quæ niſi multo ſudore moderetur, ſit impiiſſima omnium. Impiiſſimum enim eſt dicere, Sacerdotium Chriſti æternum eſſe translatum, id eſt, abrogatum & finitum: & legem eius æternam eſſe abrogatam & translatam, ut Petrus ſit ſacerdos & legiſlator amoto Chriſto.

Nolo Petrum aut Paulum habere ſacerdotem,

quoniam & ipse peccator est, non habens, quod neque pro se, neque quod pro me offerat: ut interim taecam, quod in solum Petrum a Christo translatum dicitur: quasi cæteri Apostoli Laici remanserint, aut a S. Petro in Apostolos ordinati fuerint. Quanto rectius ergo non Sacerdotium, sed ministerium tantum Sacerdotij in Petrum positum intelligeretur, aut alio quocunque sensu: qui illæsum permittat germanum Apostoli sensum.

Nunquid ergo male dico, si in faciem huius Decretalis dixero hanc contrariam propositionem: Sacerdotium Christi, cum sit æternum, non est translatum in S. Petrum? Aut etiam hic me coget reuerendiss. Dominus Legatus, ut uerum sensum negem, & Decretalis sensum solum amplectar? Talia sunt in iure Canonico multa, quibus (ut cum fiducia loquar) si non corrupta, certe obscurata est scriptura.

Tale quid & in Extrauagantem a me factum est. Nam certissimū est, merita Christi non posse per hominem dispensari: deinde etiam ipsa potius imponunt quam relaxant bona opera (quod est indulgentias esse) pœnitentiæ, ut Petrus aperte dicit: Christus pro nobis passus est, uobis relinquens exemplū, ut sequamini uestigia eius. Non ait: passus est pro uobis, ne uos pateremini, aut, ut uos relaxaremini, sed

exemplum reliquit ſequendi, non reliquit theſaurum omittendi &c.

Hæc eſt enim propria virtus meritorum Chriſti, armare ad opus, non ponere ceruical, & ponere puluinos ſub cubitis & capitibus, ut ait propheta Ezechiel. Ideo contra Extrauagantem, imo contra malum eius intellectum oppoſui, & adhuc oppono. Nec eſt iſta communis Eccleſiæ conſuetudo, quam iactat, ſed corruptela & abuſus contra Scripturæ ueritatem militans.

Igitur permitto Extrauagantem eſſe ueram: ſed nego ſenſum eius eſſe, quem adducta uerba Scripturæ habent in ſuo loco. Quæ uerba utiq; uera fuerunt pluſquam per duodecim annorum centenaria ante conſtitutionem huius Extrauagantis: neque ab Extrauagante uel a tempore eius primum ueritatem acceperunt. Nam ſi iſta uerba Scripturæ de indulgentijs debent intelligi proprio & genuino ſenſu: iam poſſent ex ſacra Scriptura probari & demonſtrari indulgentiæ, quod ad unum omnes conſtantiſſime negant.

Igitur uolo utrumq; ſeruare. Et dicitur mihi: imo iſtum (ſcilicet peiorem ſenſum) ſeruabis: alterum (ſcilicet meliorem) negabis. Ego autem nolo, ſed ſufficere puto, uerbo hominis me tantum reuerentiæ

gradum

gradum dedisse, ut uerū esse confitear: nolo uerbum Dei, qui mentiri (ut ille) non potest, propter illius uerbum negare. Non igitur relatione indignum est, (nisi dum alteri uelis mortem & perditionem moliri sine causa) dicere, quod Papa aut sancti Patres aliquoties torserint Scripturas, & in alienum sensum abusi sint. Aut si id pertinaciter negatur, iam & Papam & Sanctos hæreticos & impios faciemus: ut quos manifestum est alium sequi sensum, quam sit in Scriptura, & id non paucis locis, neq; raro.

HVc usq; prima die actum est, id est, duo ista obiecta sunt. Petij enim diem ad deliberandum, & abij. Non enim e re mea fore uidi, uerbis rem agere: quod ille loco Pontificis sedens, quicquid diceret, ratum apud me esse uoluit: rursum, quicquid ego opponerem, exibilatum fuit, explosum, imo derisum etiam, si sacras aduceherem literas. Nam omitto dicere, quod potestatem Papæ & supra Scripturas, & supra Concilia tollere conabatur, allegans, quomodo iam Papa concilium Basiliense abrogasset. Cum rursus Parisiensis Vuiuersitatis appellationem allegassem, uidebunt, inquit, pœnas suas.

Tandem nescio quos Chersonistas damnauit. Nam Basiliense concilium, aut certe Gersonem alle-

gaueram in Resolutionibus, quod hominem moue-bat. Breuiter Paternitas illa toties illustrissimæ tuæ Dominationi promissa erga me, in hoc constitit: aut uim me passurum, aut reuocaturum. Non enim dispu tare sese mecum uelle aiebat. Ideoq; consilium fuit, scriptis respondere, quæ id certe oppressis præbent solatium, quod aliorum quoq; iudicio examinari pos-sunt: & nonnihil conscientiæ atq; timoris incuciunt alioqui uerbis præualenti.

ALtera itaq; die redij, & mecum reuerendus Pa-ter Vicarius Iohannes Staupitius, qui interim aduenerat, præsentibusq; quatuor insignibus uiris Cæsareæ Maiestatis senatoribus: cœpi coram No-tario, quem adduxeram, protestari, me nihil uelle dicere aut dictum̃ esse unquam, quod contra sanctæ Ecclesiæ Romanæ doctrinam esset: paratumq; esse doceri ac duci, sicubi errassem, subijciens mea dicta summo Pontifici, deinde quatuor vniuersitatibus, Basiliensi, Friburgensi, Louaniensi: tandem, si hoc non esset satis, etiam ipsi parenti Studiorum, Parisi-ensi, ut schedula protestationis meæ indicat.

Hic iterum ridens meum hoc consilium, cœpit monere, ut ad cor redirem, ueritatemq; agnoscerem: velle sese rursum me reconciliare Ecclesiæ & summo Pontifici,

Pontifici, & his similia, quasi iam hæreticus, aposta-tà & extra Ecclesiam essem declaratus. Sed cum ego non uerbis sed scriptis respondere promitterem, & peterem, satis fuisse mecum anteriore die digladiatũ. Hoc uerbum, digladiatum, mordicus apprehendit: & ridens, fili mi, inquit, non sum tecum digladiatus: nec uolo tecum digladiari, sed monere, & intuitu illustrissimi Principis Friderici, paterne ac benigne audire. Hoc est (ut ego cogebar intelligere) ad nihil aliud quam ad reuocationem urgere. Displicuit enim merito stultitia mea, quod pro disputare uel contendere (quod anteriori die egimus, reipsa, si non oportet negare) digladiari dixeram elegantius, quam tunc res ipsa postulabat.

Interim, me tacente, surgit reuerendus Dominus Vicarius, petens, ut me (sicut & ipse petieram) in scriptis audiret: quod tandem uix obtinuimus. Nam publicam disputationem noluit, priuatim quoque negabat se mecum disputaturum: in scriptis etiam respondere similiter usque ad eam horam noluit concedere, solummodo reuocandi uerbum inculcabat. Quod si fecissem, non dubito omnia fuisse uel paternissime composita. Benignissimus enim uir est, meo iudicio, sed qui reuocare libentissime audiuisset.

Tertio

Tertio reuersus, obtuli responsiones ad obiecta duo in scriptis. Quas primum multa & inania uerba dixit: sicut & nunc scribit, me admodum fatue respondisse, & replesse papyrum locis Scripturæ impertinentibus, seseq; ueram eorum intelligentiam dedisse. Verum cum dixissem tandem pro me stare, quod Extrauagans dicit, Christum suis passionibus acquisiuisse thesaurum Ecclesiæ suæ: statim arripuit codicem, legit, et in uerbum, acquisiuit, impegit, sedulo tamen dissimulans sese impegisse.

Surgens tandem dixit: vade, inquit, aut reuoces: aut in conspectum meum non reuertaris. Ego uero mox abij, credens me simpliciter non reuerti audere: quandoquidem propositum non reuocandi firmaueram, nisi aliud docerer. Taceo, quod rumor circumferebatur, permissum esse a reuerendo Patre Generali, me capiendum, & in uincula, nisi reuocarem, conijciendum: mansi tamen Augustæ eodem die. Erat tum feria sexta.

Post prandium uocato reuerendo Patre Vicario, tractauit cum eo, ut me ad reuocationem adduceret, sine mea nota, ut hic scribit, id est, cum perpetua infamia: quæ solet eos sequi, qui timore hominum contra conscientiam abnegant veritatem. Quod ille quidem fecit: sed rogatus, ut Scripturas mihi solueret,

dicebat supra uires suas esse: & ego, contra conscientiam meam esse reuocare: nisi Scripturæ mihi aliter elucidarentur: mansi deinde & sabbato toto: nihil dicebatur, nihil mandabatur: mansi & sequenti Dominica, ubi saltem per literas adij reuerendissimum Dominum Legatum: sed nihil fiebat: mansi & feria secunda: mansi & feria tertia: & suspectum mihi & omnibus amicis silentium factum est. Ideo timens uim, appellatione disposita, reliqui Augustam: & feria quarta recessi, confidens me præstitisse abunde arduam & fidelem obedientiam summo Pontifici, iuxta tenorem citationis. Si quid autem ultra prosequentur, uigore eiusdem, nihil mirum, si iniuriam patiar.

DEinde uide, optime Princeps, quod uere Deus in altis habitet, & comprehendat astutos in astutia sua. Dicit enim, tria affirmauerim in hac causa.

Primo, Dicta fratris Martini, in conclusionibus suis disputatiue, in sermonibus tamen ab eo scriptis affirmatiue & assertiue esse posita.

Respondeo: si disputatiue posita intelligit: quid ergo me miserum & pauperem hominem tot molestijs uexant: tot sumptibus extenuant: tot criminibus & ignominijs afficiũt: tot scandala & prope schisma-

ta excitant? Sunt diſputationes (inquit) gratias ago: abſolutus ſum: imo & damnati ſunt omnes, qui me in ius uocauerunt. Ipſe enim reuerendiſſimus Dominus Legatus his uerbis teſtis nobis ſit, ſe fruſtra & iniqua ratione, omnia contra me egiſſe: & iſta quoque non ſyncere ſcripſiſſe. An nondum pudet eos ſuæ tyrannidis, quam proprio teſtimonio tam clare confitentur? Quid enim diſputationi poteſt obijci criminis? quid diſputatori, qualem hic me confitetur? Quid iſtis literis uoluit? an ut noſceremus fratrem Martinum nihil egiſſe, niſi diſputaſſe? Ideoque contra eum motos fuiſſe eius aduerſarios, ipſumq́ met reuerendiſſimum Dominum Legatum: & non niſi inſidioſe calumniam & iniuriam ei molitos fuiſſe? Nam ſuper diſputatione fuit citatus, non ſuper ſermonibus. Super ſermones enim, poſtquam fuerat citatus, facti ſunt certiores. Quos ego facilius defendam (Deo propitio) quam ipſas diſputationes. Nam hic multa dubitaui & ignoraui: illic locutus ſum ex certa ſcientia, & non ex opinionibus.

Nunc hoc uideamus, quod ea, quæ in ſermonibus dixi, partim damnabilia, partim cõtra doctrinã apoſtolicæ Sedis aſſerit. Quia ſcilicet ei aliud eſt, eſſe damnabile; & aliud, eſſe contra doctrinam Apoſtolicæ

ſedis.

ſedis: forte quod damnabilis non eſt, qui contra doctrinam ſedis Apoſtolicæ loquitur. Ac ſic iterum abſoluor, & iuſtificor: qui in hoc maxime & ſolum accuſatus ſum, & citatus: quod contra doctrinam Sedis apoſtolicæ fuerim locutus, id eſt, non damnabiliter, ut hic diſtinguitur.

Quam uellem, illuſtriſſime Princeps, hanc Epiſtolam ab aliquo Syluestro prieriate fuiſſe ſcriptam: ut libertate plena ingenij eam liceret excutere. Oſtenderem profecto, quam difficile ſit, malam & ſiniſtram conſcientiam, dextera operire ſpecie: at nunc reuerentia optimi & humaniſſimi uiri cogit me bullientis cordis mei premere æſtus, uſq; in aliud tempus.

Sed hoc pati non poſſum, quod ex prudentiſſimo & acerrimi iudicij Principe, nobis quendam facere Pilatum conatur. Nam cum Iudæi Chriſtum coram Pilato ſtatuiſſent: & interrogati fuiſſent, quam accuſationem afferrent, aut quid mali feciſſet homo ille? dixerunt, ſi non eſſet malefactor: non tibi tradidiſſemus eum: ita & hic reuerendiſſimus Dominus Legatus, cum fratrem Martinum Principi obtuliſſet multis odioſis uerbis: & Princeps interrogare poſſet: quid fecit Fraterculus ille? Reſpondet: credat mihi, illuſtriſſime Princeps, Dominatio ueſtra, quia uera loquor ex certa ſcientia, non ex opinionibus.

Reſpondebo ego pro Principe: fac ut ſciam hanc eſſe certam ſcientiam, ponatur in ſcriptis, formetur in literas, non uereatur publicum & lucem. Quod ubi factum fuerit: tunc mittam Fratrem Martinum ad vrbem, imo ipſe eum capiam & interficiam: tunc conſulam honori meo, & conſcientiæ meæ: & non ponam maculam in gloriam meam. Donec autem illa certa ſcientia lucem fugit, & non niſi uoce tantum prodit: nolo in tenebras confidere: quando nec lux ſatis tuta eſt. Sic enim ego reſponderem, Princeps illuſtriſſime. Verum nec doctore nec conſule eget illuſtriſſima tua prudentia. Nam craſſæ iſtæ Italitates (ut ſic dixerim) & Romanitates iam pueris quoque cantatæ ſunt.

NVNC iudicet illuſtriſſima Dominatio tua: quid amplius facere debui aut debeo: per pericula tanta uitæ & ſalutis, contra omnium amicorum conſilium comparui, ut & hodie dicant, me non fuiſſe obligatum comparere: deinde coram reuerendiſſimo Domino Legato reddidi rationem dictorum meorum. Poteram legitima libertate unum uerbum reſpondiſſe, nec me in aliquam examinationem dare: præſertim, cum reſolutiones meæ eſſent oblatæ, & ſignificatæ ſummo Pontifici, ita, ut ad me nihil pertineret hæc cauſa, niſi ut expectarem ſententiam.

Nam

Nam in arbitrium Ecclesiæ a me translatum iam re-posueram: & tamen ob reuerentiam reuerendissimi Domini Legati passus sum ultra hæc me etiam exa-minari. Non ego fraudulentus fui, sed uim iustissimo timore declinaui. Nihil me omisisse uideo, nisi sex istas literas, REVOCO.

Cæterum damnent, doceant, interpretentur, uel reuerendissimus Dominus Legatus, uel ipse summusque Pontifex: non autem dicant solum, Er-rasti, male dixisti: sed in scriptis signent errorem: probent male dictum: rationem, quam habent, reddant: dissoluant Scripturas a me inductas: do-ceant, sicut iactant: uerbis sese fecisse: instruant do-ceri cupientem, petentem, uolentem, expectantem: quæ nec Turcus homo mihi negaret. Vbi uidero ali-ter intelligenda, quam intellexi, si tunc non reuoca-uero, & me ipsum non damnauero, Illustrissime Prin-ceps: tua Celsitudo sit prima, quæ persequatur me, expellat me: obruant me uiri Academiæ nostræ: de-nique coelum & terram contra me inuoco: perdatque me ipse Dominus meus Ihesus Christus. Loquor & ego ex certa scientia, & non ex opinionibus. Nolo mihi Dominum Deum ipsum: nolo ullam creaturam Dei mihi fore propitiam: si edoctus meliora secutus non fuero.

QVod si me fraterculum & mendicum præ nimia conditionis meæ uilitate contempserint docere: & in uiam ueritatis reducere: age faciat tua illustrissima Celsitudo, & oret reuerendissimũ Dominum Legatũ, ut saltem tuę Celsitudini scribat, in quibus errauerim: & quomodo me errorem emendare oporteat: vt saltem per illustrissimã tuam Dominationem audire merear, quibus rationibus, quibus autoritatibus errorem meum confutarę possint. Quod si etiam illustrissimæ tuæ Dominationi hoc denegauerint: scribant id uel imperatori uel Archiepiscopo alicui in Germania. Quid enim aliud possum facere? Mira res est, quod errasse arguor: & obtinere non possum, nec per tantũ Principem, in quibus, & quarę ipsi me errasse putent.

Videat igitur tua illustrissima Dominatio: disputationem publicã mihi negat (quam usq; hodie uel Lipsiæ, uel Erffurdiæ, uel Hallis, uel Magdeburgi, uel ubicunq; tuæ Dominationis ualet imperium, seu saluus conductus, non detrecto, quin etiã oro, & utinã exorem) priuatã similiter negat: in scriptis etiam errorem ostendere negat: quatuor illustrissimarũ Academiarũ iudicia recusat. Si nunc id addat, ut illustrissimi ac potentissimi Principis petitiones reijciat: quomodo possum aliud quam meram uim & insidias suspicari?

Iterum

Iterum ego quoq; atq; iterum, & tertio iterum rogo, illustriss. Dominatio tua non credat ijs: qui dicunt fratrem Martinum male dixisse, antequam audiatur & doceatur male dixisse. Errauit Petrus, etiam post acceptum spiritum sanctum: etiam errare potest unus Cardinalis, quantumlibet doctus.

Consulat igitur illustrissima Dominatio tua honori suo, & conscientiæ suæ, non mittendo me ad urbem. Homo enim non habet hoc mandare illustrissimæ Dominationi tuæ, cum sit impossibile me tutum fore in urbe: & id nihil aliud esset q̃ illustrissimæ Dominationi tuæ mandare, ut traderet sanguinem Christiani, & fieret homicida: ubi nec ipse summus Pontifex satis tuto uiuit. Habent papyrũ & calamos, & atramentum in vrbe, habent infinitos notarios: facile erit in papyrum signare, in quibus, & quare errauerim. Possum leuioribus expensis doceri absens per literas, quam perdi per insidias præsens.

Vnum ego intimo corde doleo, quod literis suis reuerendissimus Dominus Legatus oblique mordet illustrissimam Dominationem tuam, quasi fiducia potentię Celsitudinis tuæ moliar ista omnia. Sic enim & apud nos quidã Sycophantæ iactauerũt, tuæ Celsitudinis hortatu & cõsilio, me ista disputasse: cũ huius Disputationis nullus etiam intimorũ amicorũ fuerit

conscius

conſcius, niſi reuerēdiſſimus Dominus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, et Dominus Hieronymus Epiſcopus Brandenburgenſis. Hos enim, ſicut intererat eorum iſta monſtra prohibere: ita priuatis literis antequã diſputationem ederem, humiliter & reuerenter monui: ut ſuper oues Chriſti uigilarent aduerſus lupos iſtos. Bene ſciebam hæc non ad Principes laicos, ſed Epiſcopos primum referenda: extat Epiſtola mea, multorum in manus deuoluta, horum omnium teſtis. Iſta ego feci.

Sed quod nunc uellet reuerendiſſimus Dominus Legatus tuę illuſtriſſimæ Dominationi maculam inurere, totiq; ſanguini domus Saxonicæ, & in inuidiam ſummi Pontificis uocare. Adeo homines hodie credunt Chriſtum eſſe ſepultum, quaſi non & nunc per aſinam loqui poſſit: & Apoſtolis apoſtoliciſq; uiris tacentibus per ligna lapideſq; clamare.

Verum, opto, oro, cupio, ut illuſtriſſima tua Dominatio in omnibus adhæreat Eccleſiæ & ſummo Pontifici: mihi uero in omnibus aduerſetur: niſi id unum pro me (imo pro ſancta ueritate, pro Eccleſiæ & pro ſummi Pontificis, deniq; pro ipſius reuerendiſſimi Domini Legati honore, deniq; pro illuſtriſſ: tuæ Dominationis fama quoq;) ſupplicet, ut rationes & autoritates appareant aliquando: quibus error

meus

meus conuinci putatur. Nam ſine his me damnare, neq; tuę illuſtriſſimæ Dominationi, neq; ſummo Pontifici, neq; Eccleſiæ, neq; reuerendiſſimo Domino Legato honorificum fuerit. Viuunt fideles: uiuit Chriſtus: uiuunt uel homines certe, qui iudicent.

QVod uero reuerendiſſimus Dominus legatus, illuſtriſſ: tuam Dominationem admonet, ut niſi in urbem me miſerit, uel eiecerit e regionibus ſuis, Romæ cauſam proſecuturi ſint: &c. in exilium ire non magnopere abnuo: ut cui undiq; ab aduerſarijs meis inſidias parari uideam: neq; facile uſquam tuto degere poſſim. Quid enim ego miſer & humilis monachus ſperem? imo quid non timeam diſcriminis? quid non metuam mali ab æmulis meis? cum ne illuſtriſſimam quidem tuam Dominationem, quamuis tantum Principem, tantum Romani imperij ſacri Electorem, tantum Chriſtianæ religionis cultorem, non dubitent ita inſigniter offendere, ut multo meliora merito minari uideantur, neſcio quam calamitatem, niſi me uel in urbem mittat, uel e terrris ſuis eijciat.

QVapropter, ne illuſtriſſ: tuæ Dominationi quicquam meo nomine mali (quod minime omnium uelim) accidat: ecce regiones tuas relinquo,

iturus, quo Deus misericors uoluerit: & eius diuinæ uoluntati me in omnem permissurus euentum. Nihil enim minus sequor, quam ut quisquam mortalium mea causa (nedum illustrissima Dominatio tua) uel in inuidiam, uel in periculum aliquod adducatur.

Quamobrem, illustrissime Princeps, illustrissimam tuam Dominationem reuerenter saluto: eique simpliciter ualedico, gratias immortales pro omnibus suis beneficijs erga me agens. Ego enim ubicunque ero gentium, illustrissimæ Dominationis tuæ nunquam non ero memor, futurus semper syncerus & gratus pro tua & tuorum felicitate precator.

Porro, quod ait reuerendissimus Dominus Legatus, reuerendum Patrem Vicarium abijsse insalutato hospite: quid hoc ad illustrissimam Dominationem tuam? Vicarius non erat uocatus: nihil ad eum causa ista pertinebat: poterat ire, redire, abire, uenire, omni hora ut uoluit. An etiam portas Augustæ ingredientibus & egredientibus propter me claudi oportebat? Sed timeo, quod undecunque corradatur & quæratur causa contra me. Necesse est enim quæri causam ab eo: qui uult habere causam, ubi nullã habet causam.

Sed iam ignoscat illustrissima Dominatio tua uerbosissimis nugis meis: ego adhuc gratia Dei

gaudeo,

gaudeo: & gratias ago, quod Christus Dei filius in tam sancta causa me pati dignum iudicauerit: qui conseruet illustrissimam Dominationum tuam in æternum, Amen. 29. Nouembris. Vuittembergæ, Anno M. D. XVIII.

Illustrissimæ Do-
minationis tuæ
Precator indignus
F. Martinus Lutherus.
August:

SVO IOHANNI SIL-
uio Aegrano.

Approbat Aegrani factum & doctrinam.

77.

SAlutem. En tibi arbitrium meum de dogmatibus tuis, ut uoluisti, mi Silui: primum placet, quod omnia sub iudicium Ecclesiæ, imprimis ordinarij tui (ut dicitur) submittis. Nam uera etiam loqui cum timore oportet, in Ecclesia Dei. Secundo, omnia uera credo: & fere ipsemet iam diu & legi & docui: licet noua et acuta sint: ideoq; (ut fit) indoctos offendentia. Sic ego satisfecerim amico: tu uideris, an & tu sic satisfeceris amicis, id est, eruditis consuluisse uidearis

Midam aliquem: ineruditis uero ſeu inimicis (certus ſum) hæreticus hæreticum conſuluiſſe iudicaberis: & quod dicitur, mulus mulum. Hic enim Martinus multo peius audit apud iſtos homines, quam Siluius, tum iſtis communibus, tum proprijs cauſis, ut noſſe te credo. Sed ſicut nos peſſimos peccatores tulit & vſque modo fert, benignus ſaluator Chriſtus: ita conuenit & nos ferre illos quantũlibet aduerſarios. Nec enim deſperandum eſt de ipſis, ſicut nec de nobis præſumendum: quoniam os ex oſſibus, & caro de carne inuicem ſumus. Vale. Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Luherus.

CHARISSIMO SVO GEORgio Spalatino, Studiorum & humanitatis Patrono.

Decretum eſſe, ut, Sophiſtica philoſophia & Theologia è ſchola exploſis, ſuccedant pura Philoſophia & Theologia.

IHESVS.

78.

COnuenit inter D. Rectorem & me, mi Georgi, de lectionibus bonũ uideri, ut non modo phyſica Thomiſtica caderet, quam nunc deſerit Magiſter Günckel, ſuccedens textuali lectioni D. Rectoris: verum

verum ut rueret quoque Logica Thomiſtica, quam profitetur Magiſter Premſel Torgenſis, ut pro ea Ouidium metamorphoſiacum legeret idem Magiſter, cum in literis humanitatis non parum ualeat. Nam Scotiſticam Philoſophiam & logicam, cum textuali logica & Phyſica ſufficere putamus: donec & ſcotiſticæ ſectæ æque inutilis ac infelicis ingeniorum negocij, cadat profeſſio: ſi quomodo tandem diſſidiorum nomina funditus pereant: & pura Philoſophia & Theologia, omneſq; matheſes ex fontibus ſuis hauriantur. Tuum in hac re audiamus conſilium. Vale altera conceptionis die. Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus.

OPTIMO VIRO D. GEORgio Spalatino Chriſti ſeruo, Principis Saxoniæ à libellis, ſibi in Chriſto ſuſpiciendo.

Sero de actis ſuis non edendis monitum: Carolum à Miltitz tribus pontificijs breuibus armatum ad ſe perdendum uenire & alia quædam hoſtilia: appellaſſe ſe uero ad concilium, nec terreri eorum conatibus: nec maledixiſſe populo Vuittembergenſi.

 IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Iam actum erat, quod literis tuis mihi inhibes, mi Spalatine. Edita sunt acta mea, sed multa veritatis libertate, nondum tota tamen: mihi in his & omnibus festinandū uideo. Accepi heri ex Nurmberga, esse in uia Carolum à Miltitz: quem tria breuia habere pontificia, quidam (ut scribunt) fide dignus uidisse dicitur, ut me capiat & Pontifici tradat. Item mandat mihi per Priorem nostrum Eilebensis Doctor ille, qui una cum Philippo de Feilitzsch mecum Augustæ coram Legato stetit, ut caueam mihi: sese fuisse in itinere, ubi audierit quendam Cortisanum testatum, sese promisisse Pontifici me traditurū. Alia quoq; audio, quæ omnia siue uera sint, siue in terrorem mihi simulentur, non puto contemnenda. Ideoq; ne forte præuentum occidant, uel censuris obruant: omnibus dispositis expecto consilium Dei. Appellaui etiam ad futurum concilium. Atq; quo illi magis furunt, & ui affectant uiam: eo minus ego terreor: ero adhuc liberior aliquando in Romanas istas lernas. Falsum est, quod audisti, me dixisse vale populo Vuittembergensi: sed in hunc sensum dixi, satis incertus sum & instabilis concionator, sicut experti estis: quoties repente uobis insalutatis recessi? quod si

aliquando

aliquando fieret idem, vale dixiſſe uolo, ſi non fuero reuerſus. Deinde monui ne cenſuris papalibus in me furentibus, terrerentur: nec ob eas pontifici, aut ulli mortalium imputarent aut male uellent: ſed Deo rem committerent, & ſimilia. Lego enim & doceo ſicut prius. Vale, altera Conceptionis Mariæ. Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus.

REVERENDO PATRI
Vuenceslao Siniſtro, Theologo dextro, Auguſtiano Nurmbergenſi Eccleſiaſtę, ſibi in Chriſto ſuſpiciendo M.

De Aduentu Milticij: de actis ſuis, & alijs quibuſdam lucubrationibus editis & edendis: de placida morte Kembergenſis: & de iudicio Eccij. Sed unum eſt illuſtre, quod papam agnoſcit Antichriſtum.

80.

DEdi & do literas ad te Vuenceslae P. ſed tam rari deinde incerti quoq; nuncij, ut dubitem, an quoq; accipias: nunc iſto me confido ad te quam citiſſime uenire. Peruenit ad me fama de tribus Breuibus apoſtolicis Carolo Miltitio datis contra me. Id enim ex literis tuis M. Caſpar acceptum proprio nuncio indicauit, nimio pro me ſollicitus. Mitto ecce CAROLVS MILTITIVS.

acta

Acta Augustana edita

acta mea acutius quam sperauerit D. Legatus edita: sed longe maiora parturit mihi iam calamus: nescio unde ueniant istæ meditationes: res ista nec dum habet initium suum meo iudicio, tantum abest ut finem sperare possint Romani proceres. Mittam ad te nugas meas, ut uideas, an recte diuinem Antichristum illum uerum iuxta Paulum in Romana curia regnare: peiorē Turcis esse hodie, puto me demōstrare posse.

Papa Antichristus.

Appellatio Lutheri ad Concilium.

Edidit impressor noster Appellationem meam ad concilium, multa & magna displicentia mea: sed actum est. Volui impressam apud me seruare: Deus autem alia cogitat: latratores illi mire contra me latrant ubiqꝫ, sed nihil proficiunt. Orationem Dominicam sub incudem reuocaui uernacule edendam. Mitto & alias nugas meas, scilicet, respōsiones ad literas D. Legati: sed hac fide, ut hæc omnia postquam legeris, Reuerendo Patri Vicario mittas. Expecto homicidas meos ex urbe uel undecunqꝫ: censuras miror differri. Dominus præpositus Kembergensis animam reddidit in peste: sed tam quieta & suaui morte ut nunquam de alicuius morte fuerim magis gauisus: omnia Christianissime & dixit & egit usqꝫ in finē: plenus fide & fiducia cupiuit dissolui. Benedictus Deus. In locū eius suffectus est M. Bartholomeus Feltkirchius Rector Vniuersitatis nostrę. Nihil aliud noui apud

nos.

nos. Studium nostrum more formicarum feruet. Vale, & saluta salutandos omnes, præsertim D. prædicatorem Sebaldinum & alium Magistrum, maxime autem Pirckheimerum & Albertum Dürer, D. Christophorum Scheurlin. D. Eccius scribit sibi non vbiq; placere nec vbiq; displicere responsionem meam contra Siluestrum: sed tamen addit vnum prudentissimum & verum verbum, scilicet, scire se, non magni apud me referre suum iudicium. Nam vere nihil apud me fit suum consilium. Ea quæ ad Augustam mitto, spero curabis reddenda. Vale iterum, raptim Sabbato Dominicæ 3. Aduentus 1518 Princeps primo fuisset contentus me non esse in loco: præterea voluit omnino vt manerem. Quid nunc cogitet, editis actis & appellatione, nescio. Distulit enim ipse diu, ne ederentur: sed & cum iam cuderentur, voluit vt suprimerentur, quod fieri neq; meo studio potuit. Agit iam conuentum in Ihenis de responso dando de pecunijs Legato contra Turcam. Appellationem nescio an expediat vt multis communices: quanquam apud nos inuulgata ubiq; sit.

Acta Augustana.

Appellatio.

ERVDITISSIMO ET AMICISSIMO SUO GEORGIO SPALATINO, CHRISTI SERUO, SUO DOMINO.

Excusat editionem suæ Appellationis : & literas Principis ad Cardinalem prædicat: rogatq;, ut suo nomine illi gratias agat, seq; illi commendet.

IHESVS.

81.

SAlutem. Nec meum nec tuum consilium præualuit, mi Spalatine. Nam & ego appellationem excudi quidem iussi : sed inito pacto cum librario, ne prorsus ullam ederet: sed omnes apud me deponeret, suo a me accepto precio : ut quacunq; expectatæ furię Romani iudicij uenirent, tum, me recedente, paratæ dispergerentur. At bonus homo suis lucris intentus, cum ego expectarem, ut afferret, prius fere omnes uendiderat : & ego nouissimus omnium tandem editas cognoui. Fui satis in eum stomachatus: sed actum erat: infectum facere nequiui. Item & acta iam expleta erant, usq; ad ultimũ quaternionem, quando uenerunt primę tuæ inhibitiones, atq; diuulgata in multorum manus (adeo insidiantur quoq;, si quid uel unius paginæ edo) tum non potui ultimũ quaternionem remorari prioribus euagatis. Alioqui, ne dubites consilium tuum, & prætulissem & secutus fuissem, sicut & prius feci, ut nosti. Nunc multo magis utrorũq; editionis me pœnitet, postq; uidi egregias has literas illustrissimi principis nostri, ad Dominũ Reuerendũ Legatum. Bone Deus, quã cum gaudio eas legi & relegi,

legi, ſciens quam ſint fiducia plenæ, & tamen mira modeſtia conditæ. Id metuo, ne Itali ſat intelligant, ꝙ in receſſum habent. Eſt enim hominū genus, quod in faciem & frontē intendat rebus ſimul & literis. At hoc ſaltem uidebūt, ſeſe nihil adhuc eorum incepiſſe, quę iam cōſummaſſe ſibi uidebuntur. Nō poteſt fieri, quin prorſus diſpliceant. Quare te oro per Dominū, & ipſe boni cōſulas editiones iſtas nouiſſimas, mihi quoq; ingratiſſimas: deinde & illuſtriſſimo Principi pro me gratias agas: & ſtudioſe meam gratitudinem lætiſſimā cōmendes. Optime actum eſt, ut is, qui paulo ante mei ſimilis mendicus monachus, nunc etiam principes potentiſſimos non ueretur ſine ulla honoris ratione adire, alloqui, minari, mandare, & pro libitu ſuperbiſſime tractare: diſcat uel ſero etiā ſæculi poteſtatem a Deo eſſe: & ſuos non licere honores cōculcari, præſertim ab eo, qui ab homine tantummodo poteſtatem accepit. Placet mirum in modum Principem hac in re patientiſſimam & prudentiſſimam impatientiam oſtendiſſe. Dominus dignetur id totum, quicquid eſt, & ſuum facere, & agnoſcere. Amen. Vale, & ualere iube aulicos amicos noſtros omnes.

Vuittembergæ pridie Sancti Thomæ.

Anno M.D.XVIII.

F. Martinus Lutherus Auguſt:

EPISTO. LVTHERI
SVO AMICISSIMO GEORGIO
Spalatino, Christi seruo, suo autem Domino.

Negat se sacrarum literarum autoritate Turcicum bellum suadere posse: nisi melioribus argumentis conuincatur: Vuittembergæ se furores cohortis pontificiæ expectaturum: de appellatione publicanda iurisperitos consulendos: postremo pollicetur de concione Vinariæ à se habita, tantum missurum, quantum ad huc memoria teneat.

82.

SAlutem. Si recte intelligo te, mi Spalatine, quæris an expeditionem aduersus Turcas ex sacris literis possim tueri & suadere. Esto quod non pecuniæ, sed uero pietatis studio suscipiatur: ego tibi fateor non posse me id polliceri: contrarium autem copiosissime. Edidi nudius in eandē rem amici rogatu sermonem, quem scio peruenisse in manus (propter quos suspicabar tum a me petitum) heroum Brandenburgensium: ubi id egi, ne susciperetur ullo modo bellum huiusmodi. In qua sententia adhuc sum: nisi melioribus fuero mutatus elenchis. In eadem est Erasmus in multis locis, sicut melius nosti, quam ego. Mihi uisum est, si aduersus Turcas omnino pugnandum est, a nobis primum incipiendū esse. Frustra foris bellamus carnalia bella, quando domi superamur spiritualibus bellis.

Deinde

Deinde quod nec in veteri nec nouo testamento ullum gestũ est bellũ humanis uiribus, nisi semper infelici & fœdo euentu. Si quid autem recte cessit: de cœlo fuit bellatũ, ut possem copiosissime docere. Quando autem Romana curia hodie omniũ Turcarum superans tyrannidem tantis monstris contra Christũ & eius Ecclesiam pugnat: & Clerus in auaritiæ, ambitionis, & luxuriæ profundo submersus est: & miserrima sit ubiq; facies Ecclesiæ: non est spes boni belli aut felicis uictoriæ. Deus (quantum uideo) contra nos pugnat: hic primum esset expugnandus lachrymis, puris orationibus, sancta uita, & fide pura. Sed de hoc alias, Vuittembergæ sine dubio manebo expectans Romanæ infelicitatis argumentum: quanquam spero uel conscientiæ metu non precipitabunt furorem. De appellatione figenda ubilibet consulam iurisperitos.

Sermonem Vinariensem, quem petis, penitus sum oblitus: nisi una uix reliqua lacinia: ea est, quod certus sum, me aduersus Hypocritas & iusticiarios Euangeliũ tractasse (sicut omnia soleo) quorũ in ea curia unũ eximie insignem noui: sed etsi non nominem, tu quoque nosti. Nihil enim magnatibus & potentibus nocentius isto genere hominum: qui, cum prorsus nihil didicerint, docent tamen omnia etiam angelorum quasdam religiones. Huius institutis data ope-

ra uolui contrauenire. Et tantum ſcio. Dabo tamen operam, ſi quid amplius memoria habeat, & mittam quanto poſſum citius: ſed heus eo pacto ne tu quoq; me rideas tanquam indoctum artificem: ſicut & illic aliqui me riſerunt, quod nihil de angelis fuiſſem locutus. Nam hoc diligenter memoria retinui, iuxta Prouerbium: quod beneficia facilime obliuiſcimur, iniuriarum tenaciſſime memores ſumus. Nam ego de terra ſum: & non niſi Chriſtum crucifixum noui: nec hunc ſatis digne illi de cœlis & Chriſtum glorioſum forte nouerunt. Quare nec tu de angelis aliquid expectabis ex me. Vale, die S. Thomæ. Anno M.D.XVIII.

Martinus Lutherus
August:

F. M. LVTHERI SERMO die S. Michaelis in arce Vinarienſi.

Quis putas maior eſt in regno cœlorum &c.



Emineris autem, mi Spalatine, quod ex obliuione excutere ſatago, quæ dicturus ſum. Ideo multa omittã, multa forte & addã: nulla tamen dicam, quæ non dicenda tunc fuiſſent. Primum Chriſtus humilitatem hic docet, præſertim

fertim eos, qui cæteris præferendi sunt. Sunt enim duæ formæ in mundo, una forma Dei, altera forma serui. Forma Dei est, potentia, sapientia, prudentia, iustitia, bonitas, & quodcunque bonum est, quo unus homo alteri potest præferri: sicut hoc facile est cognoscere. Forma serui est subiectio, insipientia, stultitia, paupertas, peccatum, & quicunque tandem defectus, quo alter alteri inferior censeri potest.

Has duas formas in homine Christo fuisse scribit Apostolus Philip. 2. dicens, Qui cum in forma Dei esset, (id est, plenus iusticia, sapientia, & ueritate &c. hac enim forma similis quis Deo efficitur, cuius sunt propria solius) Formã serui accipiens (id est, subiectionem, infirmitatem, stultitiam, peccatum, quantum in oculis hominum apparuit) Prior forma facit ex nihilo aliquid, imo omnia: posterior facit ex omnibus nihil, & ex aliquo non aliquid: ascendit illa, descendit ista.

Habet autem omnis homo has duas in sese formas: quia nemo penitus nihil est: sed rectus usus utriusque in nullo hominum est. Hunc autem nos docuit & docet hic Christus uerbo. Sicut ab Apostolo scribitur docuisse exemplo, quando dicit, Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Ihesu &c.

Rectus usus autem est, non rapere eam sibiipsi, sed exinanire sese ab illa. Peruersus usus est, rapere eam sibi, & implere sese illa. Hoc est dicere, quod omne bonũ, quo in forma Dei ponimur, non propter nos datum est, nec vt in ipso gloriemur, nec superbiamus, nec alterum despiciamus aut iudicemus, qui non habet: sed propter eos potius nobis datum est, qui non habent, ut nos eis per ipsum & in ipso seruiamus: & adeo non contemnamus, ut eorum ma-

la aut uitia non secus, nec minore affectu accipiamus, quã si nostra propria forent.

Sic enim Christus (ut Roma. 15.) non sibi placuit in iustitia sua, sicut optimo iure potuisset; sed per eam nobis seruiuit, recipiens super se ipsum omnia peccata nostra. Sicut ibidem Apostolus ait. Sed sicut scriptũ est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me, hoc est, quod exinaniuit seipsum sua forma: & non eam rapuit, quasi uellet æqualis esse Deo: cuius solius est in hac forma gloriari, placere sibi, & nulli seruire, sed omnibus dominari &c.

Sic sapientiam suam exuit, quando non in ea sibi placuit nos contemnens, sed seipsum contemnens, & per eandem, nobis seruiens, stultitiam nostrã super sese recipiens, pro nobis stultus factus. Sicut in eodem Psalmo. 68. dicit: Deus tu scis insipientiam meam.

Ita per iustitiam suam seruus nobis fuit, ac pro nobis peccator factus. Sicut dicit eodem Psalm. & delicta mea à te non sunt abscondita. Et Psal. 22. longe à salute mea uerba delictorum meorum.

Sic de omnibus bonis eius sentiendum, quæ Apostolus sub nomine formæ Dei breuiter comprehendit. Quibus omnibus sic seruiuit, ac si ea non haberet, & nihil ad eum pertinerent. Subiecit se omnibus malis pro nobis, quę per formam serui breuiter comprehendit. Sicut dicit: & omnes fluctus tuos induxisti super me. Et Iesaie 53. & Dominus posuit super eum peccata omnium nostrum.

Contra Pharisęi acceptis his formis Dei, quasi eis sint propter se ipsos datæ, non per eas seruiunt exemplo Christi ijs, qui non habent: sed sibi ipsis placent, gaudent præ cęteris esse aliquid, laudari, honorari, prompti semper alijs per eas præesse, dominari, arguere, mordere, detrahere,

iudicare, damnare: & ita bona Dei forma horribili abusu sibiipsi, inæstimabilia mala operantur. Et hoc est hanc formam non arbitrari nisi rapinam, vt per eam fiant sicut Deus ipse, qui sua forma nulli debet, ut liberrimus. Nam qui formam hanc accipit, & non ad hoc, ad quod data est: manifeste rapit eam sibiipsi: & talem eam arbitratur, quæ sua esse debeat: cum aliis in hac seruus esse debeat. Ideo rapinam facit, & ad hoc, ut sit æqualis Deo. Ad hoc ipsum uoluerunt Apostoli in hoc Euangelio conari. Ideo Christus reprimit eos, & ad formam serui eos retrahit, ut sint pueri, & pusilli, scilicet sensu, nihil magni de seipsis sapientes: sed omnibus parati ad obediendum sicut pusillus.

Corollarium:

Patet, quod humilitas à multis quidem docetur, definitur, distinguitur: sed nunquam eius natura ac proprietas digne exponitur, nisi in Scriptura. Nam humilitas est, cum omnibus suis bonis aliud nihil facere, quam seruire malis, exemplo Christi, nihil sibi tribuendo, sed omnia exinaniendo.

Secundo.

Horrendum itaque est, formam serui despicere: peccatorem & stultum iudicare. Postquam enim ipse Christus omnes istas formas in se ipsum suscepit & honorauit: iam non solum non contemnere, sed necessarium quoque est eas honorare, in quocunque tandem nobis occurrerint Hoc enim cur reus sit Gehennæ ignis, qui fratrem suum fatuum uocat, uidelicet, quod is non in hominem, sed in Christum peccat: qui hominis euiusmodi formam in se glorificauit, quam ille maledicit. Quocirca uult nos Christus oculos aperire: & quoties occurrerit nobis aliquis pauper, stultus, peccator, aut similis formæ, statim uelut, insigne Christi

ipsius in ipso agnoscamus, & per formã Dei (qua uellemus alias inflari) ei seruiamus, orando monendo, iuuando &c. donec & illum eripuerimus ab eiusmodi forma serui.

Hoc est quod non uult unum ex minimis suis despici, sed bene fieri & honorari, tanquam si ipsemet præsens esset.

Et hæc forma serui debet esse episcopis propria, sicut in Euangelio isto docetur. At nunc, sicut Antichristus, in templo Dei sedent, ostendentes se tanquam sint Deus: potestatem acceptam, non nisi in suum commodum rapientes & rapinam arbitrantes (præsertim Papa) secure quiescentes, nulli seruientes, sed omniũ seruitutes etiã extorquentes per uiolentiam. Igitur omnibus, omnia fieri oportet, ut lucrifiant per nos. Qui enim susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit: & qui se humiliauerit, sicut paruulus iste: hic est maior in regno cœlorum.

Verum ista doctrina purissime Euangelica multa patitur scandala (tam furens malum est, superbia)

Sequitur.

Et qui unum de pusillis istis, qui credunt in me, scandalisauerit, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Duplex est scandalum, istorum pusillorum. Primum crassum & sensibile, quo manifesto peccato citra omnem speciem bonam prouocantur ad peccatum: sed hoc scandalum est minus periculosum: quia euidenter cognoscitur esse malum: ideo potest caueri, & non esse scandalum, imo ædificatorium, si alieno periculo fieri uelimus cauti: nec de isto principaliter puto Christum locutum.

Alterum

Alterum est subtile & speciosum, quod creditur esse bonum, & sine scrupulo acceptatur. Sicut falsi Prophetæ per nomen Domini populum olim seducebant: & hæretici, qui in uestimentis ouium gerebant lupos rapaces. Hoc scandalum est proprie scandalum, & periculosum: in quod qui lapsus fuerit uix reuocatur. Contra hoc Prophetæ, Christus, Apostoli, sancti, patres summe laborauerunt. Nam species bona tenet eos, ne scandalum esse credant: & ita pereunt antequam intelligant. Ideo atrox & noua pœna eis decernitur â Christo, de mola asinaria &c.

Tales & nostro sæculo abundant plurimi, qui in multa specie sanctitatis incedunt, multa bona docent, multas deuotiones & preces exercent, passionem Christi quandoque cum lachrymis tractant. In quorum ore nihil sonat, nisi humilitatis uox: nec gestus, nisi sanctitatem præ se fert. Hac specie cum alijs exemplum factum fuerint, interim, dum secretam inuidiam & superbiam & auaritiam alunt, neq; intelligunt, quam misere pereant ipsi, neq; quam multos ignoranter secum perdant.

Nam quod proni sunt alios iudicare, detrahere, despicere, deinde iactare se & sua, omnium hominum uitam explorare & tractare: aliquando etiã maledicere, & multis iudicijs teterrimam inuidiam & superbiam ostendere: id totum, quasi cura non egeat, reliqua specie ita adumbrant, ut alijs imitabile fiant exemplum, id est, pessimum scandalum.

Hos Paulus pulchre depingit 2. Timo. 3. quando speciem pietatis habituros prædixit, sed uirtutem eius abnegaturos. Tales esse necesse est omnes, qui iusticias & traditiones hominum sequuntur, relicta fidei iustitia. Et his hodie omnia loca referta, qui nocentissimi sunt in sancta Dei Ecclesia.

Oculus. Manus. Pes.

Ideo ſequitur: Si oculus tuus ſcandaliſat te. Oculus eſt doctor & conſul: manus adiutor: pes præſidium, in quo nitimur. Hæc omnia maxime ad eorum officium pertinēt, qui alijs præcedere & præeſſe in uia Dei debent: ab ijs autem maxime omnium cauendum docet, ne ſcandaliſſent & ſeducant nos: quod eorum ſeductio uix ſit emendabilis, ut dixi.

Hæc ferme ſumma mihi fuiſſe uidetur ſermonis totius, plura non poſſum recordari: etſi credam me uel plura uel aliter ea dixiſſe.

SVO GEORGIO SPALAtino ducali Bibliophylaci & philobiblio in Domino ſuſpiciendo.

De inuocatione Sanctorum: non eſſe ſe in ea ſententia, nec ſic docuiſſe, quod uel inuocatio eorum, uel bona corporalia ab ipſis petere, ſint res ſuperſtitioſæ: ſed hoc reprehendiſſe quod tantum corporalia & non potius ſpiritualia ab ipſis petantur. Hanc peruerſitatem à ſe reprehenſam.

IHESVS.

83.

SAlutem. Petis ex me, optime Spalatine, quidnam mihi uiſum fuerit, ut in poſitionibus quibuſdã uenerationem Sanctorum pro corporalibus neceſſitatibus, uelut ſuperſtitionem iudicauerim. Mi Spalatine, non fuit mens mea unq̃, uenerationem Sanctorum eſſe ſuperſtitioſam: neq; inuocationes eorundem

pro

pro causis vel corporalissimis. Hoc enim sapiunt hæritici illi vicini nostri Pighardi in Boemia. Melius enim a Deo per sanctos eius impetramus, quæcunque tandem bona (quippe cum sint omnia vtique dona Dei) quam quod per Magos & maleficos apud Diabolum quærantur, sicut plurimi solent. Sed id volui scilicet superstitiosum, imo & impium atque peruersum esse, apud Deum & Sanctos implorare tantundem ea, quæ corporis sunt: nihil prorsus curare ea, quæ animæ & salutis, imo voluntatis Dei sunt: quasi obliti aut increduli simus uerbi eius, qui dicit: primum querite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur uobis: imo vbique Christus corpora, & ea, que corporis sunt, vt vilissima contemnere docet. Quare si licitum est illa petere: illis tantummodo permittendum est, qui imperfecti sunt in fide, & magis degunt sub Mose quam sub Christo. Quare toleranda tantummodo res est talis sanctorum cultus propter infirmos: non autem extollenda, velut res dignissima Christiana uita. At nunc vide, si vllus sanctorum in populo sit celebris propter castitatem, propter patientiam, propter humilitatem, propter fidem, spem, charitatem & cætera spiritualia bona impetranda: non ista quæruntur, nec habemus sanctos vllos, ad quos illorum gratia fiant concursus: ædificentur Ecclesiæ, agantur

 diuina.

diuina. Verum propter ignem colitur S. Laurentius: propter pestem Sebastianus: Martinus, & tandem ignotus, etiam S. Rochius propter paupertatem: S. Anna cum genere suo, & Beata uirgo propter multa & plurima: S. Valentinus propter caducum morbum: Iob pro scabie Gallica: sic Scholastica, Barbara, Catharina, Appollonia: denique quotquot sanctarum sunt celebres, procorporali tantũmodo salute sunt celebres, & ita celebres, ut Apostolis sint prælati in cultu & officio pietatis, futur scilicet ingratissimi, si corporalibus nullus egeret, uel si contemnerent corporalia. Cur enim S. Paulum non etiam inuocamus, ne moriatur anima in Christi ignorantia? Sic, ut S. Christophorus pro risu nescio quo nocturno inuocatur. Tales inquã si sunt infirmi, sunt tolerandi: & tandem, ut melius sapiant, & spiritualia petant corporalibus contemptis, instituendi: ne semper pueri simus sub Mose: sed aliquando Christum etiam apprehendamus. Si autem sunt melioris fidei, arguendi sunt, quod nõ digniora quærant. Igitur error est, quod sanctorum culturam promouemus per timores malorum & cupiditates bonorũ temporaliũ. Non enim omnibus ista sunt dicenda & persuadenda uniuersaliter, ut fit: sed paruulis, ut dixi, & infirmis: alijs uero persuadendũ, ut apud sanctos contraria petant scilicet

pœnas, morbos, flagella, cruces,& diuersa tormenta, ſicut ille ait, Proba me Domine & tenta me, ure renes meos & cor meum. Quod ſi omnes uelimus apprehendere ea, quæ ſolummodo ſunt paucorum: nonne tum neceſſe erit ſuperſtitionibus omnia repleri? Sit lac infirmis: robuſti ſolidum cibum operentur. Vides ergo eſſe ſuperſtitionem & non ſuperſtitionẽ, uenerari Sanctos, pro corporibus, qui poſſunt ſpiritualia optare,& egere ſeſe uident, ſine dubio irato Deo impetrant corporalia, dum negligunt petere bonum ſpiritum: denique oratio dominica in tribus primis petitionibus docet nos ſpiritualia primum petere, & ea quæ Dei ſunt, poſtea uero quæ noſtra. At hanc orationem illos peruertere certũ eſt, qui, ſiue Deus regnet, ſiue ſeruiat, nihil ſoliciti, a ſuo tantummodo malo eſtuant liberari, facientes primum nouiſſimum, & nouiſſimum primum. Vale,& ora pro me, Ex Vuittemberga die S. Silueſtri.

Anno M.D. X VIII.

F. Martinus Luherus August.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M. D. XIX.

PRESTANTISSIMIS VIRIS

purae & verae Theologiae Doctoribus, Dominis Petro Lupino Radhemio, custodi, & Andreae Bodenstein Carlstadio, Archidiacono, Canonicis omnium sanctorum Vuittembergens: ordinarijs &c. praeceptoribus suis, in Christo obseruandis.

Dedicat commentarium suum in Galatas: & causas suae dedicationis exponit: & deplorat Romanae curiae insciciam, impudentiam & tyrannidem.

IHESVS.

84.

SAlutem. Effutiui diebus istis, ornatissimi uiri, nugas aliquot de Indulgentijs, res sane leuiculas, de rebus (sicuti mihi uidebar) leuiculis: uerum, ut nunc expertus sum, res omnium maximas, de rebus omnium maximis. Ego enim mire stultus, & errans grauissime, peccata & errores metiebar mandatis diuinis, & sacrosancto Euangelio Christi: illi uero amici mei, pro gloria sapientiae suae, non nisi potestate Papae, & priuilegijs Romanae Ecclesiae metiuntur quodlibet operis genus. Hoc est, quod tam diuersum saperemus.

peremus:& ego mihi tantas turbas concitarem, apud Christianissimos illos, & religiosissimos sacræ Theologiæ professores: acciditq; mihi quod semper veritus fui, varium aliorum iudicium: alijs impius, alijs mordax, alijs vanæ gloriosus, alijs aliud visus fui: quæ sors communis est in publico ædificantibus (ut vulgo dicitur) & in publicum scribentibus. Tot Magistros fere inuenio, quot lectores, atq; id gratis: quorum felici auspicio & ductu, ne pertinax essem, & hæreticus fierem, discendum mihi fuit, neminem grauius delinquere posse, q̃ eum, qui de opinionibus hominum dubitat, aut disputandi studio reluctatur: etiamsi interim Christum, & Christi fidem negarit, hoc est, puerile quid luserit.

Qua in re, cum essem Augustę, patiebar satis paternũ & benignũ pædagogum, sicut scitis. Atq; horũ uirorũ illustrissimorũ, illustrissima administratione factum est, vt noua illa & admiranda regnet libertas Christianorũ: qua ceteris omnibus impune habentib. vna tantum lex sit reliqua, in quam peccari possit hodie, hæc est potestas Papæ, & priuilegia Romanæ Ecclesiæ. Hinc conniuere, consentireq; in omnes flagitiorum & corruptelarum lernas, quæ ex vrbe Roma, sub innoxio, & sacro Papæ, & Romanæ Ecclesiæ nomine, in omnem terram sine fine exundant:

ſanctum eſt laudaſſe: ac pro virtutibus ſummis adoraſſe, pietas eſt: contra mutijſſe, ſacrilegium. Tanta eſt ira furoris Domini omnipotentis: tanta meruit impia noſtra ingratitudo, vt tam diu toleranda ſit inferorum tyrannis: qua videmus, multo gemitu fruſtra gementes, nomen ſanctum & terribile Chriſti, in quo iuſtificati, ſanctificati, glorificati ſumus, tam fœdis, tam ſpurcis, tam horrendis monſtris, auaritiæ, tyrannidis, libidinis, impietatis prætexi: in ſeruitutem vitiorum cogi: & quod extremum eſt malorum, nomen Chriſti, per nomen Chriſti extingui: Eccleſiam, per nomen Eccleſiæ vaſtari: atq; omnino ijs rebus nos ludi, falli, perdi, per quas debueramus ſalui fieri.

Quare, dum illi maximis illis rebus occupantur, dum mordent, dum Baal ſuo lanceolis ſe incidunt, dum Lindio Deo ſacrificant, dumq; iactant Extrauagantes, & declaratorias illas Romanæ eruditionis fideliſſimas teſtes, ego ad minimas res me recipere ſtatui, id eſt, ad diuinas literas, & inter has, ad eas, quæ ſunt minimi autoris (vel nomine ſuo teſtante) Pauli Apoſtoli. Qui adeo non fuit ſummus Apoſtolorum, aut Pontifex maximus: vt ſe minimum quoque Apoſtolorum, nec dignum, qui vocetur Apoſtolus, clamet: tantum abeſt, vt ſanctiſſimum ſe iactet: deniq;, de tribu Beniamin

iamin ortus est, qui a Ioseph, minimus fratrum vocatur: atque, vt nihil non sit minimum, nihil iudicat se scire, nisi Iesum Christum: nec tamen hunc, nisi crucifixum, id est, minimum & nouissimum omnium: non ignarus vtique, de rebus illis maximis & omnium primis, de potestate Romanae Ecclesiae, & decretis illius, nō sibi rudissimo & indoctissimo Apostolo, sed solis ter maximis Theologis licere tractare. Spero autem hanc meam operam prosperius habituram, quod sit de rebus illis mere nihili, de potestate Christi: qua potens est in nobis aduersus portas etiam inferi: de Priuilegijs Ecclesiae coelestis: quae nec maximam Romam, nec sanctissimam Iherusalem, nec vllum locum nouit: neque hic aut illic Christum quaerit: sed in spiritu & veritate patrem adorat. Quid enim tanti viri his nugis mouerentur, irritarenturue, cum sint extra eorum facultatem? Tutius ergo nunc in publicum uenio, abstinens ab ijs rebus, quibus illi irritantur, & rescellulas mea paruitate dignas, tractans. Caeterum, si quid ueteris illius Tragediae, de rebus magnis coortae superest, ipsis relinquo: tum, quod unus, & paruus, & infirmus, praesertim, cum illi & otiosi stent tota die, ego autem sim negotiosissimus. Quoniam superfluum est, vtranque partem causae distorqueri. Sat malorum est, unam partem dolere & moestā esse,

Porro, optimi viri, ut uobis serio dicam, ego Romano Pontifici, eiusq; decretis, eum honorem habeo, quo nullus est superior: nec excipio, nisi principem huius vicarij, Ihesum Christum Dominum nostrum & omnium. Huius uerbum ita præfero Vicarij uerbis: ut nihil dubitem secundum ipsum iudicare de omnibus & dictis & factis Vicarij. Volo enim subiectum eum esse huic irrefragabili regulæ Apostoli: Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab hoc inquam iugo, neminem patiar collum excutere, siue nomine matris, siue magistræ Ecclesiarum uehatur. Atq; ideo magis, quo nostro seculo vidimus Concilia reprobari, rursum alia confirmari: theologiam meris opinionibus tractari: iurium sensum ab vnius hominis pendere arbitrio: & adeo confundi omnia, vt nihil certi pene nobis relictum sit. Sed & multas decretales esse, a sensu Euangelico alienas, luce clarius est: ita, vt necessitas ipsa rerum nos cogat, ad Scripturæ diuinæ solidissimam petram confugere: nec temere credere vllis, quicunq; sint, qui citra illius autoritatem loquuntur, statuunt, aut faciunt.

Nec verendum censeo, quid contra Cardinalis Caietanus, & Siluester Prierias adulentur: qui etiam in rebus fidei, nudum verbum hominis sufficere cauillantur. Diuus Augustinus docet, nulli credendum,

quan-

quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleat (credo etiam sanctissima) nisi diuinis literis, aut ratione probabili persuadeat, ne, si aliter ludamus, illudamur: at hi in Christo boni autores, volunt nos vi cogere in hanc illusionem. Sanctus Petrus toties lapsus est: & semel post acceptum spiritum, grauissimo animarum periculo, errauit: & nos homines, longe infra Apostolicam sublimitatem reptantes, vltra Apostolicas perfectiones eleuamus: quasi Christus mentitus sit, quando sese promisit nobiscum esse, usque ad consummationē seculi. Adeo quærimus alios Christos, in quorū nutu renutuque pendeat Ecclesia. Satis est Romanū Pontificem, summum Pontificem esse: impijssimum sit, Christo æqualem ei uirtutem & sapientiam affingere, sicut audent quidam. Quanquam, ut ingenue confitear, ipse pene ignoro, quæ sit, & ubi sit Romana Ecclesia, ita ludentibus, iocantibus, cōfundentibus nomina Romanæ Ecclesiæ, teterrimis illis nugatoribus. Siluester eam secat in tres Ecclesias: in Papam, in Cardinales, in populum. Quæ distinctio, quia magistralis & sufficiens est, nec membra coincidunt, facit, ut Papa, & Cardinales sint extra Ecclesiam, inter paganos habendi, ut qui in essentiali Ecclesia non sint: aut tres Christos præficiet tribus illis Ecclesijs: imo nec Christus ad Ecclesiam pertinebit tanto autori,

quum nec uirtualis, nec repræsentatiua, nec essentialis sit Ecclesia. Cardinalis Caietanus, passim se pro Ecclesia Romana uenditat in Germania, sub nomine illius Breuia apostolica comminisci satis doctus. Est Romana Ecclesia, bonus ille copista: qui declaratoriam illam pulcherrimam, qua Caietanus dignissime gloriatur, editurus, cū in formulario suo, non Scripturas, aut ullas rationes, sed immemorabile tempus, consueuisse, et tradidisse, inueniret, hæc ipsa satis fideliter membranæ illeuit. Vendunt se vbiq; pro Ecclesia Romana, pro ut cuiq; libitum est, impij illi nebulones, plumbo tantum & cæra Romanæ curiæ totam Germaniam illudentes & exhaurientes.

Cardinalis Caietanus.

Quid istis ludificationibus nominum sanctorum Papæ & Romanæ Ecclesiæ faciunt, nisi, quod nos Germanos, meros Blennones, bardos, Buccones, et ut dicunt, barbaros & bestias arbitrantur, etiam irridentes nostræ illusionis & expilationis incredibilem patientiam? Pronide, ego in tanto rerum & uerborum chao, e tanta Siluestrorū silua, ad ciuitatem Augustā reuertor: & iudicium interim sequar, quo principes Germaniæ, in nouissimis comitijs, recte, sancte, & auguste discreuerunt inter Romanam Ecclesiam & Romanam curiam. Nam quo modo licuisset eis recusare decimas & uigesimas & quinquagesimas (id est, medullas,

Siluester Prierias.

dullas, totiusq; Germaniæ semel subitaneam vastitatem) quas in concilio illo sacratissimo (ut sic dixerim) Romano, nouerant sancitas, & tantis Legatis Apostolicæ sedis expetitas: nisi tandem, licet sero sapientes, intellexissent, non Romanæ Ecclesiæ decretum, sed Romanæ curiæ illud esse commentum? Viderunt nimirum (dictu mirum & nullis, neq; Siluestris, neq; Caietanis creditu possibile) Concilium & Papam errasse, & posse errare: aliudq; esse nomen Ecclesię Romanæ, & aliud, quod nomine Romanæ Ecclesiæ geritur: aliumq; esse Romanæ Curiæ, alium Romanæ Ecclesiæ Legatum. Hunc Euangelium afferre, illum pecunias quærere. Vnde barbaris illis & bestijs tantum iudicij? nisi quod Deus tandem fessus blasphemijs sui, & irrisionibus, abusionibusq; sui, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nominis, monere uoluit Romanos proceres: ut res Ecclesiæ, posito ioco & ludo, aliquando serio curarent, antequam eliciant sanguinem, dum nimium mungunt Germaniam.

Quare & ego horum Theologorum laicorum exemplo pulcherrimo, longissime, latissime, profundissime distinguo, inter Romanã Ecclesiã & Romanã Curiam. Illam scio purissimũ esse thalamum Christi, matrem Ecclesiarum, dominam mundi, sed spiritu, id est, vitiorum, nõ rerum mundi, sponsam Christi, filiam Dei,

am Dei, terrorem inferni, victoriã carnis: & quid dicam? cuius sunt omnia: iuxta Paulum, 1. Cor. 3. Ipsa autem Christi. Christus autem Dei. Hæc uero ex fructibus suis cognoscitur. Non quod magni faciendum sit, res nostras & iura diripi: cum fixum sit in cœlo, Christianos in hac vita pressuram, Nimbrotos, & robustos uenatores pati: nec ab hac conditione liberabitur Ecclesia, nisi per mortem: palma est, quanto fortius premitur, tanto sublimius exaltatur in Cades: sed quod omnibus lachrymis sit miseria maior, hæc a fratribus & patribus, in fratres & filios fieri (sicut in Prophetis dicit Dominus, filios a parentibus vorari) quæ a Turca uix fierent: aut si fierent, non tamen sanctũ nomen Christi, tam fœdis monstris prætexeretur: quæ est omnium intolerabilissima Christi & Ecclesiæ iniuria. Res sane eant, & uita pessum: at nomen Domini æternum, cur patiamur tam fœde conspurcari? Nullo modo ergo Romanæ Ecclesiæ resistere licet: at Romanæ curiæ, longe maiore pietate resisterent, reges, principes, & quicunque possent, quam ipsis Turcis. Hæc uerbosius forte & liberius: verum, propter eos, qui cum illusoribus illis, sine fine illudunt Christum, coactus sum meipsum exponere: ut sciant sese errare, quando me a Romana Ecclesia alienum clamant: qui purissime diligo, non modo Romanam, sed

totam

totam Ecclesiam Christi: deinde, quod certus sum, aliquando moriendum esse: & in aduentu Domini nostri Ihesus Christi rationem reddendam de veritate, uel tacita, uel dicta, atque omnino de talento tradito, ne ipsum abscondisse iudicer. Irascantur sane qui uolent, modo ego impij silentij reus non inueniar: qui mihi cõscius sum, esse me debitorem uerbi, quantumlibet sum indignus. Nunquam sine sanguine, aut periculo, uerbum Dei tractari potuit: sed, sicut pro nobis mortuum est, ita uicissim, sui confessione, & nos pro se mori exigit. Nec est seruus maior domino suo: si me (inquit) persecuti sunt, & uos persequentur: si meum sermonem seruarint, & uestrum seruabunt.

Sed ad me redeo: & ad uos, optimi uiri, refero, seu (ut Paulino utar uerbo) uobiscum confero, hoc meum in Paulinã epistolam studium. Tenue quidem illud, nec tam commentarium, quã testimonium meæ in Christo fidei: ne forte in uanũ cucurrerim, & sensum Pauli, non satis tenuerim. Hic enim, quia res Dei, & serio maxima est, abs quolibet puero erudiri cupio. Maluissem certe & ego expectare cõmentarios olim ab Erasmo, uiro in Theologia summo, & inuidiæ quoque uictore, promissos: verum, dum ille differt (quod Deus faxit, non sit diuturnum) cogit me in publicum ire casus iste, quem uidetis. Scio quidem

me infantem & ineruditum : ſed tamen(quod auſim) pietatis & eruditionis Chriſtianæ ſtudioſum : atque hoc ipſo eruditiorem his, qui diuina mandata, impijs legum humanarum pompis, mere ridicula & ludibria fecerunt. Vnum ſpectaui, ſi conſequar, ut mea opera ij, qui me Apoſtolicas epiſtolas audierunt enarrantem, Paulum apertiorem habeant, & feliciter me ſuperent : ſin nec id effeci, age, & hoc libens perdiderim laboris : conatus reliquus eſt, quo alios ad Paulinam Theologiam uolui accendere: quem nemo bonus mihi uitio dederit. Valete.

OPTIMO VIRO, CHARISſimo Patrono, Georgio Spalatino in Domino Chriſto.

Miſcellanea, de Hæbreo profeſſore, Siluestri epiſtola, dialogo Luciani, & duabus epiſtolis principis ad Caietanum ſcriptis, quas mire commendari ſcribit.

IHESVS.

85.

SAlutem. Veni Vuittembergam, & inueni hominem hebraica profeſſurum (adoleſcens pene eſt) ſatis eruditum. Nam qua hora ingreſſus ſum, mox orationem habuit latinam hebraicis interornatam :

&

& placuit: ideoq; nobis uisum est, quando ille veteranus omnino maturat recessum, hoc assumpto in uicem illius, recessus eius feratur: forte Dominus quoque nostro studio intentus consulit sine nobis. Quare fac, respondeas quantocius, quid illustrissimo principi uideatur.

Remittes etiam Siluestri Siluestrem inscitiam, adiuncto consilio, an referiendum sit mihi: dialogum Luciani etiam e Lipsia missum ad te. Sed heus exemplum utriusq; epistolæ latinæ & uernaculæ, quam illustrissimus Princeps ad Legatum scripsit, Aldenburgi in ædibus tuis relictum oblitus sum: ægre illis careo: apud multos uernaculam esse cognoui, sed cũ summa laude & admiratione principis: omnes mire efferunt ingenium & artem elegantissimam Principis. Nec ex meo Amsdorffio solum euulgata est, sed ex tuo exemplo quoque, quod in Ihenis Doctori Hieronymo commodaras. Vale, Vuittembergæ, altera ferme ingressus hora, feria secunda post Epiphaniæ.

Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus.

τῷ γεωργίῳ σπαλατινῷ τῶν φίλων φιλτάτῳ, τοῦ χριστοῦ δούλῳ, πιστικῷ καὶ σώφρονι αὐτῷ ἀγαπη-
τάτῳ σφόδρα.

Caroli Milticij suasu nominasse se scribit tres Episcopos: quorum uni cognitio causæ suæ committeretur.

IHESVS.

86.

SAlutem. Carolus Miltitius (quod postulas) hoc breuissimis literis mihi scripsit, sese rem totam illustrissimo principi coram exposuisse: placuisseque principi, ne res impediretur, ut ipse nominarem Episcopum, qui hoc causæ perageret. Ego nominaui Archiepiscopum, & primo Treuerensem, deinde Saltzburgensem, tandem Numburgenem comitem illum palatinum, ἀλλὰ γεννηθήτω ἡ βουλὴ τοῦ θεοῦ, χρόνος πάντα δώσει, ὁ κύριος ζῶει, præstabo τὰ λοῖπα, ἰδίῳ καιρῷ. Vale, εἰμι γὰρ πολυπραγμάτικος, ἤ ποτὲ πολοπραγμάτατος. Vigilia Sebastiani. Anno M.D.XIX.

ὁ Μάρτινος ἐλευθέριος.
αὐγουστινίανος.

SVO CHARISSIMO GEORGIO Spalatino, Christi seruo, ac sacerdoti, in Domino maiori & præferendo.

Formam memoriæ in Missa uult esse liberam: & censuarium Monasterij petit, ad satisfactionem exigi, sed sine indignatione Principis.

IHESVS.

IHESVS.

87.

SAlutem. Mitto, quod uoluiſti, imo quod potui περὶ τοῦ ἐξομολόγησιν συντάσσειν. Tu uideris, quid effecerim. Addo & diſputatiunculam, ſuper qua ἔτι φιλονικοῦμεν. Sed quam rotunde ueram arbitrer: uidebis in his omnibus, quo res Eccleſiaſticæ redactæ ſint, διὰ τοὺς βατράχους αἰγύπτου, quin potius διὰ τοὺς αἰγυπτίους.

Quod autem petis τύπον aliquem memoriæ (vt uocant) faciendæ in Miſſa: obſecro non te iſtæ minutiæ rerum perturbent: ora pro quibus tibi Dominus inſpirauerit: & animum tuum liberum in ijs habeto. Non eſt res iſta tanta, ut neceſſe ſit decretis & traditionibus ſpiritum libertatis denuo uincire: ſufficit moles iam abunde nimis multum ualde dominantium traditionum.

Literas Carolinas poſteriores nullas adhuc uidi: forte tibi falſo ſuggeſtum eſt, binas eum ſcripſiſſe ad me. Hebraicas literas Philippus noſter tractat, ut maiore fide ita & maiore fructu quam Iohannes ille ὁ ἀποστάτης, id eſt, diſceſſor: nimia eſt hominis & fides & diligentia, ut uix tempori quicquam cedat. Cupio ſcire tandem, quid pro D. Sigiſmūdo de Clumma reſcribere ex te poſſim.

Atq; ut nouiſſime noſtri aliquando & memor

ſim, quanquam id admodum facio inuitus Chriſtopherus Breſſen cenſuarius noſter in Motteruuitz, ſub præfectura Leiſnicenſi morans, iam diu differt pendere nobis cenſum debitū: de exacto anno nondum plene ſatisfecit: atq; iam nouo anno accumulantur cenſus poſteriores prioribus: peperci homini ne eum traderem in Principis illuſtriſſimi indignationem, ſed periculum eximium & rei & noſtrum cogit denuo moleſtare Principem.

Quare te oro, ut pro nobis aliquid in hac re labores. 120. Flor: ſumma eſt debiti cenſus vtriuſque collati: & pauperes ſumus, ut noſti: & quod peius eſt multum debemus. Adiuues ergo, ſed ita, ut animus principis, quantum fieri poteſt, non irritetur aduerſus hominem. Scio culpam nobis imputari, qui uendidimus: ſed nos Deo rurſum imputamus, ut qui temporalia parum curare, & ſub fide tractare docuerit: ſtulti fuimus ſecundum carnem: ſed forte Deus, ſapientiam ſuam ita uoluit manifeſtare: ſicut eſt mirabilis in omnibus operibus ſuis, ſanctus cum ſanctis, peruerſus cum peruerſis. Vale & reſponde.

Vigilia S. Pauli τοῦ ὀργάνου ἐκλεκτοῦ ἐν χριστῷ σωτῆρι ἡμῶν.

Anno M. D. XIX.

Martinus Lutherus.

VERE

VERE THEOLOGO ET Christiano uiro, Iohanni Aegrano, Cigneo Ecclesiastæ, suo in Domino Maiori.

Simulatam Miltitij actionem cum ipso recenset: ac dissuadet Aegrano, ne Cigneam deserat: declarat etiam se, quæ sit eius opinio in sententia fidei: Tandem Eccij calliditatem & uersutiam accusat, cum quo manus se conserturum pollicetur.

IHESVS.

88.

SAlutem. Breuiter accipe, mi Aegrane, in quo loco sint res meæ. Carolus de Miltitz missus ad Pricipem nostrũ armatus plus 70. Apostolicis Breuibus, in hoc scilicet datis, ut me uiuum ac uinctum perduceret in Hierusalem homicidam illam Romam: sed per uiam a Domino prostratus, id est, multitudine mihi fauentium territus, iuxta quod curiosissime ubique de mei opinione explorauerat, mutauit uiolentiã in beneuolentiam fallacissime simulatam, agens mecum multis sane uerbis, ut pro honore Ecclesiæ Romanę reuocarem mea Dicta. Cui respondi in hanc sententiam: præscribatur modus reuocandi: & erroris causa detur: sed talis quæ uulgo & eruditis satis sit speciosa: ne reuocatio malæ speciei, plus odij concitet aduersus Romam.

Conuenimus

Conuenimus tandem in Episcopos, aut Saltzburgensem aut Treuirensem, ut uni horũ causa committeretur: ac sic amice discessimus etiam cum osculo (Iudæ scilicet) Nam & inter exhortandum lachrimabatur. Ego rursus dissimulabam has Crocodyli lachrymas a me intelligi: hucusq; peruentum est: quid nunc Romæ agant, ignoro.

Dixit quidem Carolus, non fuisse in centum annis causam, quæ plus negotij fecisset uulgo isti otiosissimo Cardinalium & Romanantium Romanatorum: eosq; decem milia ducatorum potius profusuros, quam permissuros hanc rem cepto prosequi. Ego gaudeo, & Deo omnia committo.

Scripsi & antea, ne Cigneam relinqueres: poteris in otio Cigneo abunde ex libris græcari. Plus enim Deo, id est, populo Dei debes, quam tibi & literis. Opto scire, quid te cruciet in fidei sententia, quæ mihi plana & aperta videtur. Nam fidem ego iustificantem a charitate non separo: imo ideo creditur, quia placet & diligitur is, in quem creditur. Gratia facit placere uerbum & credi: hoc autem est diligere. Nec mihi omnia placent, quæ de fide, spe & charitate recentiores disputarunt, qui mihi nullam illarum intellexisse uidentur.

Eccius

Eccius noster a me tentatus Augustæ, vt cum Carolostadio nostro Lipsiæ congrederetur, pro componenda contentione, tandem obsecutus est: sed audi hominis figuram: meas positiones arripit & mordet atrocissime: & eum, cum quo sibi res est, omittit: ludere eum credas laruis carnispriuij. Cogor itaque ego pro meis indulgentijs homini pedem conferre, & manus conserere. Infelicissimum est glorię animalculum.

Post Pascalia promittit certamen. Sunt qui subornatum eum a prædicatoribus asserant: sed fiat voluntas Domini. Misissem exemplar: sed vnicum mihi e Norimberga missum habeo. Mitto libellum Carolostadij de Iustificatione impij: reliqua de spiritu & litera compleuit: quę & mitto, sperans te habere principia eiusdem. Vale in Christo, & pro me ora. Die Purificationis. Anno M.D.XIX.

Martinus Lutherus.

REVERENDO PATRI IOhanni Lango, Eremitanorum August: Vicario medio Theologiæ designato Doctori nouello, suo in Christo.

Gratulatur Langio de doctoratu: deinde se Eccij libellis cogi dicit ad inuectiuas in Romanas Lernas.

IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Quicquid Dominus tuo contulerit honori, nostro collatum quoq; gratulamur, Reuerende Pater: prospere procede & regna: ego non ueniam.

Eccius hostis Lutheri. Eccius noster noua bella bellat cõtra me: & fiet ut faciã, quæ diu cogitaui, Christo propitio, id est, ut aliquando libro serio in Romanas lernas inuehar. Huc usq; enim & lusi & iocatus sum in rem Romanam, quanquam mire doleant, ut de intollerabili serio.

Cæterum quæso curam habe, ut Matthæum hunc senem Patrem reuoces. Parcendum est enim ætati: & estimanda prompta eius obedientia, nec coram Deo. nec coram hominibus nobis decorum: aut etiam licitum est, eum in tali miseria relinquere: uerum tamen, ut prius alium loco eius pro plebano ibidem sufficiendum nobis prouideas. Si me audirent, elocarem eiusmodi Parochiam seculari (ut uocant) sacerdoti. Vale, Blasij die.

Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

OPTI-

OPTIMO ET AMICSISSImo suo, Georgio Spalatino in Domino venerabili.

De mutandis lectionibus quibusdam Academiæ, & augendo stipendio Philippi, deniq; de Thematibus disputationis Lipsicæ ab Eccio motæ agitur: quæ reuelandi Antichristi occasionem præbuit.

IHESVS.

90.

SAlutem. Quod pro nostro studio soliciti sumus: atque te negotijs obruimus, mi Spalatine: spero, non modo æquo sed & grato feres animo. Repetimus autem ea, quæ nuper egimus, de abolendis lectionibus, bonas horas frustra occupantibus, melioribusque adhibendis, præsertim Ouidiana Metamorphosi, augendoque solario Philippi nostri, interitu vnius Physicæ lectionis, ac stipendio illius adiecto stipendijs, sicut te meminisse credimus: nunc ne res frigeat, aut in spongiam (quod iunt) cadat, te rogamus: quod Dominus per te cœpit, faciat id per te perfici: ne qua sors sinistra interueniat, & dispergat votum tam pium.

Cæterum Eccius noster animalculum gloriæ edidit schedulam, disputaturus contra Carlstadium Lipsiæ *Occasio disputationis Lipsicæ.*

,, Lipsiæ post Pascha: & homo insulsa obliquitate, suæ ,, iam diu in me conceptæ inuidiæ satisfacturus, in me ,, & mea ruit scripta; alium nominans concertatorem, alium autem inuadens tractatorem. Displicet mihi tam uecors hominis sycophantia: ideo contra eum & ipse edidi contraria ei, ut uidebis in his typis. Erit

Prophecia. forte Eccius occasio, ut res ista huc usque ludis tan- ,, tum agitata, tandem serijs tractetur: & infeliciter ,, Romanæ tyrannidi consulatur. Vale in Domino. Altera Dorotheæ. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus August.

AD GEORGIVM SPALAtinum. Eerudita epistola de dicto Iohan. 6. Omne quod dat mihi Pater ad me uenit.

De dicto Iohannis 6. OMNE Quod dat mihi Pater ad me uenit: ac modum tradit legendi Euangelij Iohannis, & cognoscendæ arcanæ Sapientiæ de diuinitate Patris & Filij, & de beneficijs, quæ Deus per filium nobis largitur.

IHESVS.

IHESVS.

143.

GRatia & pax in Christo. Mi Spalatine, in Euangelio Iohannis oportet longe alia, quam in cæteris Euangelistis intentione procedere. Nam huius Euangelij unicus est ille Scopus: hominē ex se ipso prorsus nihil posse aut habere: sed tantum ex diuina misericordia. Hanc autem misericordiam sic tractat, ut eam omnibus modis soli Patri tribuat: soliq; Patri gloriam laudem, & gratias referendas concludit: & quidem mirabilis est, in eodem simul textu sic omnia soli Patri tribuit: ut tamen filio asserat omnia communia, ut [a] qui solius est Patris. Ideo omnia Patris in filio, solius patris sunt, cuius & filius est: in quo omnia sunt, quæ patris sunt: & prorsus ineffabili magisterio describit patris & filij æqualitatē & Originem.

Scopus Euangelij Iohannis.

a quia

Hinc illa contradictio, DOCTRINA MEA NON EST MEA. Quomodo sua, non est sua? & iterum, VERBA QVAE EGO LOQVOR, NON LOQVOR A ME IPSO: Sed Pater in me manens facit opera.

Ita hic, OMNE quod mihi dat Pater, uenit ad me, id est, nullus uenit ad me, nemo cognoscit me, nemo credit in me, nisi donante Patre. Quicquid ergo uenit ad me non suo studio, sed Patre miserante uenit, ut cap: eodem.

Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Item erunt omnes docibiles Dei, id eſt, nõ humano magiſterio, ſed Dei ſpiritu docebũtur. Sic Eſa. 54. unde hoc uerbum ſumpſit Chriſtus, dicit: dabo filios tuos uniuerſos doctos à Domino, quod Apoſtolus 1. Corinth. 3. egregie tractans exponit: neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid: ſed, qui incrementum dat Deus, quaſi dicat: omnes docemus uerbo externo, ſed niſi interne à ſolo Deo doceantur, non ueniunt ad Chriſtum.

Quare hoc uerbo ſuperbos & de ſe ipſis præſumentes deijcit Chriſtus: ut ſalubriter de ſeipſis deſperantes intelligant, unde petendum ſit, ut ad Chriſtum ueniamus: ac ſic Deus ſolus glorificetur de miſericordia indignis præſtita. Ideo omne quod Pater mihi dat, hoc ſolum & nullum aliud uenit ad me. Ideo fruſtranea eſt uniuerſa præſumptio (textus) noſtræ uirtutis (Et eum qui uenit ad me non eijciam foras. Quia deſcendi de cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me Patris) hoc eſt, non ſolum hoc totum Patri tribuendum eſt, quod ad me ipſo donante uenitur: ſed etiam id ipſum, quod a me recipitur, et non eijcitur, qui uenerit. Non enim noſtris uiribus uenimus, ita multo minus noſtris uiribus ſeruamur ſeu perſeueramus.

Quod autem hoc Patri tribuendum ſit, oſtendit: quia non mea ſed Patris uoluntate recipio uenientem. Ac ſic dulciſſime nobis commendat Patrem miſericordiarum: & in omnibus, quæ in Chriſto agi uidemus, nos ducit ad amandum, honorandum, glorificandum Patrem: ut ne ſcilicet pedem figamus in humanitate Chriſti: per quam nobis miſericordia exhibetur, ſed per eam in inuiſibilem Patrem rapiamur, admirantes eum, quem audimus tanta nobiſcum facientem per humanitatem hanc Chriſti.

Et is est unicus & solus modus cognoscendi Dei, à quo longe recesserunt Doctores sententiarum: qui in absolutas diuinitatis speculationes irrepserunt, omissa Christi humanitate: & ideo â magnitudine potentiæ, maiestatis, sapientiæ eius non potest subsistere misericordia: in quo studio ego miserrime & periculosissime sum uersatus, & multi alij.

Ideo repeto iterumq; monebo: quicunq; uelit salubriter de Deo cogitare aut speculari: prorsus omnia postponat præter humanitatem Christi. Hanc autem uel [a] sugentem uel patientem sibi præfigat, donec dulcescat eius benignitas. Tunc ibi non sistet: sed penetret ac cogitet: ecce non sua, sed Dei Patris uoluntate hæc & hæc facit. Ibi incipiet placere suauissima uoluntas patris: quam in humanitate Christi ostendit (& idipsum iam est trahere & dare Patris) Hac uoluntate Deus Pater secure potest apprehendi & cum fiducia.

[a] agentem.

Ista uia neglecta non restat aliud nisi præcipitium in æternum Barathrum. Nam alia uia non uult adiri, cognosci, amari, sicut dicit: ego sum uia, ueritas & uita: nemo uenit ad Patrem, nisi per me.

Audis absolutam sententiam: neminem nisi per Christum, ad Patrem uenire. In hac uia exercere: & eris breui profundior theologus omnibus Scholasticis: qui hoc ostium & hanc uiam non solum ignorant: sed suis infelicibus præsumptionibus, uelut machinis speculationum, sibi præcludunt.

Illud uero, NON EIICIAM FORAS, iuxta tropum scripturæ, quæ per negatiuas uehementissime affirmat, intelligendum est ita: non eijciam, sed libentissime amplectar: ut sit expressio iucundę & promptę obedientię Christi ad Patrem: simul & commendatio suæ dulcissimę

charitatis,

charitatis, qua nos donatos a Patre charissime amplectatur. Modo totum id non suæ charitati aut uoluntati, sed paternæ uoluntati tribuatur, quem uult per se & in se glorificari & agnosci, ac si diceret: etsi ego uos ardentissime cupio & amplector: nolo tamen in hoc uos gloriari aut sistere: sed ut eum agnoscatis & ametis, cuius optima uoluntate iussus ego uos ita amplector.

Sic enim diligit non se, nec suam gloriam: sed nostram quærit salutem: & in hac non nisi laudem & gloriam & amorem Patris optime nobis uolentis & consulentis. Ideo, ut hanc optimam Patris uoluntatem sibi demandatam, nobis reddat cumulatissime commendatam, exponit causam, Hæc est autem voluntas eius, qui sit me, Patris. Vt omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

Vides quare non eijciat uenientem, quia inquit ita placet Deo: ne forte mihi detur gloria & in me stetur: sed uoluntas Patris ametur: quæ uult, ut nullum eijciam uenientem ad me: imo non solum non eijciam, sed nec perdam. Videte ergo quam Pater diligat mundum: ut filio imponat omnia, quibus non eijciamur aut perdamur sed seruemur.

Quod autem addit, Sed resuscitem illud in nouissimo die: ad confutandam stultam carnis intelligentiam, dicit. Cum enim diceret, Iudæi de perditione temporalis mortis eum loqui accipiebant. Ideo dicit adeo uult Pater, ne aliquem perdam, sed omnes seruem: ut etiamsi corporaliter perditi fuerint non perdantur, sed adeo seruentur, ut in nouissimo die resuscitentur, sicut eiusdem simile dicitur, Qui credit in me non morietur: etiamsi mortuus fuerit, uiuet, Ego sum uita & resurrectio.

Quare non possunt perdi, qui ad Christum ueniunt: imo eodē textu manifeste ostendit, quid uelit intelligi per perditum: quia promittit se suscitaturū a morte eos: ergo morituros prędicit, et tamen non perituros. Nō enim suscitatur a morte nisi mortuus, Quare mortui non pereunt illi, sed uiuunt ei omnia.

Si nunc queras: quę est ista uoluntas Patris? quid pręscribit, quo facto ad te uenire & tibi dari, nō eijci, nō perdi, sed seruari et resuscitari mereamur? Hoc iam ponit: Hęc est autem uoluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Habes nunc quid sit uenire ad Christum. Exposuit uoluntatem Patris, quid uelit, nempe uenire ad Christum, est uidere eum & credere in eum: & non eijci, non perdi uoluntate Patris: hoc est, æternam uitam habere. Voluntas ergo Patris est, ut omnes, donati Christo, salui fiant per Christum in æternum. *Venire ad Christum* *Voluntas Patris.*

Magna uerba & alio tempore satis tractata: quia fides Christi satis est ad æternā salutem. Non dicit, sic ieiunabis, sic orabis, hæc & hæc facies: sed crede in filium & saluus eris: sic uult Pater. Verum ne iterum carnalis sensus uitā existimet dari æternam sine morte corporali: prædicit morituros quidem: sed tamen mortem æternam amissuros, quia resuscitandi sunt in nouissimo die. Vides quā Euangelij uerba seipsa exponant: suasque glosas secum habeant: ut nihil necesse sit aliena & humana misceri.

Huc usque docuit hominem spiritualiter sapere de uita & morte, & omnia accepta Patri referri, nosque nihil ex nobis habere: sed nunc uide & intende animū, quā asserat communem sibi cum Patre diuinitatem & omnia. Omnia dixit, uolente Patre, se facere: ideo non dubium, quin Pa-

tris opera sint, quæ Christus fecit: sed & ipse eadem opera sese facere protestatus, dicit: et ego resuscitabo eum a mortuis. Certe uitam dare et resuscitare solius Dei est: cum autem unum & idem opus sit: manifeste patet, quod Christus uerus Deus & unus cum Patre sit: cum nõ sint duo dij: et tamen, cum sese discernit a Patre tanquam de alio loquens, & filium se nominans, pulchre cõcludit se a Patre uero Deo, uerum Deum esse: & utrunque non duos, sed unum Deum, æqualis uirtutis eadem omnia potentem, facientẽ, uolentẽ.

Idem argumentum, quod non eiecturum se dicit, non perditurum. Nam seruare uitam eiusdem est uirtutis: cuius est dare. Pater dat: & filius non perdit, sed seruat: ergo alius quidem est, sed non diuersus Deus, eadem cum Patre habens ac potens. Porro maxime omnium probat, quod dicit: qui credit in filium &c. Impietas est credere nisi in unum uerum Deum: et Pater uerus Deus uult credi in filium: quid uult nisi in uerum Deum credi? Non enim gloriam suam dabit alteri: at gloria est, ut credatur in eum. Nulla enim creatura sufficit, ut possit in se credentem sustentare, aut ei prodesse. Soli Deo enim debetur fides, spes, charitas: unde & theologicæ uirtutes appellantur: sed addit, qui credit in filium, habeat uitam æternam. Prorsus fides filij non posset uitam æternam præstare: nisi ipsemet esset Deus æternus & uerus.

Hæc mi Spalatine ut ansam latius scrutandi tibi accipe: uideo & ego multa alia: sed non est otium, ut me totum illis dare possim: occupatissimus enim sum. Horror est autem mihi in Euangelio Iohannis per otium uersari, tantum est ibi inestimabilis Theologię: sum hoc sępius expertus. Interim hæc breuiter degustata accipe: & me illustrissimo Principi commenda. Vale. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus D.

SVO CHARISSIMO GEOR-
gio Spalatino, Christi seruo, Aldenburgen-
si Canonico.

Mittit tractatum in Iohanoem, qui superiori epistola continetur: ac queritur de Orthodoxorum in hoc loco tractando, uel obscuritate uel tenuitate: ac monet de tempore disputationis Lipsicæ: dolet etiam Tetzelij casum & confusionem: demiq; quædam de expostulatione Episcopi Brandenburgensis subnectit.

IHESVS.

92.

SAlutem. Gratias ago, mi Spalatine, pro officio & sedulitate tua. Mitto, quod postulasti, illustrissimi Principis nomine, super Euangelio Iohannis, sed ex tempore. Vidi Chrysostomum quidem, sed frigidius hunc locum tractat quam uellem: Augustinus propius quidem, sed obscurius, imo aliis verbis: eius sententiam sum secutus: si quid defecerim ne mireris, tum quod homo sum, & illud non Matthæi, sed Iohannis Euangelium est: in quo paucos laborasse inuenimus. Esset quidem studium pro meo stomacho in illo uersari si liceret.

Eccius & ego congrediemur Lipsiæ post Paschalia, ut hic uides. Habeo in manibus Dominicam orationem vernaculam denuo edendam: scribam Do- *Oratio Dominica uernacula.*

mino Iohanni Vuacker breui. Doleo Tetzelium & salutem suam in eam necessitatem uenisse, & sua reuelari: multo mallem, si posset, seruari cum honore, præstita emendatione quapiam: sua ignominia nihil mihi accrescit: sicut nihil decreuit mihi sua gloria. Non satis possum mirari, tantum lucri ex pauperculis hominibus eum ausum fuisse captare: quo uel episcopus uiueret, imo Apostolus. Vale & ora pro me. 12. Februarij. Anno M.D. XIX.

F. Martinus Lutherus August:

Fui cum Reuerendo Domino Episcopo Brandenburgensi Vuittembergæ: & multis mecum, familiariter tamen, expostulauit, quod tanta auderem. Intelligo Episcopos nunc tandem sapere, sui fuisse scilicet officij, quod in me uident præsertim, ideoq; non nihil pudere. Superbum me vocant, & audacem, quorum autem neutrum negaui: sed non sunt eiusmodi homines, qui sciant, quid vel Deus vel ipsi simus.

EGRE-

EGREGIO ET OPTIMO VIro D. Hieronymo Düngersheim, de Ochsenfart, sacre Theologiæ Doctori, eruditiss. Lipsen: Studij, suo in Christo suspiciendo, Martinus Lutherus.

Ne moleste ferat, se non respondere ad diuersas ueterum sententias ab ipso congestas ad probandum primatum pontificis: quæcunq; Eccio de eadem quæstione responderit, eadem & Ochsenfartio responsa putare uelit. Iuris autem diuini esse eum damnatum, probari non posse.

93.

SAlutem in Domino. Vehementer placuit mihi tua diligentia, uir optime, qua tot excussisti libros: & ea, quæ proposuisti mihi, corradere uoluisti. Sane & ego omnia legeram in ecclesiastica & tripartita historia: deinde in Canonibus, quæ de Iulio & alijs Roma. pontificibus scribuntur, præter id unum, quod de Niceni concilij statutis omissa scribis: & unum illud, quod allegas, fortissimum scilicet, in quo totius epistolæ huius tuæ nititur fortitudo. Verum mi uir, in Domino uenerabilis, crede & me nosse ubi ista legeris, & ubi scribantur: & non erit tibi necessaria mea responsio. Scio in Decretis Rom. tantum XX. eiusdem Concilij statuta censeri,

 cum

cum Ruffinus pauciora censeat. Denicꝫ habemus nos totius concilij statuta græce scripta. Spero autem D. Iohannem Eccium uel eadem producturum uel maiora. Ideo quæso ne graueris differri responsionem meam. Quod illi respondero, tibi quocꝫ responsum erit.

Interim hoc tibi (rogo) uersari sinas in iudicio tuo: quod non liceat id, quod iuris diuini est, ulla mora, ullo sæculo, ullo casu uel mutari uel interrumpi. Cum autem Eccius præsumpserit aduersum me probare Vniuersalem, scilicet semper fuisse iuris diuini: uides tu ipse, disputationis nostræ hanc esse conditionem, quod mihi liceat ex particulari arguere, illi non nisi ex Vniuersali. Ideocꝫ si uos aliquorum testimonio probetis Primatum: & ego una singulari contra pugnem: consequentia sequetur infirmiorem partem: & una singulari totam uestram uniuersalem annihilabo. Quia ius diuinum debet rotunde obseruari.

Quare si permiserunt Rom: Pontifi: in Niceno concilio, statim ea, quæ dixi ex Ruffino: quę uos quoque non reijcitis: facile probabo, ne sit iuris diuini: aut tam Rom: pontif: quam Patres Concilij hæreticos. Nec enim contraria statuisse possunt. Non quod totis uiribus à Niceno pendeam Concilio: sed quod hoc

hoc uno omnia Argumenta contraria soluo. Ego autem nitor uerbis Euangelij, quod omnes Apostoli fuerunt æquales, & illo Matthæi 18. quodcunque solueritis &c. Doleo tamen ego fieri ex ista re tantum quæstionis: cum ego Romano pontifici non negem Primatum: & omnia, quæ uolunt, concedo: nisi quod antiquos sanctos & Apostolos nolim hæreticos fieri, ob nouum hunc fidei articulum, quem ipsi non tenuerunt. Vale mi Domine in Christo feliciter: & mea hæc boni consule. Vuittembergæ &c.

Anno M. D. XIX.

Martinus Lutherus August:

FRATER MARTINVS LVtherus: D. Hiero: Dungersheim &c.

Rursus primatum Pontificis, non posse iure diuino probari: & de loco Pauli Philip: 2. iniuste se ab eo reprehensum.

94.

SAlutem. Accepi en alteras tuas literas, uir optime: ubi iterum de Papatu scribis: & inter multa, iterum Athanasium denuo recenses & statuta Niceni concilij. Audi quæso me breuiter. Nam Eccius mihi adhuc expectatur: qui iterum effudit nouas insanias, magno promissor hiatu. Obsecro quid est,

est, quod amplius debeo confiteri? Fateor summum pontificem Rom. omnibus dignitate præire, & uenerandum: ad quod sequitur, ut consulatur in arduis, &, surgentibus necessitatibus maioribus, requiratur: quanquam hoc ipsum aduersus Græcos quomodo ualeam tueri ignoro. Nec tu enim huic rei satisfacis. Non sequitur: ipse consulendus est: ideo citra ipsius potestatem non licet Episcopum esse in vlla parte: nec quicquam agi in Ecclesia, nisi ipsius mandato.

Hanc inquam potestatem, omnes constituendi, et omnia faciendi, si tribuo pontifici iure diuino: Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, Athanasium, Gregorium, & omnes orientis Episcopos hæreticos fecero: qui nunquam sub eo fuerunt, nec Episcopi sub eo constituti. Nec enim concilium Nicenum eius autoritate celebratum est: nec in eo ipse fuit: nec uicarius eius, nec primum locum habuit: nisi concilium Nicenum neges esse vniuersale. Iam de statutis concilij Niceni quid dicam: quę nec contra me stant: deinde incerta ubique habentur: ut ad huc ignotum sit, quæ & quanta sint, & cui fides adhibenda. Denique Athanasij opera, quibus tu uteris, dubitantur esse Athanasij, ac potius Vulgarij, Theophilacti putantur esse.

Iam quæ Iulius primus egit, & alij Rom: Pontifices, scis quam nihil concludant. Petatur ergo in maioribus causis Rom: Pontifex ab ijs, qui uolent. Cur ipse potestatiue se intromittit, nec requisitus, omnia aduocans sibi, omnia mandans, omnia prohibens: hæc potestas ostende ubi legatur in antiquis? Legisti in Decreto Gregorium magnũ fateri, culpa exigente esse superiorem Rom: Pontificem, cæterum sine culpa æquales omnes. Ita coli uolo superioritatem Romanæ sedis, si necesse sit & requiratur: quanquam & ut dixi, hæc nec Lipsiæ nec hodie possim demonstrare: nec occurrere textum Scripturæ opponentibus. Ego enim in hac re nihil ita metuo, ne si cum hæreticis bellum oriatur, irrisioni exponamur nostris glossis nixi, citra autoritatem Scripturæ loquentes. Non enim diabolus arundinem Aegypti, sed gladiũ Spiritus formidat. Et in hac re mihi faceres rem omnium gratissimam & omnes alij tecum, si Patrum dicta ad uerba Scripturæ examinaremus: sicut in Actibus legimus, etiam uerba Pauli fuisse accepta, ut legentes scripturas die ac nocte uiderent, an ita se haberent. Tibi & Eccio mos est omnium dicta acceptare, & uerba scripturæ attemperare uerbis Patrum: quasi illi non ad scripturam magis quam ad se uoluerint nos trahere. Mihi contra mos est exemplo Au-

guſtini, ſalua omnium reuerentia, riuulos ad fontem uſque ſequi, quod & Bernhardus ſe facere gloriatur.

De ſecundo loco Philip. 2. quem putas a me Eraſmum ſecuto male tractatum, verum etiam tu hic non textum ſed Patrum ſententias refers. Primum mi uir egregie, credo te noſſe hunc uerſum Pſal. 110. Tecum principium in die uirtutis tuę, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero, ante Luciferum genui te, eſſe de Diuinitate Chriſti, aduerſus Arrium uelut ſummum, ac inter prima, argumentum agitatum: vt legis in Tripart. & in Auguſtino, ita ut Græca & latina Eccleſia hoc ſenſu eum Pſalmum teneat etiam cantu celebratum in officio diuino: non tamen ob hoc Lyram, Burgen. imo hebræam linguam hæreticabis: vbi legitur hunc uerſum non poſſe quidem de diuinitate intelligi. Quare non ſemper claris & apertis autoritatibus contra hæreticos pugnant ſancti Patres. Quot autoritatibus abutitur Hieronymus contra Iouinianum? Auguſtinus contra Pelagianum? & alij contra alios?

Item illud Geneſis, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, quanta fiducia Auguſt: pro Trinitatis aſſertione, & pro imagine, quæ eſt in homine, tractat: cum neutrum ex eo poſſit probari, quod in

hebræo

hebræo faciam dicitur, non faciamus. Item illud Exo. 3. Ego sum, qui sum, omnes ad substantiam Dei referunt: cum Burgensis & hebræi ad effectum auxilij aptari conuincant. Quia dicit, Ero qui ero, in futuro: & infinita his similia.

Quid ergo mirum, si & locum Phillip. 2. ad Diuinitatem torserint, qui aptius de humanitate sonat, si uerba consideres? Non ergo credo me peccare, si patribus dissentio in aliquo textu obscuriore. Quid uero uos facitis, omisso textu, tantum in dictis Patrum uersantes, nisi quod dubia & incerta relinquitis? In qua re Magister sententiarum pessimum exemplum reliquit, omnia omnium dicta concordare nitens. Ex quibus fit, ut contra hæreticos dubijs obscurisque sententijs armati, ludibrium fiamus.

Nec ego improbo hanc sententiam Pauli ad Philip. posse trahi, sicut Petrus ad Petram a multis ducitur, Matthæi 16. sed necesse est uno simplici solido sensu Theologos muniri contra Satanam. Hoc enim studium mihi est: in hoc & tota contentio contra Eccium, qui multiplicitatem tuetur: quod mihi non placet. In fine placet mihi, quod ex disputatione natum est studium inquirendi: nisi quod doleo hoc fieri, cæteris necessarijs posthabitis, in hac vna re non necessaria, & in qua satis tribuo, & plus

quam ipse queam tueri. Sed uideo satis quid quæratur, per has a multis. Deus autem uiuit, In quo bene uale uir optime. Anno M. D. XIX.

AD EVNDEM.

Literas eius sibi redditas: & respondere uelle.

95.

SAlutem longior est epistola tua, uir egregie, quam ut eam uno die perlegam, & respondeam. Has autem ad te dedi, ut tabellarij tui testarer fidem, quod tuas mihi præsentasset literas, imo uolumen: ad easdem tamen respondebo alia die. Vale.

Martinus Lutherus

August:

EGREGIO VIRO DOMINO Hieronymo Düngersheim, Ochsenfordano, S. T. Doctori Lipsensi, suo in Domino maiori.

Neq; se posse, neq; necessarium esse ad tam longas literas respondere, quod patrum duntaxat authoritate, neglecta Scriptura, nitatur.

96.

SAlutem. Ipse potes facile existimare, uir optime, quam longe sim pluribus occupatus quam tu, ut tam prolixis literis tuis sit impossibile respondere:

ſed nec neceſſarium. Video enim te niti Patrum duntaxat authoritatibus: cum noris nos non recipere ullos niſi iudice Scriptura. Vnde quæſo poſſit ullus noſtrum ſcire, quis patrum recte dixerit, ſi ſcriptura per ipſos duntaxat eſt intelligenda, ac non potius ipſi per Scripturam iudicandi? Si hos oportet audiri citra Scripturæ cenſuram, cur non omnes in unum audiamus? Itaq; ad omnium patrum dicta hanc tibi habeto breuem reſponſionem ex Auguſtino, imo ex Paulo ſumptam: Cæteras ita lego, ut quantalibet doctrina præpolleant, non ideo uerum exiſtimem, quia illi ſic ſenſerunt. Nolo mihi libertatem meam captiuari, quam Paulus dedit dicens, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Satis eſt ſanctos Patres defendiſſe ab hæreſi, ab errore, & uiolenta ſcripturę torſione defendi nec poſſunt, nec debent. His uale in Domino.

REVERENDO ET OPTIMO Patri, Iohanni Staupitio, Eremitarum, S. Auguſtini Vicario, ſuo in Chriſto colendo patrono ac maiori.

Quid Carolus Milticius, cum Luthero Aldenburgi egerit: quæ etiam ſint doctorum de aduerſarijs Lutheri iudicia: denique de recuſata diſputatione Lipſica.

IHESVS.

IHESVS.

97.

SAlutem. Etſi tu multum nobis & diſtas & taces Reuerende Pater: nec expectantibus expectatiſſimas literas ſcribis: nos tamen rumpemus ſilentium. Optamus nos, optant omnes te in hac plaga cœli aliquando uideri. Credo ad te perueniſſe Acta mea, id eſt, iram & indignationem Romanam: Deus rapit, pellit, nedum ducit me: non ſum compos mei: volo eſſe quietus: & rapior in medios tumultus.

Carolus Milticius me uidit Aldenburgi, conqueſtus quod orbem totum mihi coniunxerim, & Papæ abſtraxerim: exploratum ſe habere per hoſpitia cuncta, quod inter quinq; homines, tres aut duo uix Romanæ parti fauerent: fuit armatus 70. Breuibus Apoſtolicis, in hoc negotium, ut me captum perduceret in homicidam Ieruſalem, purpuratam illam Babylonem, vt poſtea ex aula principis accepi. Quod ſtudium cum deſperatum eſſet, cœpit agere, ut Romanæ Eccleſiæ reſtituerem quod abſtuliſſem, & reuocarem.

Cum autem peterem, ut doceret reuocanda, tandem conuenimus, ut epiſcopis aliquot cauſa cõmitteretur: ego nominaui Archiepiſcopũ Salztburgẽſem, Treuerenſem, & Freiſingẽſem: atq; ueſperi, me acce-

pto,

pto, cõuiuio, lętati sumus: & osculo mihi dato discessimus: ego sic me gessi, quasi has Italitates & simulationes non intelligerem. Tetzlium quoq; uocauit & increpauit, tandem Lipsiæ eum conuicit, quod 90. florenos pro suo stipẽdio menstruo una cum tribus equitibus & curru, liberis & gratuitis expensis habuerit, Iamq; disparuit idem Tetzelius, nemine conscio, quo peruenerit, nisi patribus suis forte.

Eccius meus homo subdolus me denuo in nouas res trahit, ut hic uides. Adeo curat Dominus ne sim otiosus: sed male cædet hæc disputatio, Christo uolente, Iuribus & Vsibus Romanis, in quos baculos nititur Eccius. Vellem uideres opuscula mea Basileæ excusa: ut uideres, quid eruditi homines de me, Eccio, Siluestro, Scholasticisq; Theologis sentiunt. Salsissimi enim Siluestrum appellant magirum pallatij pro Magistrum pallatij (Est autem magirus græce, coquus latine) studioso errore errantes: & alijs annotationibus satis acutis eum taxant. Quæ res Romanis proceribus male dolebit. Tu quæso pro me ora. Nam fortiter confido quod Dominus cor tuum cogat pro me solicitari. Homo sum expositus & inuolutus societati, crapulæ, titillationi, negligentiæ, alijsque molestijs, præterea quæ ex officio me premunt.

Lipsenses

Lipſenſes tandem conſenſerunt diſputationi Ec=cianæ, & me accuſant temeritatis, quod ſcripſerim eos recuſaſſe, & literis ad me datis Palinodiam expo=ſtulant; ſed ego ex duce Georgio certus, quod ante recuſarunt, reſpondi bis, quod eorum decanus mihi petenti id ante recuſarit: quod & fecit. Adeo miſere quærunt homines, ſi impedire poſſint diſputationem huiuſmodi: ſed dux Georgius perurget. Vale, pater ſuauiſſime. 20. Februarij. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

BEATISSIMO PATRI Leoni X. Pontifici maximo.

Fit ſuplex Papæ, & recuſat quidem reuocationem, promittit tamen ſilentium, modo aduerſarij etiam taceant.

IHESVS.

SAlutem æternam. Beatiſſime Pater, cogit iterum 98.
neceſſitas, ut ego fex hominum & puluis terræ, ad beatitudinem tuam, tantamq; maieſtatem loquar. Quare paternas ac uere Chriſti uicarias aures huic ouiculæ tuæ interim clementiſſime accommodare

dignetur

dignetur Beatitudo tua, & balatum meum hunc officiose intelligere.

Fuit apud nos honestus hic uir Carolus Miltitius, Beatitudinis tuæ Secretarius Cubicularius, grauissime causatus nomine Beatitudinis tuæ apud illustrissimum Principem Fridericum, de mea in Romanam Ecclesiã & Beatitudinem tuam, & irreuerentia & temeritate, expostulans satisfactionem. Ego ista audiens, plurimum dolui, officiosissimũ officium meum tam infelix esse: ut, quod pro tuendo honore Ecclesiæ Romanæ susceperam, in irreuerentiam etiam apud ipsum uerticem eiusdem Ecclesiæ ac plenam omnis mali suspicionem uenerit.

Sed quid agam Beatiss. Pater? Desunt mihi consilia prorsus: potestatem iræ tuæ ferre non possum: & quo modo eripiar, ignoro. Reuocationem expostulor Disputationis: quæ si id posset præstare, quod per eam quæritur, sine mora ego præstarem eam. Nunc autem cum resistentibus & prementibus aduersarijs, scripta mea latius uagentur, quam unquam speraueram: simul profundius hæserint plurimorum animis, quam ut reuocari possint: quin cum Germania nostra hodie mire floreat ingenijs, eruditione, iudicio: si Romanam Ecclesiam uolo honorare: id mihi quam maxime curandum uideo, ne quid ullo modo

reuocem. Nam istud reuocare nihil fieret, nisi Ecclesiam Romanam magis ac magis fœdare: & in ora omnium hominum accusandam tradere.

Illi illi, heu Beatiss. Pater, hanc Ecclesiæ Romanæ intulerunt iniuriam & pene infamiam apud nos in Germania: quibus ego restiti, id est, qui insulsimis suis Sermonibus, sub nomine Beatitudi: tuæ non nisi deterrimam auariciam coluerunt: & opprobrio Aegypti contaminatam & abominandam reddiderunt sanctificationem: & quasi id non satisfuerit malorum, me, qui tantis eorum monstris occurri, autorem suæ temeritatis apud Beat. tuam inculpant.

Nunc Beatiss: Pater coram Deo & tota creatura sua testor, me neq; uoluisse, neq; hodie uelle, Ecclesiæ Romanę ac Beat. tuæ potestatem ullo modo tangere aut quacunq; uersutia demoliri: quin plenissime confiteor huius Ecclesię potestatem esse super omnia: nec ei præferendũ quidquam siue in cœlo siue in terra, præter unum Ihesum Christum Dominum omnium: nec Beat. tua ullis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur.

Et quod unum in ista causa facere possum, promittam libentissime Beat. tuæ, istam de Indulgentijs materiam, me deinceps relicturum, penitusq; taciturum (modo & aduersarij mei suas uanas ampullas conti-

continineant) editurũ deniq; in uulgus, quo intelligant & moueantur, ut Romanam Ecclesiam pure colant, et non illorũ temeritatem huic imputent: neq; meam asperitatem imitentur aduersus Romanam Ecclesiã, qua ego usus sum, imo abusus & excessi aduersus Balatrones istos: si qua tandem gratia Dei, uel eo studio rursum sopiri queat excitata discordia. Nam id unicum a me quæsitum est, ne auariciæ alienæ fœditate pollueretur Ecclesia Romana mater nostra: neue populi seducerentur in errorem: & charitatem discerent posthabere Indulgentijs. Cætera omnia ut sunt neutralia, a me uilius estimantur. Si autem & plura facere potero aut cognouero: sine dubio paratissimus ero. Christus seruet Beatitudinem tuam in æternum. Ex Aldenburgo III. Martij. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
Doctor.

OPTIMO ET ERVDITISsimo viro, Domino Georgio Spalatino, a sacris illustriss: Principis Electoris Saxoniæ &c.

Admonitus ut sedi Romanæ parcat, respondet omnia se toleraturum, modo illi Euangelium syncerum relinquatur. In fine addit quædam de lectionibus Academiæ mutandis.

IHESVS.

99.

SAlutem. Bis monuisti, mi Spalatine, ut de fide & operibus, tum de obedientia Ecclesiæ Romanæ in apologia mea uernacula mentionem facerem. Credo me id fecisse: etsi edita est antequam moneres. Nunquam fuit in animo, ut ab Apostolica sede Romana uoluerim desciscere: deniq; sum contentus, vt omnium uocetur aut etiam sit Dominus: quid hoc ad me? qui sciam etiam Turcam honorandum & ferendum potestatis gratia. Quia certus sum non nisi uolente Deo (ut Petrus ait) ullam potestatem consistere: sed hoc ago pro fide mea in Christum, ut uerbum eius non pro libito trahant atq; contaminent.

Dimittant mihi decreta Rom: Euangelium syncerum, & omnia alia rapiant: prorsus pilum non mouebo: quid possum amplius aut facere aut debere? Proinde libentissime stabo pacto: & nihil nouabo. Quia disputatio ipsa spero disputatio sit, & doctis tantummodo spectanda: uulgo suus sermo habetur. Vale.

Intercessores cupis scire, de lectionibus ab illustrissimo principe mutandis? Dominus Rector, Carlstadius, ego & Amsdorffius. Multis autem non placet, satis tamen iniqua ratione: ut qui non id spectent, quid

quid adoleſcentibus proſit: ſed quo Magiſtri alantur. Atque ego cum quodam nuper certans, dixi, ſi alendorum Magiſtrorum gratia ſtipendia ſunt donanda: fiet hoſpitale pauperum ex Vniuerſitate. Alia igitur uia paſcantur egentes: hic, quod ſtudio proſit, quærendum eſt. Cæci ſunt & ſine iudicio. Spero illuſtriſſimum principem his recte conſulturum. Vale, 3. Nonas Martij. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus.

OPTIMO VIRO CHRISTI ſacerdoti, D. Georgio Spalatino, ducali Saxoniæ Commentarienſi ſuo in Domino.

Petit, ut Philippo labores Scholaſtici minuantur, & Ariſtotelis lectiones explodantur è ſchola: conqueritur etiam de multitudine ſuarum occupationum: et ex lectione decretorum, Papam Antichriſtum uel eius Apoſtolum agnoſcit.

IHESVS.

100.

SAlutem. Vltra uires erit Philippi noſtri, mi Spalatine, in tot lectiones diſtendi, qui iam plus nimio grauatur. Etſi enim interpolatis diebus tu putas legendum: nihilo tamen minus, animum neceſſe eſt

occupari tot curis. Deinde quod Physica Aristotelis, sit prorsus inutilis materia, omni penitus ætati: contentio quædam est totus liber super re nihili, & uelut assumpto argumento.

Rhetorica exercitatio nullius usus, nisi uelis exemplum Rhetoricæ declamationis cernere: ut si de stercore uel alia re nihili ingenium & artem quis exerceat. Ira Dei uoluit tot secula his nugis & eisdem nihil intellectis humanũ genus occupari. Calleo ego librũ intus & foris, ut qui seiectis glossis iam bis fratribus meis priuatim eum dederim expositum: denique ideo tantum legi a nobis censetur, ut aliquando (& id cito) desinat legi: quando utilior eo longe esset, uel Beroaldi aliqua declamatio: nihil prorsus in eo est scientiæ rerum naturalium.

Eiusdem farinæ & Metaphysica & de anima sunt. Indignum est itaque id ingenij in eo nugarum cœno uersari: melius legitur non intellectus (pro dispensatione) quam intellectus. Mitto literas Eccij iactabundi, ac iam triumphabundi olympionici. Misit ad nos Iohannes Frobenius opuscula mea, apud se excusa cum literis: quæ si uidere uoles, mittam.

Oratio Dominica in latinam linguam uertenda.

Orationem Dominicam non possum latinam facere, tot occupatus operibus: singulis diebus uesperi pronuncio pueris & rudibus præcepta, & orationem

nem Dominicam, tum prædico: iam & Paulum ad Galatas parturio: præter orationes ceremoniales & lectiones, prorsus non est tempus mihi satis, nedum superfluum. Habeo sermonem in mente de meditatione passionis Christi: sed nescio an tantum superfuturum sit ocij, vt in literas referam: dabo tamen operam.

Decem præcepta.

Sermo de meditatione paßionis Christi.

Verso & decreta Pontificum, pro mea disputatione, Et (in aurem tibi loquor) nescio an Papa sit Antichristus ipse uel Apostolus eius. Adeo misere corrumpitur & crucifigitur Christus (id est veritas) ab eo in decretis. Discrutior mirum in modum, sic illudi populum Christi, specie legum & Christiani nominis. Aliquando tibi copiam faciam annotationum mearum in decreta: vt & tu uideas, quid sit leges condere, postposita scriptura, ex affectu ambitæ tyrannidis, ut taceam, quæ alia Romana curia Antichristi opera similima exundat: nascitur mihi indies magis ac magis subsidium & præsidium pro sacris literis.

Papa Antichristus.

Erasmus noster edidit rationem & methodon quandam ad studium sacrarum literarum: eam Frobenius nobis misit. Remitte literas Frobenij, Eccij, & aliorum. Dominus Rector quoqꝫ optat a Lectura sua absolui, ut rem suam domesticam (quæ absente eo periclita-

periclitatur) & pastoris officium curare possit. Christophorus Bressen reddituarius noster nondum se ostendit nec facto, nec uerbo. Vale in Domino, Vuittembergæ, Dominica Inuocauit. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus August:

D. ERASMO ROTERODAMO.

Cupit esse commendatus Erasmo.

IHESVS.

101.

SAlutem. Toties ego tecum fabulor, & tu mecum, Erasme Decus nostrũ & spes nostra, nec dum mutuo nos cognoscimus: nonne monstri hoc simillimum? imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim est, cuius penetralia non penitus occupet Erasmus? quem non doceat Erasmus? in quo non regnet Erasmus? De ijs loquor, qui literas recte amant. Nam satis gaudeo, quod inter cætera dona Christi, etiam hoc numeratur, quod multis displices: quo ego argumento soleo discernere dona clementis Dei, a donis irati. Itaq; tibi gratulor, quod dum summe omni-

me omnibus bonis places, non minus displices ijs, qui soli omnium summi esse & summe placere uolunt.

Sed ego stultus, qui te talem uirum, sic illotis manibus absq; reuerentiæ & honoris præfatione, ueluti familiarissimũ aggredior, ignotũ ignotus: verum dabis hoc, pro tua humanitate meæ uel charitati, uel imperitiæ: quandoquidem ego, inter sophistas consumpta ætate, nec tantum didici, ut eruditum uirum possim per literas salutare, alioquin, quantis iam dudum literis te fatigassem: nec passus fuissem, ut perpetuo tu mihi solus loquereris in cubiculo meo.

Nunc quando ex optimo Fabritio Capitone intellexi, per nugas illas indulgentiarum nomen meum tibi cognitum, tum ex præfatione Enchiridij tua recentissima, non modo tibi uisa esse, sed et accepta mea fabulamenta; cogor agnoscere uel barbarissimis literis egregium tuum spiritũ, mei & omnium locupletatorem: quanquam scio, te prorsus pro re minima habiturum, quod literis amantem & gratum me exhibeo: qui abunde contentus es, quod occulta & apud Deum gratitudine & charitate animus in te feruet: sicut & nos sat habemus, quod ignorantis, tuum animũ & officia in literis habemus sine literis & corporis tui conuersatione: non tamen patitur, & pudor & conscientia non gratificari & uerbis, præsertim post-

quam cœpit & nomen meum non latere: ne malignum cuiquam uideri possit, & pessimæ speciei silentium.

Ita mi Erasme uir amabilis, si ita tibi uisum fuerit, agnosce & hunc fraterculum in Christo, tui certe & studiosissimum & amantissimum, cæterum pro inscitia sua nihil meritum, quam vt in angulo sepultus, communi etiam cœlo & soli ignotus esset: quod & non segni affectu, semper optaui, ut qui essem mihi belle conscius meæ suppellectilis: sed nescio quo fato, longe in contrarium res abijt, ut cogar, multo pudore pati meas ignominias & infelicem inscitiam, etiam coram doctis uersari & iactari.

Philippus Melanthon prospere agit, nisi quod uix tantum efficere possumus omnes, ne literarum nimia insania, ualetudinis acceleret iacturam: ardet pro ętatis calore, omnia omnibus simul fieri et facere. Tu officium feceris, si per literas hominem monueris, ut se nobis & bonis literis seruet. Nam hoc capite saluo, nescio quid maius spe nobis pollicemur.

Salutat te Andreas Carolostadius, totus Christum in te ueneratus. Ipse Dominus Ihesus seruet te in æternum, optime Erasme, Amen. Verbosus fui, sed cogitabis non semper eruditas oportere legi Epi-

stolas,

stolas: aliquando cum infirmis infirmandum tibi est. Vuittembergæ. 5. Calend: Aprilis. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus.

ERVDITISSIMO VIRO ET præstantissimo D. Andreæ Bodenstein Carlstadio, synceriores Theologiæ assertori facile primario, Archidiacono Vuittembergensi, Preceptori ac maiori suo in Christo.

Eccij uanitatem, inconstantiam, arrogantiam, gloriæ cupiditatem & calumniandi studium taxat: monet etiam hominem, à se uersutias eius intelligi: prouocat tandem sic fortem ad disputandum, ut deinceps omnium uictor, pancratista, deniq; semper Augustus salutetur. Postremo hortatur Carlstadium, ut una secum à duce Georgio & Senatu Lipsensi uel priuatũ locum petat, ubi expectata disputatio præsentibus Notarij instituatur, & absoluta Pontifici Romano cognoscenda exhibeatur.

IHESVS.

102.

SAlutem. Edidit Eccius noster, inclyte uir, schedulam, in qua magnificis ampullis verborum crepat (id autem homini moris est) sese aduersus te disputaturum Lipsiæ: & ego id nomine tuo, cum ipso tractaram Augustæ: si qua ratione, contentio uestra,

coram & amica familiaricꝫ congressione componeretur, quod nec tu, pro tua dignitate detrectasti: sed ecce homo pulchre memor, & sibi constans, postquam te fœde infamarat, tandem promittit in te: sed uertit in me impetum, ranarum ne an muscarum suarum, nescio.

Speraueram ego tractatum futurum, de honestissimis serijs tuis, & de gratia Dei, humana miseria, * omninocꝫ de ea re, quæ inter uos uertitur: at meus Eccius in meas interim nugas debacchatur, aut pro more istorum dierum laruis iocatur potius, stultas quæstiones de Indulgentijs, pene ex orco tandem reuocat, tua uelut parerga, & summo (quod aiunt) digito uix attingens: forte spiritus sanctus præuidens hoc hominis ludibrium & nugacitatem, dedit in cor egregiorum dominorum Doctorum Lipsensis studij, ut recusarent nobis hoc negocium apud se gerendum.

Sed & ego nolo te optime Andrea, in friuolam & laruatam hanc disputationem descendere: tum quod me & mea petit, lauta hæc & καλλιπάρηος καὶ λευκώλενος persona: tum quod ingenium tuum, & tua disputatio digniora sint, quã ut in has sophistæ & meas nugas (indulgentias inquam) seu rectius & vere negligentias, humilientur. Quas cum omnes doctores

etiam

etiam scholastici, infelices Eccij præceptores, fatean-
tur tandem et ipsi, primum non esse necessarias Chri-
stiano: tum si nullæ essent, melius esse, ac per hoc ad
scripturas & rem theologicam, sicut asinũ ad lyram.
Nec ego illas unquam mea disputatione dignatus fu-
issem nisi pro populo Christi phrenapatas, matæo-
logos, authades & eschrocerdes oportuisset redar-
guere: nihilominus tamen has res leuiculas & nihili,
magni isti & generosi Theologi, adeo curant misere,
adeo pompis uel anxijs inflare conantur: ut in ijs sum
mum & nomine & officij sui decus cõstituisse uideãn-
tur, interim Theologiæ legitimo, & quod ad rem
pertinet officio, penitus posthabito, & in sabbata
translato: non quidem lucri aut gloriæ æmulatione,
nisi minus principaliter per accidens & in potentia,
modo non sit nimis remota.

Quando autem ego, Deo uolente, digniori con-
ditione uiuere non permittor quam, ut cum nugacib.
& uanis Sophistis, cum pestilentibus Romani ponti-
ficis, & Romanorum tyrannorum adulatoribus, eta-
tem consumam: gaudens & uidens posthabeo isto-
rum mea seria ludo.

Quare mi Ecci, non damno te uanissimæ glorię,
quod hanc schedulam edideris, antequã certus esses
quid Lipsenses in hac re facerent: imo postquam ex

me acceperas eos omnino recusare, quia ex fumo sci=
cet & ex disputatione nunquam futura sperasti ca=
ptare gloriam. Non criminor quod subdole & parum
humane, nedum theologice doctori Carolostadio
alienas propositiones obieceris: quas cum omnino il=
lum non suscepturū sperares, iterum de fumo in tan=
tum uirum triumphares.

Non queror quod ad adulationem fœdissimam
Papę uersus, me rursus in fabulas traduxeris, nouosq;
a te fictos errores mihi imposueris, & tamē nihil mi=
nus te agere simularis. Toleramus ista a Theologo
facta: id solum uolumus ostendere, nos scilicet intelli=
gere strophas tuas infeliciter uersutas & figuras ni=
hilo figuratas, & benigniter te monere, ut deinceps
pro gloria tua paulo ciuiliore astutia, naso imo cal=
caneo nostro insidieris: agrestem hanc & ueternosam
tuam prudentiam, in crassos tuos consophistas ludas.

Interim esto vir fortis & accingere gladio tuo su=
per femur tuum potentissime. Postquam enim pro
pace tua mediator ingratus fui, placebo fortasse con=
certator. Non quod uincere proposuerim: sed quod
post victorias tuas pannonicas, Longobardicas, Ba=
ioaricas (modo tibi credamus) occasio tibi fiam ob=
tinendi nominis, quo et Saxonicus & Misnicus trium
phator, ac si uoles, semper Augustus saluteris in æter=
num,

num, ac sic gloriam adeptus, quiescas iuxta Magistri tui sententiã, habitibus existentibus in materia, cessat motus. Quanquam mallem, vt monstrum, quod iam diu in me alis, & quod te male habet, aliquando pareres: & nauseas, quibus stomachus tuus periclitatur, tandem euomeres in publicum, minisq; illis tuis basilicis & gloriosis per omnia finem imponeres.

Sed ad te reuertor optime Andrea & oro, ut vna mecum ad illustriss: principem Ducem Georgium prudentissimum quoq; senatum Lipsiæ scribas: siqua dignentur nobis domum uel prophanam in hoc negotium collocare. Nam egregios dominos Doctores de Vniuersitate, penitus nolo huius periculo iudicij onerari, quod & prudentissime recusarunt.

Quin id faciemus, adductis notarijs duobus, uterque Eccius & Lutherus, & si qui alij idem uelint, ad manum notariorum dictet sua argumenta & responsiones. Quod eo facio consilio: ne & nobis fœda illa iactantia & frustraneus labor cõtingat, quæ in Viennensi disputatione Eccij uidetur: tum ut clamor & gestus importuni, quibus solent æstuare & perdere ueritatem nostri sæculi disputatores, cohibeantur: omnia autem uel possibili modestia in literas pronuncientur.

cientur : atque ea ſic in literas relata, offerri poſſint ſedi Apoſtolicæ, Epiſcopis, & totius Chriſtiani orbis iudicio.

Martinus Lutherus

Auguſt:

CHARISSIMO SVO GEORgio Spalatino Chriſti ſeruo Aldenburgi Canonico.

Caietanus ineptias ſe propter inſciciam & impudentiam contemnere ſcribit.

IHESVS.

103.

SAlutem. Cum literas de Chriſtophoro Breſſenio iam tradidiſſem ad te perferendas, mi Spalatine, pene eadem hora ueniens ipſe nobis ſatisfecit. Itaque gratias agimus & officio & conſilio tuo. Cæterum ineptias iſtas craſſiſſimas (ſicuti uere tu dicis) Caietanenſes, ſtatui contemnere: quando eas rideri tam a uulgo quam optimatibus mihi ſcribat Vuenceslaus noſter ex Nurmberga: deinde non parum pro me faciunt inſigni ſcilicet eorum imprudentia, neſcientes quid, aut contra quid loquantur.

Mitto ſermonem & orationem Dominicam.

Eraſmica

Erasmica ratio Theologiæ non est apud me. Aegranus Cigneus vtitur ea remissurus propediem; distuli rescribere propter sermonem nondum paratum.
Vale, Vuittembergæ feria 3 Lætare.
Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

REVERENDO ET OPTIMO
Patri, Iohanni Lango, S.T. Magistro, eremitanę familiæ Vicario Augustiniano medio, suo in Christo maiori, venerabiliter suspiciendo.

Petit Hæbreum lectorem sibi mitti: disputationis Lipsicæ tempus & difficultates significat: & commemorat Theologorum ac Caietani insanias contra se, & multorum suffragia pro se. Quædam etiam de suis opusculis addit.

IHESVS.

104.

SAlutem. Gaudeo & gratulor R.P. te quoq; unum eorum esse, in quibus operetur crux Christi: esto uir fortis, sic itur imo uehitur ad astra: gratias agimus pro donis tuis. Cæterum cur ipse ad Pompam tuam nõ uenerim, nosti: silentium nostrum non adeo 

t damnandum,

damnandum, quam ipsa itineris conditio: qua fit, ut qui ad uos hinc eat, uel raro vel nunquam habeamus.

Hebræum istum uestrum, quem commendas, omnibus modis tuum officium imploro, ut cures ad nos ire: idq; eo magis, quo ille noster Bossenstein, nomine Christianus, re uera Iudeissimus, ad nostrę Vniuersitatis ignominiam recessit: cum & tu nonnihil, nostro studio debeas: dabimus operam ut honeste alatur in Christo, & digna conditione hic agat: non modo quod in Christo recentem, fouere curiosius omnes debemus: sed ut digno quoq; stipendio prouideatur nostri officij sit.

Dies Disputationis Lipsiæ.

Disputationem nostram futuram signauit Eccius 27. Iunij: erit autem inter me & ipsum, ut uidebis in hac schedula. Nam Carolstadius non congredietur illi, in istis positionibus, tum quod meę sint, tum quod subdolus sophista, eas res mouit de Papa &c. quibus illum uel in periculum traheret offensi Papæ (quod Præbendatis malum intolerabile est) uel periculo eiusmodi absterritum, traduceret sine bello, sineq; victoria.

Congredietur tamen alijs rebus, quæ de potestate Papæ, vel indulgentijs silent. Nam impijssimi homines, has solas res, nobis reliquas fecerunt, in quas possit Christianus homo peccare; cum interim ipsis-

met

met Dei pręcepta fœdissime conspurcent. Timent autem omnes mihi, ne in duodecima propositione pessime sim habiturus: ego uero etsi non sperem, me capturum lubricissimum Sophistam, deinde clamosum mire ac fastuosum: tuebor tamen, Christo propitio, mea. Nam ideo sic posita est, vt occasio mihi fieret ineptissimarum & impiarum decretalium nugas aliquando in publicum ducendi, quibus frustra terremur Christiani: cum sint mendacijs refertæ, sub nomine Ecclesiæ Romanæ commendatæ. Deteget Christus laruas eorum, &, ut in Iob dicitur, reuelabit vestimentum vultus eius, intrabitque in medium oris eius.

Verum Lipsenses Theologi, vna & Episcopus Merseburgensis, mire conati sunt, & etiam nunc conantur, ne procedat disputatio: peneque principem deflexissent, nisi Principis nostri uerbo firmatus, tandem imperiose egisset. Vniuersitas mihi respondit & annuit. Princeps scribit se admissurum, ubi certus fuerit per me factus, Eccium uelle & mecum congrediri: idque nunc agitur, ut fiat. Nam credit solum Carolstadium, cum illo conflicturum.

Theologi interim me proscindunt, præsertim ille taurus, bos, & asinus, non qui cognouerunt dominum suum, sed qui paleas comedit: populum

Lipsiæ inclamant, ne nouis hæreticis adhæreant: quibus agunt forte, ut odio populi concitato, & timore Papæ facto, iam excluderemur. Fertur Tetzellum: cum audisset processuram disputationem dixisse: Das walt der Teufel.

Dictum Tetzelli de Lipsica Disputatione.

Peruenerunt decem floreni Euerhardo Brisger. Nos hic bene agimus, nisi quod male habemus, dum plebano alio caremus in Dabrun. Seminata est dissensio inter Patrem Mattheum & Güntherum Stupitium.

Caietanus denuo scripsit illustrissimo Principi nostro, de me, antea ineptias, nunc insanias: placetque mihi rudissimam istam Italitatem laicis notam fieri.

Scripserunt ad me Frobenius Basiliensis eximie meam libertatem commendans: sed & e Parrhisijs sibi ab amicis scriptum, placere illic multis, legique a Sorbonicis, id est, Theologis, mea: dispersisse præterea in Italiam, Hispaniam, Angliam, Galliam & Brabantiam omnia exemplaria. Mihi & Carolstadio duo colligata dono misit.

Scribit & alius quidam sacerdos Ettelingiacensis eruditus, & alius eruditior, sed sine nomine. In ijs id gaudeo, quod ueritas tam barbare & indocte loquens, adeo placet. Mitto currum Carlstadinum, qui Moriam fingit Theologorum, & in quem mira bile grassantur

grassantur Lipsiæ: alius in suggestu publicitus dilacerat manibus, alius adolescentulos in confessione explorat, num riserint de curru, aut Martini opuscula tenuerint: confessos male mulctant, ut mihi scribit Andreas Camitzianus. Vide tenebras, uide insanias: theologi hi sunt.

Credo ad te preuenisse initia mea super Psalterium, iam addo aliud exemplar, quo tuum corrigas. Scis quod Emser noster, etiam dum recta format, errat.

Mitto grammaticam Mose Kimhi, donec aliam tu obtineas: hæc mihi dono missa est ab Anshelmo Thoma. Edo simul commentaria ad Galatas Lipsiæ excudenda. Si uenerint in manus tuas duo sermones de duplici Iusticia, & de matrimonio, altero latino, altero uernaculo: age officium: excepti sunt mihi, & me inscio inuulgati: sed & mendosissime ac insulse tum collecti tum excusi: mea ignominia hæc est. Orationem Dominicam instauratam quoque mitto. Cætera Philippus. Credo te methodon Erasmi nouam uidisse, seu rationem Theologiæ: nollem eum tam cito defunctum.

Vidisti ne in opusculis meis Basiliensibus, contra Siluestrum, quod studio magis quam errore magirū pro Magistrum pallatij in fronte scripserint, deinde & alias

mendas in marginibus, irrisiones? Dicitur nobis Caietanum Cardinalem esse Moguntiæ conclusum ab Hispaniæ Caroli Apostolis: quod in factionem Gallorum regis omnia fuerit molitus. Scripsimus ad Erasmum Philippus & ego. Ecce habes omnia, quæ uoluisti. Reuerendus Pater Vicarius oblitus est nostri, adeo nihil scribit. Reuerendum Patrem M. Vsingen humaniter saluta, item & M. Iohannem Natin: fratribusq; me commendo enixe, quos etiam saluto omnes.

In fine de Hebræo iterum te moneo, quo adolescentibus optimis optime theologisantibus mireque ardentibus, in rectas literas, cooperemur. Vale & tu, valeat & crus tuum, si Christus uolet. Vuittembergæ. 4. post Iudica. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

Illud præterea ne omittas, ut Ionam nostrum, & doctissimum & amicissimum, memorem reddas mei, & a me diligi denuncies. Ita & D. Ludouicum Melsingen, & omnes notos meos.

SVO

SVO IN DOMINO CHArissimo Georgio Spalatino, Christi sacerdoti & seruo fideli.

De officina typographica instituenda, item de lectionibus theologicis ordinandis monet: commendat etiam Staupitij libellum, de imitanda morte Christi.

IHESVS.

105.

SAlutem. Venit Melchior Lotterus instructus optimis formularũ matricibus, a Fabrenio acceptis, paratus apud nos officinam excusoriam instituere: si ad hoc illustrissimus Princeps noster annuere dignabitur, quemadmodum & antea nos illustrissimæ celsitudini suæ indicauimus: tuum nunc officium petitur, ut in rem communem, consilia & auxilia colloces: nobis id decorum in primis Vniuersitati nostræ tum commodum auditoribus arbitramur, præsertim præsente Philippo, Græcas literas & fideliter & copiose propagare cupiente.

Cæterum de lectionibus theologicis habendis iam tractamus: nec dum aliud uidimus, quam quod sententiarum solos textus (ut huc usq;) compleant. Quod non confidimus tantum posse quenquam statim candidatum Theologiæ, ut uel Bibliam uel Ecclesiasticum

ſiaſticum Patrem enarret: tum ſucceſſu temporum non uidebitur hoc abſurdũ fieri, ubi radicata Theologia & libris multiplicatis res poterit felicius promoueri.

Scharto noſtro de morte obeunda, non inutilis foret vernaculus ille Staupitij libellus, de imitanda morte Christi: in quo & melius (pro dote ſua) rem tractauit, quam ſperem a me tractari poſſe, donec otioſior fiam.

Orauit etiam domina de Feldheim, ut apud te fideliter laborarem, quatenus D. Pfeffingero diligenter ſuggereres cauſam eius: conqueritur ſe miſere derelictam, & neſcio quæ indigna pati ab Iohanne Löſſer. Tu fac quod noſti. Vale, Vuittembergæ, Anno M.D.XIX. in die Miſericordia Domini.

F. Martinus Lutherus
August:

SVO CHARISSIMO GEORgio Spalatino Canonico Aldenburgenſi amiciſſimo.

Reuelat

Reuelat consilium suum in edendis Positionibus contra Eccium, in quibus ait se hosti insidias struere, uidelicet, ut primatum Romanæ Ecclesiæ adimat: indicat etiam per quos Pontifices Decreta inuulgata sint, & quod Romana Ecclesia omnibus Ecclesijs nunquam superior extiterit: sed per Germanos ad tantæ dignitatis & tyrannidis fastigium euectos Pontifices: & rogat ne in posterum de ipsius disputatione sit solicitus, eam enim diuinitus, non humano consilio regi.

IHESVS.

106.

SAlutem. Clausis literis prioribus, mi Spalatine, misit ad me D. Andreas, quas ad eum dedisti literas, similibus querimonijs plenas, ita ut & ego prope fuissem stomacho motus. Vrges me ad reuelandum consilium meum, non quod nollem te scire quid spectem: sed quod sciam, reuelare consilia sit idem, quod irrita facere consilia: præsertim si ex Deo sint, qui omnium impatientiss: fert sua consilia nudari, antequam impleta sunt. Sicut dicit per Esaiam, In nouissimis intelligetis consilium eius. Perdam itaq; hoc meum consilium, mihi sane iucundissimum tua caussa, ne æstu excrucieris.

Scis mihi rem esse cum subdolo, superbo, uersipelle, clamoso sophista: deinde qui id unice spectet, quo me traducat uulgo, & pontifici reddat deuotum omnibus diris. Has enim insidias suas iniquissimas

u intelliges,

intelliges, si eius XII. conciones legas. Proinde & ego ad insidias uersus, suis eum artibus confecturus, ita posui XII. contraria: ut ille certissime præsumat se triumphasse: & dum præ gaudio encomium cecinerit, Deo uolente statim se irrideat, coram omnibus.

Scio enim quod ex hac parte irrupturus est, clamans ac gestiens, quod non possim probare: nec supputationem annorum recte tenuerim: quia longe ante 400. annos, imo ante mille annos quoq; Romana Ecclesia decreto ediderit, præsertim Iulius primus proximus Niceno Concilio, esse Romanam Ecclesiam omnium superiorem: nec sine ea licere Conciliũ indicere. His enim ille securissime fretus, etiam ridebit (spero) meam incredibilem stultitiam & temeritatem.

Tum ego dicturus sum, quod decreta illa nunquam recepta sunt: sed etsi Greg: IX. qui decretalium primus collector est, qui Friderico secundo post S. Franciscum, Dominicum, qui deniq; sanctam nostram Elisabeth canonisauit, hoc est, nondũ 400. annis mortuus. Si Bonifacius octauus, sexti decretaum, si Clemens quintus clementinarum autor, non redegissent epistolas decretales in uolumina: sine dubio nec Germania eas nosceret. Ideo his tribus pontificibus dandum est, quod decreta Rom: pont: inuulgata sunt, & Romana tyrannis stabilita.

Sed quid tamen hæc ad meam conclusionem: ego nego Romanam Ecclesiam omnibus Ecclesijs superiorem, non nego eam nostris (ut nunc regnat) superiorem. Quando enim Eccius probabit, quod Constantinopolis, aut ulla Greciæ Ecclesia, quando Antiochena, quando Alexandrina, quãdo Africæ, quando Aegypti, sub Romana fuerint, aut Episcopos confirmatos acceperint? Ego autem probabo, quod et Greg: ille magnus, & primus a Mauricio Imperatore Græco confirmatus est: et Syluerius a Belisario patricio per Augustam Græcam depositus: et multa alia. Denique nunquid Christiani, qui etiam nunc sunt sub Turca, Persarum, Indorum, Scytharum regibus, Romæ sunt subiecti? Ita ne præsentes historias in os Eccij ruentes negabit?

Si ergo posuissem, quod Romana Ecclesia usque in hodiernum diem non omnibus Ecclesijs fuisset & superior, & quod contra Eccium staret historia Ecclesię usque ad nostros dies: uera dixissem, sed nimis aperte, & citra insidias. Nunc insidiosissime ei posui laqueum, sed nunc inualidũ: quia tibi reuelatus, quod timeo Deo non placiturum.

Omitto, quod Cyprianus martyr Africæ Ecclesias in concilium uocauit, semper sine autoritate Romani Pontificis, cum tamen esset de Ecclesia Latina, & Ro

manæ adhæreret. Idem tempore Augustini fecerunt quidem Africæ Episcopi. Extant vtriusq; Pontificis testatissima scripta. Nunquid Eccius aut Rom: pontifex ea poterit negare?

Nos Germani tantum, accepto imperio, Romanos pontifices stabiliuimus, quantum potuimus. Ideo in pœnam rursus eos passi sumus, dirarum tortores & uexatores, & nunc palliorum & Episcopatuum exhaustores.

Quod autem frigidissima decreta uocaui, ideo feci, quod scripturas in hanc rem torquent, nihil de monarchia, sed pastu & fide tantum loquentes: sed sine quæso nos disputare: & ne sis de eorum genere hominum, qui ignorantes consilia Dei (sicut oportet) statim desperant: quod suis consilijs non uident posse confici: atque deinceps permitte. Sunt & aliæ insidiæ in ijsdem meis positionibus: quibus, si Christus aspirauerit, ita inuoluam hominem, vt nemo Papam fœdius blasphemasse inueniatur, quam summus iste Papæ adulator Eccius. Nolo hanc rem nostro geri consilio, aut potius desistam. Ideo noli amplius quærere, ne rem totam reuelem, id est, pessundem: ora potius, vt Christus suam nos gloriam quærere faciat. Ego istam pontificiam potestatem inter eas res numero, quæ sunt neutrales, vt diuitiæ, sanitas, & alia tempo-

ralia.

ralia : ideo mihi vehementer displicet, res temporales, in tantas contentiones vocari : insuper & verbo Dei, (quod ea contemnenda semper docet) eadem asseuerare. Quomodo possum hanc uerbi Dei peruersissimam interpretationem, & contrariam sui sententiam æquo animo ferre, etiamsi ferre possum, potestatem Romanæ Ecclesiæ utcunq; adeptam? Vale.

Martinus Lutherus

August:

SVO SPALATINO.

Mittit quædam opuscula : commendat autem in primis libellum de Adamo : & iudicium suum de Psalmis pœnitentialibus recenset: hortaturq; ut Sermones Tauleri legat.

IHESVS.

107.

SAlutem. Mitto, sicut uis, optime Magister Spalatine, opusculũ de prædestinatione latinum : quod si & uulgare uolueris mittam. Opera enim Scheurliniana uernaculum habetur, multo phaleratius quam est latinum. De arte moriendi (ut tu uocas) hoc unum pro me habeo: omnia alia sunt distributa. Ideo meo isto interim utere: uidebo si potero plura conquirere.

Tertium S. Adamum breuiſſimum: ſed cuius mihi ſimile (non mentior) in manus non uenit theologiciſſimum. Ecce mitto, pœnitebit autem miſſionis, ſi indiligenter legeris. Ecce Eraſmus eruditiſſimus, una cum ſibi laudatiſſimo Hieron: neſcio an poſſent talem componere: non compoſuiſſe eos talem certus ſum.

Pſalmorum pœnitentialium explicatio.

Septem Pſalmos ego non habeo ſed calcographus: uerum ualde nolo eos cupias. Sunt enim non pro delicatis ingenijs, ſed pro rudiſſimis, quales patior multos: editi ideo enim ſunt tam inermes, & ſine teſtimonijs ſcripturæ, deinde uerboſiſſime, & (quod ipſe miror) nondum ſatis uerboſe explanati. Adeo res iſta eſt hominibus ignota, uel potius ipſi eorum incapaces. Igitur non eſt animæ tuæ, cibum bis aut ter præmanſum comedere, qualis iſta eſt.

Habes ſat, ſi uoles, in opuſculis iam dictis. Quod ſi non hæc ſatis ſunt: obſecro trade te mihi, uel unica hac uice, credulum: & librum ſermonum Tauleri, de quo & antea tibi uerbum feci, tibi quaqua poteris uendica. Vendicabis autem facile opera Chriſtiani Auxificis hominis theologiciſſimi. Iſte enim eſt liber, in quo uidebis, quomodo eruditio ſæculi noſtri ferrea ſit, imo terrea, ſiue ſit græcitatis, ſiue latinitatis, ſiue hebræitatis, ad hanc ſolidæ pietatis eruditionẽ. Vale.

De libello

De libello Vuimpinianæ prædestinationis idem est mihi iudicium, quod Doct: Carolstadij, hoc est, quod frustra laborauit, quantum ad materiam ipsam. Nam de elaborata ipsius elegantia, quã ibidem affectauit, tuum satis erit iudiciũ. Nam si etiam uera esset sua opinio, quam conatur asserere, non tamen id efficeret, quod per eam quæsiuit.

F. Martinus Lutherus.

OPTIMO ET ERVDITO uiro, Georgio Spalatino, ducali librario suo in Domino.

Consolatur egregie Spalatinum, ne suæ causæ metuat. Nam ueritatem, non humanis sed proprijs saluari uiribus, & affirmat se paratum esse ad omnem fortunæ euentum.

IHESVS.

108.

SAlutem. Obsecro te mi Spalatine, noli nimio timere: nec humanis cogitationibus totum cor cædere. Scis, quod nisi Christus me & mea ageret: iamdiu prima disputatione Indulgentiarum, deinde uulgari sermone, tandem Resolutionibus & Responsione mea ad Siluestrum, nouissime, Actis meis me perdiderã, maxime profectione Augustana. Quis enim

mortalium

mortalium horum ſingulum non timebat a, ut ſperabat mihi excidium allaturum? Denicꝫ nuper ex urbe ſcripſit Olſnitzer Cancellario ducis pomerani noſtri, me adeo conturbaſſe totam Romam, reſolutionibus & dialogo, ut neſciant, quomodo compeſcant. Eſſe tamen illis propoſitum, non ſcientia iuris, ſed italicis ſubtilitatibus (hæc enim uerba eius ſunt) me aggrediendi: has autem ego intelligo uenena, uel mortem inſidiarum.

Multa ego premo, & cauſa Principis & Vniuerſitatis noſtræ cohibeo, quæ (ſi alibi eſſem) euomerem in uaſtatricem ſcripturæ & Eccleſiæ Romam, melius Babylonem. Non poteſt ſcripturæ & Eccleſiæ ueritas tractari, mi Spalatine, niſi hęc belua offendatur. Non ergo ſperes me quietum ac ſaluum futurum: niſi uelis & me penitus Theologiam intermittere. Sine ergo amicos putare me inſanire. Res iſta finem non accipiet (ſi ex Deo eſt) niſi ſicut Chriſtum diſcipuli & noti ſui, ita & me, derelinquant omnes amici mei: & ſola ſit ueritas, quæ ſaluet ſe dextera ſua, non mea, nõ tua, non ullius hominis: & hanc horam ab initio ſpectaui.

Quanquam hæc XII. propoſitio mihi eſt extorta per Eccium: deinde quia patronos ſuos habebit Papa in futura diſputatione, puto non debere tam

moleſtam

molestam uideri: nisi disputandi libertatem non meminerint. In summa, si ego perdar, nihil peribit de mundo: Vuittembergen: Dei gratia iam eo profecerunt, ut mei nihil egeant. Quid uis? timeo miser, ne forte non sim dignus pati & occidi pro tali causa: erit ista felicitas meliorum hominum non tam fœdi peccatoris.

Dixi tibi semper me paratum esse cedere loco: siqua ego Principi illustriss: uiderer periculo hic uiuere. Aliquando certe moriendum est: quanquam iam edita uernacula quadam Apologia satis aduler Romanæ Ecclesiæ & Pontifici, si quid forte id prosit. Vale citissime.

Martinus Lutherus
August:

VENERABILIBVS PATRIbus & Fratribus Conuentus Iutterboccensis, Ordinis Minorum.

Defendit suam disputationem, contra conuentus Iutterboccensis calumnias.

IHESVS.

109.

SAlutem & pacem. Oblatæ sunt mihi duæ Schedulæ, uenerabiles Patres: quarum una ad Reueren-

diff. D. Episcopum, Dominum nostrum gratiosum Brandenburgensem, a toto Conuentu missa, meum nomen fœdissime conspurcat: & aliquot Propositiones uerissimas impudenti temeritate arguit erroneas esse. Ego sane fui satis admiratus, quod uos: qui Obseruantiæ titulo inflamini, & populi uos saluatores iactatis, & tunicæ inconsutilis zelatores: adeo fueritis obliti Euangelij: ut non ante Fratrem monueritis, inter te & ipsum (ut inquit) solum, ac magis uoluistis detractores alieni nominis, tum quod fœdius est, iudices alienæ sententiæ, autoritate propria fieri. Est ista superbia & petulantia, religionis uestræ & obseruantiæ modus?

Verum, ne reddam malum pro malo, optionem uobis do: aut reuocate hanc temeritatem, & reddite mihi nomen meum: aut ego publicabo per impressuram hanc uestram Schedulam, adiecta confutatione uestræ ignorantiæ: quod non erit honorificum Ordini uestro. Vos, qui, uestræ Obseruantiæ ritu, studia contemnitis, & literas sponte vultis nescire, sed tantum visionibus & cogitationibus vestris populum occupare, decebat, vt sileretis, & alios studere permitteretis. Mea doctrina tribus annis in Vniuersitate nostra assidue est agitata, discussa & iudicata, disputando, legendo, docendo, predicando, scribendo, cum acutissi-

acutissimis & diligentissimis uiris, necdum inuenta reproba: & nunc post fornacem vestri Conuenticuli, ab vno aut duobus stertentibus fratribus, qui Magistrum forte viderunt aliquando, & cognouerũt nunquam, debet hæretica damnari? Videte, ne uos inueniamini hæretici, & omnino tales, qualem me & meos criminati estis. Mihi non erit difficile (Deo propicio) defendere mea dicta contra uos: sed uobis interim & Ordini uestro parcam, donec audiam, quid sitis facturi.

Omitto, quæ Lector uester Bernhardus caput ineptissimum blaterat, ad vicarium Episcopi, de scissura inconsutilis tunicę: quasi Ecclesia ideo sit peritura, si Thomas aut Bonauentura repudientur. Quis seruauit Ecclesiam, antequam Thomas & omnes Monachi essent in rerum natura? Deinde homo suauis disputationem priuatã se habuisse confitetur: in qua solemus libere & familiariter loqui, & tenere quæ etiam non prædicaremus: & nihilominus hanc ipsam detractor iste in accusationem uertit, & nobis imponit, quod laici quærunt: ubi in Euangelio dicatur de confessione & ieiunio? Videte hunc uenenatum insidiatorem. Cur non & alias questiones laicorum mihi imponit, aut etiam vetularum crepitus? Verum, ut dixi, accipite aut Pacem aut bellum, vt volueritis.

Attamen, ut ſuperabundanter agam, breuibus hic rationem ſignabo coram eorum, quæ cum Lectore ueſtro audio fuiſſe diſputata.

Primo dicitis fuiſſe dictum, quod Deus præceperit homini impoſſibilia: reſpondeo, cur ergo Paulus Ro. 8. dicit, fuiſſe impoſſibile, non tantum nobis, ſed etiam Legi, ut iuſticia fieret? Ideo neceſſe fuiſſe, ut Chriſtus moreretur? Legite B. Auguſtinum de perfectione iuſticiæ, & inuenietis uos potius errorem ſchiſmaticum & peſtiferum docere: quando negatis, homini eſſe impoſſibilia præcepta: aut dicite, ſi ſunt poſſibilia, ad quid neceſſaria eſt gratia? Aut illuditis & irridetis miſericordiæ Dei beneficium? Denique, cur oratis: Fiat uoluntas tua: ſi per uos poteſtis facere uoluntatem Dei? Pudet me tam craſſę ueſtræ temeritatis, quod hanc Chriſtianiſſimam doctrinam, appellatis peſtiferos & pernicioſos errores.

Secundo errorem dicitis, quod Deus exigit a quolibet Chriſtiano ſummam perfectionem & totum Euangelium.

Primum quero ab inſigni ueſtra prudentia, quibus ſit Euangelium datum, lapidibus an lignis? Si hominibus: cur ergo non tenentur præcepta Dei tenere, quando Chriſtus dicit, Ne unum iota præteriturum? Doleo miro modo uos inconſutiliſtas & tunicaſtros

nica ſtros ſic deſiperet: ut negetis homines eſſe debitores ſeruandæ uoluntatis & præceptorum Dei: & nunc demum dubitandum ac diſputandum ſit, an obedire oporteat præcipienti Deo? O furor. Igitur omnes debemus totum Euangelium & omnia præcepta: ſed quia non poſſumus, ideo ſumus peccatores, & currimus ad thronum miſericordiæ Dei. Hæc eſt B. Auguſtini ſententia in tota parte octaua. Vos autem homines a miſericordia trahitis ad iudicium, dum non ſinitis eos ſeſe agnoſcere peccatores & præceptorum Dei debitores.

Tertio, quod nulla ſunt Conſilia, ſed omnia Euangelij ſunt præcepta. Hæc inuidia & nequicia ueſtra mentita eſt. Illi enim ſic dixerunt: præcepta ſunt ultra conſilia, Et: præcepta ſunt plus quam conſilia. Quia conſilia ſunt quædam media, quibus facilius implentur præcepta. Vt uirgo & uidua aut celebs facilius ſeruat præceptum: non concupiſces: quam coniugatus, qui concupiſcentiæ aliquo modo cedit.

Quarto, quod Canones docent luxuriam, auariciam, ſuperbiam: & quod ſunt contrariæ Scripturis ſacris. Et hoc Leuiathan ueſter ſic addidit & peruertit, Nihil enim recte accipit unquam inuidia. Illi dixerunt, quod Canones & Decretales olent ſeu ſapiunt aliquando ſuperbiam & auariciam, hoc eſt, quod ij,

qui ſtatuerunt, aliquando quæſierunt quæ ſua ſunt, plus quam charitatem. Hoc uos dicitis docere ſuperbiam. Rogo uos: Non poteſt ſuperbus & auarus prædicare veritatem, & tamen ſic prædicando olere, quærere lucrum? Sicut uos in hac Schedula, etiam ſi uera dixiſſetis: tamen fraternam inuidiam et aſininam inſcitiam olerent ueſtra uerba. Deinde hoc uerum eſt, quod Canones ſæpiſſime abutuntur Scripturis, & torte exponunt in alium ſenſum, quam ſuo loco habent.

Et quid hoc mirum? Nonne & uos tunicam inconſutilem & Eccleſię vnitatem hic accepiſtis in contrarium ſenſum? Sed pro ueſtra ſtulta opinione, ſine qua Eccleſiæ vnitas recte ſtabit, legite C. translato. de conſtitutione li. 1. & videte, an recte ibi Papa dicit, ſacerdotiũ Chriſti in Petrum translatum, quod Apoſtolus ad Ebræos de ſacerdotio Aaronis in Chriſtum dicit.

Sed uos nec legitis quidquam, multo minus intelligitis, & adhuc iudicare uultis de doctrinis. Idem de libero arbitrio, quod nullum eſt teſte B. Auguſtino. Non enim poteſt niſi malum facere, nunquam autem bonum, niſi gratia adiutum. Ergo ſe ſolo non eſt liberum, ſed ſeruum peccati, ut Auguſtin. libro 2. contra Iulianum docet. Sed rogo uos, cohibete temeritatem ueſtram, ac deſiſtite ab inſulſis ueſtris ſomnijs: nimis nihil

nihil ſapitis in doctrina Chriſtiana: eſtote pro uobis Sermociniſtæ: ſinite nos Doctores ſanctos legere.

Quinto, quod laico habenti autoritatē (Scripturæ) plus ſit credendum, quam Papæ, quam Concilio, imo quam Eccleſiæ: hoc etiam Iuriſtæ docent, ut Panormitanus C. Significaſti: et adeo eſt catholicum, vt Auguſtinus in multis locis hoc pro regula habeat legēdi autores. Nec fuit vllus tam fœdus hereticus, qui hoc negaret, niſi noui iſti hæretici omniū temerariſſimi Iutterboccenſes Obſeruantini: qui fronte ſua meretricia, ſacratiſſimas Patrum doctrinas, quas nunquā legerunt, pronunciant peſtiferas, abſurdas, alienas a catholica doctrina. Nonne hæc eſt in Spiritum ſanctum blaſphemia?

Sexto, quid Thomas prædicarit, neſcio, niſi quod iterum uideo ueſtram maliciam prodere ſeipſam. Nam cum ille in generali Prælatos carpſerit Papas & Epiſcopos: quod utiq; non ſolum licet, ſed etiam debet fieri: niſi Scripturas uelitis negare & prohibere, ubi Chriſtus fures, latrones, lupos reprehendit: uos autem ei audetis pro culpa imponere. Quod tunc recte feciſſetis, ſi ille aliquem nominaſſet indiuidualiter. Nunc autem detractores & calumniatores eſtis: quia nihil legitis nec intelligitis. Quidquid autem allegatis, totum ſecundum cerebrum ueſtrum accipitis &

ſecure

ſecure pronunciatis. Quando ſatisfacietis illi & nobis pro tam graui detractione?

Septimo, iterum uos proditis, dum Magiſtrum Franciſcum accuſatis, quod de literis Confeſſionaliũ docuerit ſtuppę retiaculum facere: & prohibuerit bona opera, confeſſionem & ieiunia: nec pudeſcitis ipſi uos fateri, quod talia ipſe negauit uobis. Vos autem ad detrahendum accenſi, accuſatis eum de ijs, quæ ignoratis, quæ ipſe negat, quę aliorum relatu audiſtis. O intolerabilem & peſtilentem temeritatem. Cur non expectaſtis, donec ſciretis? Cur non os virulentũ cohibetis, nec ei neganti magis creditis publice quam alijs narrantibus? Eſt iſta charitas ueſtra? Didiciſtis hoc ex regula ueſtra? Quid faceretis, ſi & nos publice uos accuſaremus de magnis horrendiſcꝫ monſtris, quæ uulgo de uobis iactantur? Nouus mos accuſandi ex aliorũ relatu, ex propria ſuſpicione, ex temerario iudicio Fratrem negantem, nec conuictum accuſare.

Si Laici quærunt de ieiunio aut confeſſione ex Euangelio: recte faciunt: & uos tenemini ad reſponſionem: debetis enim ſcire Euangelium: ſi non poteſtis reſpondere, deſinite ijs, qui poſſunt, detrahere.

Vltimo, quod Lector nunc negauit, Papam ſolum eſſe Vicarium Chriſti: & Petrum eſſe principem Apoſtolorum in poteſtate: & nullum eſſe caſum reſeruatum

seruatum iure diuino, recte dictum est: sed, ut uideo, nescitis, quid sit ius diuinum uel ius humanũ: & estis in vtroque iudices cum fiducia. Iure diuino (ut D. Hieronymus multis locis probat) Apostoli omnes sunt æquales, Episcopi omnes sunt æquales: imo addit idem Hieronymus, quod Presbyter et Episcopus iure diuino sunt idem. Quid hic facietis? an Hieronymum comburetis? an ipse quoque tunicã incõsutilem scindet uobis? Legite eum in Epistola ad Euagrium, & in commentarijs ad Titum & Ephesios: & uidebitis uestram negligentiam & temeritatem. Igitur Papa solum humano iure est vicarius Christi: sicut etiã Romæ scriptũ est in Ecclesia, matre omniũ. Lateranensi.

In fine expecto uestram Responsionem quantocius, ut sciam, an ceruices uestras uelitis inclinare, an erectis contra ueritatem pugnare. Ego, ne dubitetis, uos egregie tractabo: & omnibus exponam miram uestram sapientiam. Bene valete, & Dominus det uobis recte sapere & uelle. Amen. Si uultis esse amici: ero gratissimus: sin non uultis: age facite quod facitis: ego nomen meum & uerbum Christi non deseram, credite firmiter.

Vuittembergæ Dominica Iubilate,

Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus August:

REVERENDO PATRI IOhanni Lango, Vicario mediastino August: S. T. Magistro, suo in Christo maiori.

Narrat sibi nondum libertatem à duce Georgio concessam esse disputandi cum Eccio Lipsiæ: deinde addit se à Milticio impudenti uocari Confluentiam sine mandato pontificis.

IHESVS.

110.

SAlutem. Prior Grimmensis R.P. apud me nudius moratus, optauit ut ad te scriberem pro fratre Matthia molitore: cuius administratione res eo peruenerit, ut graui fama laboret conuentus, insimulantibus ciuibus aut etiam probantibus, scandalum nescio quod cum ancillis molendini obortum: petit eum transferri omnino: tu pro officio tuo consulas: ego amouendũ arbitror: Conuersi illic iamdudũ regnant.

Mitto Schedulas nouas Eccij & Lutheri criminatrices mutuas. Dux Georgius bis mihi respondit amphibologus totus: nec dum admittit, admissurum spondens, si Eccius eum certum fecerit, meam sibi placere congressionem: qui tamen Eccium admisit, nihil cunctatus, an Carlstadio placeret congredi: denicꝫ ex me didicit, me ab Eccio editis & literis & schedis prouocari. Vides quid monstri alant homines? Iam tertio scribo

tio scribo

tio ſcribo ad eum. Lipſenſes Theologi & ψευδοκήρυκες forte conſumentur inuidia: ita ardent in me.

Vocauit me Carolus Miltitz ad Confluentiam, reſponſurum Archiepiſcopo Treuirenſi, præſente Legato Caietano: homo ſuauis ſimul confitens ſe nondum ex vrbe recepiſſe mandatum: et ſperat me tam craſſæ naris eſſe, ut non uocatus, niſi ſua temeritate ueniam. Video vbiq̃, vndiq̃, quocunq̃ modo animam meam quæri. Epiſtola mea ad Galatas ſub incude Lipſiæ laboratur. Vale & ora pro me, feria 2. Iubilate. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus.

SVO GEORGIO SPALAtino Chriſti ſacerdoti & amico, & erudito patrono.

Eiuſdem argumenti Epiſtola.

IHESVS.

III.

SAlutem. Ridiculum Caroli Miltitij caput, fatetur nondum veniſſe mandatum ex urbe, & me uocat: uocat autem ipſe, non Archiepiſcopus: deinde ad præſentiam Cardinalis: an homines inſaniunt? ſcribam ei: interim conſule mihi quæſo.

Dux Georgius bis mihi respondit, nec dum admittit ad disputationem: cum tamen eum certum fecerim, Ecciũ cogere, ut respondeam ei, tum literis priuatis tũ publicis schedulis. Deinde cur ex me tantopere postulat, ut Eccius pro me scribat, qui nihil cunctatus est Eccio fauere, nihil de Carlstadio requirens? Quid hoc monstri? Mitto vtrasq; eius literas: scribo ei iam tertio: consule quæso, quid tibi uideatur. Scharto nostro curabo, si possum seruire.

Cæterum de sacerdotali, quod petis, uita describenda, cur a me petis? qui tam copiose habeas Apostolum ad Titum & Timotheum differentem in hanc rem.

Ago gratias pro munere, satis facturum Deum offero. Vale in Domino. Nostri omnes Caroli literas tales existimant, ut me omnium iudicio sibilum fore arbitrentur, si propter eas me itineri darem, feria 2. Iubilate. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus

August:

RATIO VIVENDI SAcerdotum, Marth. Luthero Autore.

I. De

I. DE VICTV SACERDOTVM temperato.

Hoc scriptũ in bibliotheca Iohannis Gran pastoris Vinariensis inuentum est.

QVicquid de Prandio fuerit, cænam esse parcam & breuem, corpori & animę prodest: sicut & Horatius ait; Cæna breuis iuuat, & prope riuum somnus in herba. Et Eccesi: 31. Somnus sanitatis in homine parco: dormit usq; mane, & anima ipsius non ipso delectabitur. Quare uere dicitur prouerbio, iucundæ collationes vespertinæ, tristes faciunt matutinas. Deniq; serotinæ fabellæ & potationes, destructũ pectus, & confusum caput faciunt, mane uero refertum omni grauedine, pituita & phlegmate. Quæ misere impediunt sacerdotis officium, tum orandi tum sacrificandi. Quare ut hic uigiles aduersus id malum generalissimum: sero cogita quod non poteris perdere uesperam, quin omnino uel prope perdideris & mane & totum diem sequentem. Experto crede, si non credideris experto, expertus olim credes.

II. DE SACERDOTVM studio.

Vespere omnino aliquid ex sacris literis tecum in corde feras ad lectum, quo uelut mundum animal ruminans suauiter obdormias: non sit autem multum, sed potius modicum bene cogitatum atq; intellectum,

lectum: quod mane ſurgens velut reliquias ſerotinas reperias. Item in omni ſtudio ſacrarũ literarum omnino de ingenio & labore deſperandum eſt: ſed cum timore & humilitate a Deo intellectum tibi petas. Idcirco cum codicem accedis, oculos et cordis & corporis primum in cœlum eleues ad Chriſtum, breui ſuſpirio eius gratiam implorando: quod idem ſæpius faciendum eſt inter legendũ, ſed ut dicas & cogites, da Domine ut & hæc recte intelligã, magis ut & faciam. Sed caue omnibus modis, ne ideo cupias ſtudere ſacra, ut uelis tantummodo ſcire & intelligere (non enim credo te tam craſſa Minerua eſſe, ut honorem, lucrum aut gloriam quæras) imo nec ut uelis alios docere: ſatis tibi tuta ſit cogitatio: poteſt enim ibi occultiſſime latere Kenodoxia: ſed prorſus nihil quæras niſi gloriam Dei: ita ut ſic ſis animatus, ecce optime Domine Iheſu, ſi non eſt hoc ſtudium in gloriam tuam, ergo ne facias me ad ſyllabam intelligere: da autem mihi qantum tibi videtur ad gloriam tuam in me peccatore.

DE FAMILIARITATE.

Rara etiam & eadem breuis familiaritas prodeſt ſacerdoti. Veriſſimum enim eſt id prouerbium: amici fures temporis. Quod ſi amici fures ſunt temporis, quid erunt extranei et ignoti uel minus familiares?

res : uerum in his prudentia summa tibi opus fuerit, ne scilicet nimium fugiens hominum conuictum, demonum societates incidas: rursus si nimium accedas, a porcis cõculceris. Itaq; si te uocauerit Deus (si necessariũ fuerit seruire, consulere, colloqui proximo vel pro salute, aut alia necessitate ad id fueris quæsitus) prorsus lex & regula, cuiuscunq; instituti tui te retineat: charitati omnis lex debet cædere etiam orandi & sacrificandi: vbi uero non vocaris, nulli te ingeras, ne incipias velle & animæ tuæ patiaris detrimentum. *

DE ORATIONE.

Memor esto te sacerdotem esse, id est, ministrum communem & publicum: ideoq; non pro te tantum, quantum pro ouibus intente orabis, præsertim pro maioribus Ecclesiæ, scilicet Pontificibus & rectoribus: quoniam illorum salus nostrũ omnium est salus.

DE SACRIFICIO FACIENDO.

Non semper eris idoneus ad sacrificium: uerum ut fias idoneus, aliquando tibi accedendum est non idoneo. Id facies, si cogitabis non propter te, sed propter alios, in peccatis constitutos, pro Christianorum necessitatibus tibi esse sacrificandum. Ideo quod pro te non faceres, facies pro illis: nec incipias cuiquam confidere, quia idoneus tibi visus fuerit.

DE

EPISTO- LVTHERI DE TOTA VITA.

Sicut Tobias docuit filium ſuum, ut a Domino peteret, qui dirigeret uitam eius, ita & tu de te deſperatus ora, ut greſſus tuos ipſe dirigat ſecundum eloquium ſuum. Quia ſic dicit Hieremias: ſcio inquit Domine, quia non eſt hominis uia eius. Ante omnia uero ſummam manſuetudinem erga peccatores indue. Hoc enim ſacerdoti neceſſarium eſt, ut nullum deſpiciat: ſed illius peccata & miſerias tua eſſe exiſtima: ſicut Chriſtum uides nobis feciſſe.

EGREGIO VIRO DOMINO Carolo de Miltitz, Apoſtolico Commiſſario, Canonico Moguntinenſi, ſuo patrono in Domino.

Multis argumentis excuſat ſe Miltitio, cur nec poßit nec debeat ire Confluentiam.

IHESVS.

III.

SAlutem. Accepi literas præſtantiæ tuæ, vir optime, quibus conſulis, ut quam otius Confluentiam me recipiam: id enim fore ex mea re. Verum audi quęſo patienter meam ſententiam, primum, quando Aldenburgi conueniebamus, uidebatur mihi tum non

non necessarium, ut ego præsens essem: sed quia editi sunt libelli, in quibus meam mentem omnibus liquidissime aperui, sufficere putaui, si, discussis meis sententijs, statuerentur articuli mihi reuocandi, & modus reuocandi, assignatis rationibus, ut fieret reuocatio efficax & probabilis: ne si aliter fieret, extorta mihi diceretur per uim; & fierent nouissima peiora prioribus. Et hunc sensum adhuc habeo.

Sed etsi uenire omnino deberem, poteris tu ipse cogitare, quam stultum me essent habituri, qui causam istam audirent; cum nondum venisse mandatum ex vrbe scribas: nec dum Archiepiscopus me eiusdem mandati virtute vocarit: sed nec certum habeam, an sit mandatum hoc uenturum, præsertim in isto tumultu Imperij: nec certus sum an ueniens mandatū Archiepiscopus sit accepturus. Quomodo ergo in tanta dubia me dabo, per tot pericula, & tam grauibus expensis? quas unde habeam pauperrimus? tot consumpsi huc usq; in ista causa: & fessos feci patronos, ut pudeat plura postulare: ut interim taceam, quod durante interregno ne possit quidem vlli saluus conductus præstari, præsertim mihi tot inimicis appetito.

Accedit ad hoc, quod iam solennis disputatio, quam mihi Reuerendissimus Dominus Cardinalis

Augustæ denegauit, Lipsiæ instat, oblata ab Iohanne Eccio: a qua si me subtraherem, quantalibet iusta causa: summam ignomiam mihi, omnibusque amicis, quin & illustrissimo Principi nostro, toticque ordini meo & Vniuersitati inurerem. Denicque in hac potest res ista coram tot doctis uiris & tam acri disputatione purius & absolutius examinari, quam uel coram Archiepiscopo uel Cardinale: ut præstet, omnia huius causæ negotia sisti, quam hanc disputationem impediri.

Cum autem & Archiepiscopus sit Elector Imperij, nonne absens esse cogetur in id temporis? Absente autem ipso, quæ tutela? quæ causæ tractatio fieri potest?

Sed age, sint illa omnia plana: tamen coram R. D. Cardinale nolo hanc causam agi: nolo eum præsentem: necque dignus est, ut qui me a fide Christiana tentauit Augustæ deturbare: ego eum dubito esse Catholicum Christianum. Atque si otium fuerit, scribam ad Romanum Pontificem, & dominos Cardinales: ac coarguam eum, si seipsum non emendarit in omnibus, quibus fœdissime errat. Doleo legatos sedis Apostolicę tales esse, qui Christum abolere moliantur.

His

His itaq; causis spero, mi Domine, quod iustissime sim excusatus, si non uenero: ne addam & illud, quod nuper quidam sycophanta apud nos fuit multis literis suffarcinatus, quærens te, deinde me: qui multam supitionem reliquit, insidias mihi undiq; paratas: deniq; fugere coactus est, ne in albim cogeretur saltare: paululūq; abfuit, nisi nos restitissemus, quin interpretati fuissent, tuo studio id factum: maxime cum audiremus, te adhuc in Germania desidere, qui nobis promisisti, recta uia & in breui ad urbem te profecturum. Ita fit, ut ego quidem excusarim te: sed tamen undiq; insidias mihi metuendas uideam.

Iam quod rem difficiliorem putas futuram, si sanctissimus Dominus Leo decimus plures Episcopos ad istam causam deputarit: ego contrarium arbitror. Cum enim sub iudicium totius orbis rem istam editis libellis posuerim: & nunc Lipsiæ coram tot viris tractandam suscipiam: non modo non difficile, sed & gratum fuerit, multorum iudicum arbitrio causam transigi.

Si vero, ut scribis, acceptis breuibus Apostolicis cogeris ad nos venire, propter meam cunctationē, Deus faxit, vt prospere, venias: ego sane occupatissimus, & multis seruiens, non possum sine multorum

dispendio tantum tempus perdere, & gratis expatiari. Bene uale, uir optime, Vuittembergæ feria 3. post Iubilate. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

OPTIMO VIRO GEORGIO Spalatino, sacerdoti Christi, suo in Christo, venerabili maiori & Patrono.

De accersendo Hebraico Professore.

IHESVS.

112.

SAlutem. Mire placet epistola Erasmica mihi & nostris: vnum ego nollem, nempe, meum nomen in ea non solum nominari, sed & cantari, præsertim a tanto uiro. Non ignoro me ipsum, in hac saltem parte.

Cæterum antequam abeas, quæso, exploratam nobis relinque mentem illustrissimi Principis de hebraico Professore. Fuit nobiscum rediturus propediem Iohannes Cellarius Gnostopolitanus, qui Heidelbergæ Hebraica professus est: & edito libellulo grammatico (quem te uidisse credo) testatur se nonnihil in ea re nosse: hic omnia nobis promisit, quæ
possit,

possit, fideliter traditurum sese (modo Lipsiæ agit nostras literas expectans) si honesto solario a nostro Principe illustrissimo prouidendum se intellexerit. Responde ergo citius: literas quoque ducis Georgij simul remitte.

Confluit multus studentium numerus, & eorum insignium: denique venit Nurmbergensis ille Theologiæ Licentiatus, profectæ ætatis uir, concionator hospitalis, & sancti Sebaldi: & ciuitas nostra pene non capit omnes penuria habitationum. Alia alias.

Vale, Dominica Cantate. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus

August:

REVERENDO PATRI, IOhanni Lango eremitarum August: Vicario Thuringiæ S. Theologiæ Magistro eruditissimo & integerrimo, in Christo suspiciendo.

Queritur se nondum à duce Georgio admitti ad disputationem Lipsicam: & pollicetur probationes 13. propositionis suæ.

IHESVS.

113.

SAlutem. Audiuimus D. Iodocum Isennacensem e uita soluisse: dominus animam eius suscipiat, &

ignoſcat ei, ſuper omnibus peccatis eius, & nobis. Mitto quæ vides: alia non habemus.

Edo iam probationes ſuper odioſiſſimam propoſitionem tertiamdecimam propter inuidiam: quæ hoc agit, ne Lipſiæ admittar ad reſpondendum. Ternis literis a Duce Georgio non potui certum obtinere reſponſum (Rabus ille Lipſenſis iterum ad vrbem in meam gratiam profectus eſt: alia mendacia illuc illaturus, & alias temeritates huc allaturus) adero tamen ſaltem oblaturus me ad reſpondendum: Caroloſtadio autem omnia admittuntur.

Acceſſit & alia his mihi maior tentatio, quibus omnibus docet me Dominus, quid ſit homo, quod tamen huc vſq; ſcire mihi ſatis videbar: audies eam coram, ſi aderis. Frater Ioannes Cæſar euaſit Anthracis lætiferum vlcus.

Vale & ora pro me peccatore magno. Alia enim re prorſus non indigeo, quam miſericordia Dei. Ideo cruciatur inuidia, quod alijs non indigere me ſentit. Vuittembergæ feria ſecunda poſt Exaudi, Anno M.D.XIX.

Saluta Reuerendos Patres M. Iohannem Nathin, & Bartholomeum Vſingen & omnes. Statim

uidebis

uidebis probationes propositionis meæ 13. de Primatu Papæ, ut spero, inuictas.

F. Martinus Lutherus
August:

OPTIMO VIRO GEORGIO Spalatino a sacris & libellis illustrissimi Principis Electoris Saxoniæ sibi in Christo dilecto.

Recitat historiam disputationis Lipsicæ, item odia & præiudicia contra se.

114.

SAlutem. Rediisse illustrissimum Principem & uos omnes saluos gaudemus, optime Spalatine. Animam Pfeffingeri Christus agnoscat, Amen. De famosa ista disputatione nostra dudum scripsissemus: sed non erat, quo & qua scriberetur. Ea sic habet, quod Lipsenses quidam & ii neq; candidi, neq; recti triumphant cum Eccio: & hæc est ipsis garrientibus fama; cæterum res ipsa omnia patefaciet.

Obitus Pfeffingeri.

Primum cum aduenissemus mox eadem hora antequã curru descendissemus, affixa est ualuis Ecclesiarũ inhibitio Mersburgensis Episcopi, ne disputaretur, allegata

allegata in hanc rem noua illa declaratoria & adiuncta. Hæc contempta est: & is qui affixerat, per senatum (quia sine eius scitu fecerat) in uincula coniectus est.

Hac arte nihil promouentes, ad aliam versi sunt, uocato seorsim Andrea Carlstadio, multis egerunt (Eccio sic uolente) ut disputatio fieret in uerbis, nec in literas referretur per Notarios. Sperabat enim clamore se præualere posse & gestu (sicut uere longe præualuit) Contra Carlstadius opponens, quod sic conuentum esset, & pacto standum, expostulabat uidelicet ut notarijs exciperetur.

Tandem, ut hoc obtineret, coactus est saltem hoc admittere, vt excepta disputatio per notarios non ederetur in publicum, nisi iudicium aliquorum audirent. Hic noua disceptatio de iudicib. eligendis. Tandem etiam in hoc consentire compulerunt, ut finita disputatione conuenirent de iudicibus: nec aliter uoluerunt admittere disputationem. Et ita cornuto syllogismo nos impetierunt, ut utrobiq; confunderemur, siue quod disputationem detrectassemus, siue quod disputationem necesse esset subijcere iniquis iudicibus. Vides ergo crassas istas astutias, quibus nobis libertatem pactam abstulerunt. Nam Vniuersitates & Romanum Pontificem certum habemus &

nos

nos aut nunquam, aut contra nos pronuntiaturos, id quod vnice ipſi ſuſpirant.

Altero die me uocato ſeorſum idem propoſuerunt: ego autem ueritus Romanum Pontificem, deinde ſic a noſtris perſuaſus, recuſaui has conditiones omnes: tum illi excepto Romano Pontifice alias Vniuerſitates obtulerunt. Ego libertatem pactam ſeruari petij: nolentibus recuſaui & diſputationem repudiaui: tum mox tota fama, me non audere diſputationem aſſumere; & quod iniquius eſſet, iudices nullos pati uelle. Hæc omnia odioſiſſime & maligniſſime iactata & interpretata, ita ut & amiciſſimos quoque omnes ſubuerterent: & iam Vniuerſitatis noſtræ ignominia perpetua erat in promptu. Poſt hæc conſiliantibus amicis adij: & conditionem indignabundus acceptaui: ſic tamen ut ſalua eſſet mihi appellatio mea: & cauſæ meæ nihil præiudicaretur, excluſa etiam Romana curia.

Diſputatum eſt cum Carlſtadio primum de Libero arbitrio, per hebdomadam. Carlſtadius adductis libris oſtendebat argumenta illius & ſolutiones (per Deum) egregie & locupletiſſime.

Poſt hæc cum Carlſtadio quoq; opponendi facultas data eſſet, recuſauit Eccius: niſi relictis domi libris argumentaretur: cum Andreas ideo faceret, ut ei

in faciem ostenderet, se recte adducere, dicta scripturæ & Patrum: & non violenter tractaret: sicut ipse conuictus erat tractasse. Hic tumultus iterum ortus: tandem pro Eccio statutum est, relinquendos esse Libros domi: sed quis non videat, si ueritatis causa disputatum esset, optandum fuisse, vt omnes libri afferrentur. Nulla alia re inuidia & ambitio impudentius se ostendebat.

In fine subdolus homo omnia concessit, quæ Carlstadius arguebat: quæ tamen fortiter impugnarat: & omnino per omnia cũ eo consensit, glorificans quod in suam sententiam pertraxisset Carlstdaium. Nam Scotum cum Scotistis et Capreolum cum Thomistis reiecit, dicens, cæteros Scholasticos idem & sapuisse & docuisse quod Carlstadius. Ita cecidit tunc Scotus & Capreolus, id est, duæ celeberrimæ factiones Scotistarum & Thomistarum.

Scotus Capreolus.

Altera septimana mecum disceptauit, Primum acerrime de primatu Romani Pontificis: eius virtus consistebat in verbo: TV ES PETRVS: &, pasce oues meas: sequere me: & confirma fratres tuos, adiunctis multis autoritatibus Patrum: ego quid responderim videbis propediem. Deinde ad extremum veniens, totus inclinatus recumbit in concilio Constantiensi: quod damnarat Articulum Hus: qui

dixerat

dixerat papatum a Cæsare esse, quasi sit iure diuino. Tunc uelut in harena sua fortiter instabat, Boemos mihi obijciens et palam hereticum & patronum Boemorum criminans. Est enim non minus impudens quam temerarius Sophista. Mirum in modum hæc crimina, plus quam disputatio ipsa, Lipsenses titillarunt.

Ego rursum opposui, Græcos per mille annos & antiquos Patres: qui non fuissent sub Romani Pontificis potestate: quanquam primatum honoris ei non negarem. Et tandem de Concilij quoque autoritate disputatum. Ego palam fassus sum, esse aliquot articulos inique damnatos: vt qui essent Pauli, Augustini, deniq; ipsius Christi, apertis & claris uerbis docti. Hic vero intumuit vipera: & exaggerauit meum scelus: & pene insaniuit adulando Lipsensibus. Tandem probaui ex ipsius Concilij verbis, non omnes articulos ibidem damnatos esse hæreticos & erroneos: ideo nihil eum effecisse suis probationibus: & sic pendet ista res.

Tertia hebdomada, de pœnitentia, de purgatorio, de indulgētijs, de potestate absoluendi cuiuslibet sacerdotis disputatū est inter nos. Nam cū Carlstadio inuitus disputabat: me vero vnice petebat. Indulgentiæ sane ceciderūt funditus: & mecum per omnia fere

consensit: & in risum & ludibrium iuit patrocinium Indulgentiarum, cum hoc mihi sperararetur summa futuræ disputationis: denique fassus fuit in publicis concionibus, vt & uulgus intelligeret eum indulgentias nihili facere.

Fassus etiam dicitur, quod si de potestate Papæ non disputassem, in omnibus mecum facilime se fuisse consensurum. Denique ad ipsum Carlstadium dixit, Si cum Martino tantum mihi conueniret, quantum tibi: concederem & cum eo in suum hospitium. Ita est homo uarius & subdolus, omnia fieri promptus: denique qui Carlstadio concessit idem scholasticos doctores docere, mihi Gregorium Ariminensem, qui unus nobiscum contra omnes scholasticos sentit, reiecit: & ita idem pro diuerso tempore asserere & negare, nihil apud eum vitij est: nec Lipsenses id intelligunt. Tantus est stupor in eis. Atque quo maius sit monstrum, aliud concessit in Schola, aliud uulgo docuit in Ecclesia. Conuentus autem a Carlstadio cur sic uariaretur, respondit homo sine fronte: non oportere populum hæc doceri, quæ disputarentur.

Finita itaque mea disputatione rursum cum Carlstadio tribus diebus nouissimis disputauit: iterum omnia concedens & consentiens, quod facere, quod in se est, sit peccare: & quod liberum arbitrium sine

gratia

gratia nihil nisi peccare possit: & quod in omni opere bono sit peccatum: & quod facere, quod in se est disponenti ad gratiam, sit ipsa gratia. Quæ omnia Scholastici negant. Et ita nihil ferme in ista disputatione tractatum est saltem digne, præter propositionem meam decimam tertiam. Interim tamen ille placet, triumphat & regnat: sed donec ediderimus nos nostra. Nam quia male disputatum est, edam resolutiones denuo.

Lipsenses sane nos neque salutarunt neque visitarunt, ac uelut hostes inuisissimos habuerunt: illum comitabantur, adhærebant, conuiuabantur, inuitabant: denique tunica donarunt & schamlottum addiderunt, cum ipso spaciatum equitarunt: breuiter quicquid cogitare potuerunt, in nostram iniuriam tentauerunt.

Persuaserunt insuper Cæsari Pflug & Principi, ut hæc placerent. Vnum nobis præstiterunt, quod dono uini (pro more) nos honorarunt: neque id omittere illis forte saluum erat. Quotquot autem nobis fauebant, uelut occulte ad nos ueniebant. Inuitauit tamen nos D. Aurbach homo rectissimi iudicij, & ordinarius Pistor iunior: inuitauit & ipse dux Georgius nos tres simul.

Idem dux illustris me solo uocato multis mecum

egit de opuſculis meis, pręſertim de oratione Dominica, cauſans, quod Boemi de me multa præſumerent. Deinde cum oratione dominica ſuſcitaſſem multis cõſcientijs cõfuſionem: vt qui in quatuor diebus ne unũ pater noſter ſe orare poſſe quererentur, ſi me audiri oporteret, & multa alia. Nec ego erã tam ſtupidus qui non diſtinguerem inter fiſtulam & flatum: indoluiq; optimum & pijſſimum principem alienis ita patere & parere affectibus: quem uidebam & expertus eram ſatis principaliter loqui, quando ſua loquebatur.

Nouiſſimum inuidiæ monſtrum, cum ego in die Petri & Pauli uocatus eſſem a domino Rectore noſtro, duce Pomerano, ut Euangeliũ gratiæ ſuæ in ſacello caſtri pronunciarem: repente fama huius meæ concionis ciuitatem impleuit: conuenitq; vterq; ſexus copioſe: vt cogerer in aula diſputatoria concionari. Ibi diſpoſiti & vocati magiſtri noſtri & obſeruatores iniquiſſimi. Eſt autem id Euangelium, quod utriuſque diſputationis rem apertiſſime complectitur. Ideo ego totius diſputationis ſummã coactus ſum cunctis exponere, ſed in malam gratiam Lipſenſibus.

Poſt hęc, Eccius contra me ſubſtitutus, quater prędicauit in Eccleſijs diuerſis: & omnia mea proſcidit & vexauit plublice. Sicut enim Theologiſtæ ei mandarunt. Mihi rurſum, licet a multis peteretur, nõ eſt conceſſa

cessa vlla concio. Accusandus tantum & criminãdus, non etiam purgandus. Sic enim & in disputation egerunt, vt Eccius licet opponens esset: vltimũ tamẽ verbũ haberet, quod ego nõ possem dissoluere. Denique ipse Cęsar Pflug, cũ audisset me prædicasse (aberat enim) ait. Ich wolte Doctor Martinus hete sein predigt gen Wittemberg gesparet. Summa summarum: inuidiam aliquando noui, sed nullam inuerecundiorem & impudentiorem.

Sic habes Tragœdiam totã: cętera tibi D. Iohannes Planitzer. Erat.n.et ipse pręsens et nõ parũ effecit, ne caderet disputatio. Et quia disputatione ista Eccius et Lipsenses gloriã suam, non ueritatẽ quęsiuerunt: nihil mirũ si male inceperit & peius finierit. Nam cum speranda fuisset cõcordia inter Vuittembergenses & Lipsenses, hac inuidia fecerunt, timeo, ut discordia & displicẽtia primũ uideatur nata. Hic.n.fructus est glorię humanę. Ego qui freno quidẽ impetum meũ: non possum tamen omnem displicentiam euomere. Quia carnem habeo: & plus nimio fuit impudens inuidia, & maligna iniquitas in re tam sacra & diuina. Bene vale & me illustrissimo principi commenda. Quarta feria post Alexij. Anno M.D.XIX. R. P. Vicarium Stupitz in Grimmis inueni.

T. Martinus Lutherus.

REVEREN-

REVERENDO ET OPTIMO Patri, Iohanni Lango S.T. Magistro August: Erffurdiensi, Vicario mediastino eiusdem familiæ, suo in Christo maiori.

Recte eum uisitandi negocio supersedisse, quod id suum esse dixerit Vicarius generalis. Eius aduentum quottidie expectari: uelle etiam illum, ut de ea re quot poßint certiores reddantur. Eccium triumphatorem cum Duce Georgio ad montem S. Annæ ascendisse.

115.

SAlutem. Inueni, R. P. in Grimmis, Reuerendum Patrem Vicarium generalem una cum Magistro Vuenceslao, uisitaturũ conuentus, iuxta uicem suam. Et benefecisti abstinendo a uisitatione. Dicebat enim iam ad se pertinere. Prior ibidem absoluetur timeo.

Expectamus quotidie aduentum P: suæ ex Dresden aut Hertzbergk. Iussit ut aduentum eius tibi & quibus possem, notificarem, quod & tu facies. Eccius triumphat ubiq; : ductus a Duce Georgio ad montem S. Annæ, forte indulgentias ibidem resuscitaturus. Statim alia. Vale die S. Annæ. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus August:

OPTIMO

OPTIMO ET ERVDITO VIro: D. Georgio Spalatino, Illustrissimi Principis Friderici Saxoniȩ Electoris Imperij, eiusdemq́ Vicarij &c. a libellis & sacris suo, S.

Historica expositio de Lipsensi disputatione: cum quali aduersario, quibus conditionibus, de quibus rebus, denique quo euentu, concertauerit.

IHESVS.

116.

HIstoriam famosæ huius Disputationis, quam Lipsiȩ habuimus, optime Spalatine, cupis nosse, ea uel maxime causa, quod audieris Eccium nostrum, & eccianæ factionis aliquot homines iamdiu & secure triumphare, encomiaq́ cantare. Ego sane gaudeo, & gratias ago: si tam uera est uictoria, quam magna est iactantia. Quid enim christianis, præsertim theologis, magis optandū, quam ut ueritas triumphet, error traducatur? Sed rursus, quando unquam auditum est a seculo, hanc esse gloriam ueram et stabilem, quæ seipsam prædicat, & ante tempus iactat? nonne in hanc sunt Prouerbia edita: Encomium ante uictoriam: rumor ante salutem? Deinde illud triuij, propria laus sordet: & laudet te os alienum? Tum

BB Christus,

Christus, Si gloriam meam quæro, gloria mea nihil est. Et Prouerbiorum autor Salomon, hæreditas (inquit) ad quam in principio festinatur, in fine benedictione carebit. Iustus enim (ut scriptura dicit) in principio non est iactator, sed accusator sui: phariseus aũt primo est laudator sui, simul accusator omniũ aliorũ.

De Eccio nostro autem eo facilius credo, iactasse eum uictorias: quo iam olim mihi est ingenium hominis perspectum, ut gloriæ miserrimum mancipium: tum quod iam magis expertus sum, solere eum in disputatione magis criminari quam disputare, & more indoctorum declamatorum, tempus conuitijs & contumelijs hominum perdere. Ideo nihil mirum, si non nisi gloriam quærat. Mihi uero, qui iam duos annos patior multos eiusmodi uictoriæ iactantissimos & uanissimos gloriatores, rabidosq; criminatores, deinde contempsi, nescio, quæ tartara mihi intenta ta, pro minimo est, hanc eorum simulatam gloriam audire: quorum magis misereri, q̃ pigere oporteat. Nam si conscientia eorum idem gloriaretur: ne dubites, foris neq; gloriarentur, neq; criminarentur.

Tamen ut tibi satisfaciam, breuiter rem ipsam secundum ueritatem describam: & ita describam, vt intelligere possis, disputationem illam fuisse perditionem temporis, non inquisitionem ueritatis: deinde

Eccium,

Eccium, Eccianosq́ simulare in gloria aliud, & aliud sentire in conscientia. Nam quantum in Eccio fuit, fere nullus scopus tactus est: sin tactus est, non nisi notissimis & vulgo proculcatis argumẽtis certatum est. Nam Deus nouit, q̄ totam istam cõclusionum cohortem multo acrius et ualidius nostri Vuitembergenses duobus annis oppugnauerunt, et ita examinauerũt, ut ossa earum numerare licuerit: quas Eccius uix in facie cutis leuiter perstrinxit: nisi q̄ multo fortius clamauit vna hora, q̃ nos integris duobus annis: ac gestib. immaniter fastuosis & gloriosis, etiam seipsum clamatorem superare uelle uisus est. His enim moribus, sane quietis & tranquillis, pacificam illam, & in silentio ac mysterio profundissime quietissimeq́ latentem Theologiã quæsiuit hucusq́ ecciana modestia. Ita me Deus amet, fateri cogor, nos esse uictos clamore & gestu, hoc est, ecciana modestia: sic enim ipse uocat.

Verum, anteq̃ rem ipsam dicam, præfabor, & ueniam petam, si homines quosdam inuoluam pariter, libenter omissurus, si ipsi sese non inuoluissent sine causa, & ut dicitur, neutrales & indifferentes habuissent utrinq́. Ideo non mihi, sed sibi imputabunt, si tangantur & ipsi: quos par glorię studiũ, et inueterata iam diu inuidia coegit, pro Eccio contra nos machinari, nõ bonas machinas. Non sane omnes dico. Nam sunt in ea Academia præclarissima candidissimi &

rectorum studiorum optimi assertores: atque hoc ipso tamen nomine alterius illius fermenti hominibus, uelut sudes in oculis, & offendiculum a latere, ut Iosue uerbis dixerim: sed & prudentissimus senatus, ornatissimique ciues, tam absunt ab hoc maligno ingenio: ut nemo magis abominetur, hoc peruersum & bonis literis inimicum genus.

Omnium autem maxime laudandus est illustrissimus Princeps Dux Georgius: qui uere principali clementia & munificentia, nihil omisit, quod ad felicissimum huius disputationis fructum facere possit: si talis fuisset, ut pura ueritas, posthabita gloria, quęreretur: denique & sua splendidissima præsentia id negocij dignatus est mirifice illustrare, omnia cauens & monens, ut modeste & quęrendę ueritatis studio agerentur. Nihil ergo optimæ huic Academię me debere confiteor, quam omnem honorem, & omne officium: duntaxat inuidiam quorundam (ut sunt res mortalium ex nulla parte integræ) fateor mihi satis displicuisse.

Igitur hæc est siue tragœdia, siue comedia huius disputationis (quam satyram potius dixeris) primo ruptum est pactum, quo inter Eccium & nos conuenerat, ut libere disputaretur: & excepta per notarios in publicum totius orbis iudicium ederentur: quem-

tur: quemadmodum in literis vtrincp editis legitur. Nam voluit potius Eccius noster sine notarijs meris & liberis clamoribus rem agi: Consenserunt in idem suæ factionis viri. Vbi hoc obtinere non potuerunt, ad aliam pacti illusionem itum est, scilicet ne excepta per notarios ederentur, nisi Iudicibus nominatim & communiter electis oblata, accepissent sententiam. Additum est commentum, quo velut honestissimo titulo hoc fœdifragium apud idiotas ornaretur, uidelicet, oportere Iudices certos habere: quos si recusaremus, iam haberent, quo in odium vulgi nos traherent, & iactarent, nolle scilicet nos pati vllos iudices.

Ita solidissima veritas Eccij & Eccianorum metuit lucem & publicum, sibi scilicet optime conscia, quasi orbis & cuiuscp optimi uiri iudicium parũ sit: quo recepta sunt tam multa, quæ olim S. Patres dixerunt, scripserunt, disputauerunt. Fecerunt ita forte, quod iudices fore sperarent eos, quos in Academijs passim cõtra nos, pro se stare sciebãt: aut, quod magis suspicor, quod Eccius meus conscius sibi non intellectæ a se Scripturæ, latibulum huius conscientiæ hac ratione quæreret. Nam etsi est homo in literis humanis & opinionibus scholasticis varie & copiose eruditus: tamen sacrarum literarum, ego inanem inueni

disputatorem. Quod mihi pro modestia sua ignoscet: quia uerum dico: & suo tempore probabo: vbi ea nō suffecerint, quæ ipsemet in papyrum effudit testimonia imperitiæ huius credibilia nimis. Non quod mihi soli uendicem Scripturarum sanctarum scientiam (sic enim me solet criminari, quando aliud quod dicat, non est ad manum) sed quod arbitrer me in sacris literis tantum uersatum & exercitatum, ut de scholastici theologi scientia, qui sacras literas uix a limine salutauit, possim sine periculo pronunciare.

Altera machina fuit, Carolostadius, iam non noster, secum libros attulerat: cum sit honestissima disputandi & tutissima ratio, ex præsentibus Libris loca ostendere, & Dicta uel probare uel refutare: magno tumultu hoc Eccius noster detrectauit. Nam uidebatur cuiusdam compilatoris ingenio & opera fretus, multas consarcinasse autoritates S. Patrum, studioq; factionis suæ auxisse: vbi periculum erat, ne sicut aliquoties conuincebatur, ita semper conuinceretur, male induxisse dicta Patrum. Nam cum præcedentia & sequentia non uidisset (nec enim ueritas, ut dixi, quærebatur) ita alias aptauit ad propositum, ut nihil minus ualeret ad propositum, nisi quod delectabat eum aliquando & risum miscere auditorio.

Statuerunt itaq; pro Eccij uoluntate, Libros domi relin-

relinquendos esse: & solius memoriæ & linguæ uiribus, ac libertate disputandum, hoc est, quod optimi quidam dixerunt: hanc disputationem non de ueritate, sed de laude memoriæ & linguæ agitari. Prætexuit tamen & hic Adam ille, folium fici pulcherrimum, quod sane nullus, nisi sit stipes, intelligat: uidelicet, puerile & ridiculum esse, theologum e Libris aut schedis disputare. Et mirum, quam blandum sibi uulgi murmur hoc ingenio inuenerunt, quod de his rebus iudicat, sicut de puerorum scholasticis exercitamentis: quasi non & Augustinus contra Manichæos & Donatistas collatis Libris pugnauerit. Verum, ueritatem ille quærebat, non gloriam.

Prætereo, quod Eccio necesse fuit ultimum uerbum cedere, siue opponeret, siue responderet, ut sic argumenta insoluta, facilius uictoriam simularent. Tum si alicui rei finiendæ dictus fuisset dies, liberum illi fuit hoc non obseruare: nos religiosos & obseruantes esse oportuit. Breuiter, qui pugnatum uenerامus contra errores & hæreses, cum inuidia & uana gloria negocium habere coacti sumus. Nam quod ad me pertinet, cum me tot concionibus in populo fabulam & sibilum faceret, ita uolentibus suis squamis, libens transeo, ut qui nihil æque optarim, quam nominis mei obliuionem. Nec sic tamen quidquam promouerunt,

mouerũt. Nam velint, nolint, testari coguntur et ipsi, D. Bodenstein propositiones, domum saluas rediisse: nec vna vel syllaba refutatas: quas etiam crudas deuorare Eccius statuerat.

Quin egregius iste scholasticorum Doctorum patronus, quo caueret, ne victus videretur, inter dispu tandum Protheũ imitatus subito, ea quæ in principio magno impetu impugnarat, in fine omnia concessit, imo affirmauit, tum præoccupans gloriatus est, quod in sententiam suam Carolostadiũ pertraxerit, audens etiam hoc dicere, scholasticos Doctores nunquã aliter docuisse & sapuisse. Quod cum sentiret impudentius dici, quam audire possit quicunq; Scholasticos legisset, sic sane temperauit, vt Scotum cum Scotistis suis, & Capreolum cum Thomistis suis constanter negaret, antiquiores Altisiod. Bonauen. & nescio quos autores allegans. Credo autem, quod hæc suæ farinæ hominibus magnæ cruci fuerint: etsi risum miserrime simularẽt, cum Ducem suum, tam fortiter aggressum certamen relictis signis, mox senserunt (si tamen senserunt) desertorem exercitus & transfugam factum. Nam id Carolostadio satis erat, scholasticorum doctorum tres celebriores Sectas fuisse ab Eccio eadem hora negatas: quas nisi negasset, Pelagianus Ingolstadium reuersurus erat. Certum est enim, Modernos

(quos

(quos uocant) cum Scotistis & Thomistis in hac re (id est, libero arbitrio & gratia) consentire: excepto uno Gregorio Ariminensi, quem omnes damnant: qui & ipse eos Pelagianis deteriores esse, & recte & efficaciter conuincit. Is enim solus inter Scholasticos, contra omnes Scholasticos recentiores, cum Augustino & Apostolo Paulo consentit.

Nam Pelagiani, etsi sine gratia opus bonum fieri posse asseruerint: non tamen sine gratia cœlum obtineri dixerunt. Idem certe dicunt Scholastici, dum sine gratia opus bonum, sed non meritorium fieri docent: deinde super Pelagianos addunt, hominem habere dictamen naturale rectæ rationis, cui se possit naturaliter conformare uoluntas: vbi Pelagiani hominem adiuuari per legem Dei dixerunt. Nec hanc metamorphosin ecciano ingenio alienã existimes: est in ea promptissimus. Nam hac die quidem cum Gregorio (ut dixi) sensit & Carolostadio: rursus altera mecum congressus, eundem mibi Gregorium in eadem etiam materia negauit, propter articulum Hussiticum in Constan. Concilio damnatum. Ita uere mirificus est, & cui non uiderim similem, disputator Eccius, apud quem nihil sit uel periculi uel uitij. Gregorij Arimi. sententiam cum D. Carolostadio contra omnes Scholasticos pugnantem, pro Scholasticis amplecti,

eundem rursus pro Scholasticis eisdem, in eadem re repudiare. Sic habes victoriam, qua gloriatur Eccius, gloriaturque suum fermentum: quod negatis fere omnibus scholasticis doctoribus, quos tutandos susceperant, cum Ecclesiasticis consentiunt.

Sed & nos Vuittembergæ scribamus scholasticos Doctores, si cum tenebris suis, id est, lumine naturæ secundum Eccium, Aristotele negentur, posse conuenire cum Ecclesiasticis. Verum hanc negandi rationem, & pernegationem concordandi Vuittembergæ ignorantes, Lipsiæ didicimus: quam & tibi & omnibus qui uolunt, ecce libenter communem facimus. Primum, ut in exordio disputationis, alicuius dicta fortiter impugnes, protestatus etiam per publicas schedas, te contra nouam doctrinam pro ueritate fidei & honore S. Ecclesiæ pugnaturum, ita ut montes parturire putentur: tamen in negocio sensim & subdole cedens, ne quis te fictum sentiat, idem constanter affirmes, & simul uicisse glorieris. Deinde multa cõfidentia fingendum tibi est, nullum eorum, qui adsunt, habere uel memoriam uel sensum communem: ut libere queas dicere, te ab initio ita sensisse: & hanc non nouam, sed veterem esse doctrinam, nihil moratus interim, si amiseris totum exercitum Doctorum, quos defendere proposueras. Atque hic quidem est

modus

modus & euentus Carolostadianæ & Eccianæ disputationis.

Post hæc mecum congressus est, de primatu Ro: Pontificis, de purgatorio, de indulgentijs, de pœnitentia, de potestate absoluendi cuiuslibet sacerdotis. In quibus omnibus quid fecerimus, suo uidebitur die. Nam de me parcius mihi dicendum est, ne mihi præco fiam: interim hoc dico, quod de pœnitentia & purgatorio ipse pene ignoro, quantum dissenserimus. Nam pœnitentiam incipere ab amore iusticiæ, laudabile quidem esse, sed non necessariũ uoluit: quod ego omnino necessarium assero usq; adhuc: cum ante gratiam (quæ est charitas) non possit fieri vllum opus bonum, ut ipsemet concesserat. Causa dissidij mihi visa est, quod ille multis autoritatibus inductis, pœnitentiam a timore etiam seruili incipi cõtenderit, uel ignorans uel dissimulans, quod seruilis timor in hac uita non penitus tollitur. Ideo etiam infusa gratia, quæ incipit pœnitentiam, timorem seruilem commouet, simul operans timorẽ filialem, cum sint opera Dei terribilia, dum viuificaturus occidit &c. An autem animæ essent certę de salute, et gratia in eis augeretur, dixi me nescire, iuxta disputationem meam in Resolutorio: necdum ipse demonstrauit contrarium. Ita adhuc media pendet sententia.

De Indulgentijs pene concordamus, quæ & prope in risum abierunt: siquidem & ipse palam in uulgus quoque concionatus est: non esse quidem eas contemnendas: nec tamen in eis fidendum: quomodo si fuissent per Indulgentiarios prædicatæ, nec Lutheri nomen hodie ullus forte nosset: sed & in seipsis iam diu corruissent, morientibus pre fame Commissarijs: si populus nouisset, non esse in eas fidendum. Itaque quam ego fore putabam summam disputationis & rem omnium periculosissimam. Adeo sine negocio confecimus, ut nihil fere segnius tractauerimus: imo nunquam infelicius & miserius habuerunt indulgentiæ.

Sermo Lutheri uernaculus de indulgentijs.

Quare satis tutus mansit Sermo meus de indulgentijs uernaculus, cum his quę in Resolutorio & contra Siluestrum in hanc rem scripsi: licet uel more suo, uel iussu fermēti sui non potuerit eum irreprehensum relinquere, causans quod deciperem homines uerbis meis: & uitam nouam & crucem, quam a Deo requiri in peccatore, dixeram, tam profundus theologus non intellexit, includere omne genus mali etiam mortis in hoc mundo. Nec mirum, quia non Scripturas, nec tropos eius, sed lumen naturæ, Aristotelem, & illuminatos eodem lumine Doctores duntaxat legit: & tamen uelut Moab arrogantissimus plus

præsumens

præsumens, quam posset, omnia, quæ unquam dixissem, calumniari & traducere conabatur.

Proinde miror, quid nunc dicturi facturiq; sint fratres illi, qui me passim apud principes & vbiq; terrarum hæreticum, & nescio quot nominibus criminati sunt, propter indulgentias, tum Schedulas satis amplas disputationis contrarias, magno (ut dicitur) stipendio, alienoq; studio paratas, inuulgarunt, & Christi populum suis impudentibus imposturis, & in anima seduxerunt & in corpore rebus suis spoliauerunt: cum uideant causam istam ita friguisse in hac disputatione, quam inferno ardentiorem esse voluerũt. Sufficit mihi, quod summa causę cecidit in felice Lipsia, & omnium iudicio indulgentiæ, clamatoresq; earum ridiculum fuerunt.

De primatu Romanę Ecclesię acrius certatum est. Ego primatum honoris non negaui, nec potestatis dedi, saltem iure diuino, nihil repugnaturus, imo constanter confessurus ac defensurus: si facto uel iure humano eum habeat. Nihil enim minus quæro, quam ne a summa sede S. Petri & Pauli ulla causa quisquam recedat, aut obedientiam debitam subtrahat. Solum ne tot S. Patres in cœlo regnantes, qui in Oriente uiuentes, sub Romana sede non fuerunt, contra ius diuinum egisse concedam. Ille cõtra, iure diuino utrun-

que conatus asserere, cum multas autoritates Patrum conueheret: inuentum tandem est, eos ambiguos & uarios esse, in alteram sententiã aliquando uideri inclinasse: quanquam pro me robustius & locupletius sentirent, præsertim ubi id agunt ex animo, ut Euangelium interpretentur.

Iam illud Matth. 16. Tu es Petrus, item illud Iohan. Pasce oues meas, &: Sequere me, item Lucæ. 22. Confirma fratres tuos, & nonnulla minus ad rem, quam hæc, facientia, cum non urgerent: tandem confugit ad conciliũ Constantiense, plena fiducia, quod esset illic determinatum contrarium: & sententia mea inter articulos Huss & Vuickleff damnata. Hic totus immoratus anhelabat, quo poterat odiosius mouere inuidiam: quia aliud non habuit, quo suo fermento palparet blandius. Vbi enim defecit in iure diuino, cucurrit ad ius humanum, probaturus per ipsum ius diuinum: neq; sic tamen rideri oportuit, quæ tantus theologus tentaret.

Cui ego duo Concilia antiquiora & celebriora, Nicenum & Aphricanum, contra vnum opposui: deinde & ipsum Constantiense non recte fuisse ab ipso & fermento nequiciæ (cui tum seruiebat) intellectũ. Nicenum enim concilium decreuit, Romanum pontificem debere curam habere ecclesiarum suburbanarum,

narum, ſicut Alexandrinum Aegypti: deinde Epiſcopos, non ut modo, ex vrbe emptis palliјs & poteſtate, ſed per vicinos Epiſcopos ordinandos eſſe, vt lib: Eccleſia: hiſto: 10. ſcribitur. Hic uero anguilla iſta, aiebat, hoc ut fieret, permiſſum eſſe a Ro: pontificibus, fingens (ut ſolet) ex capite proprio gloſſas nouas: quaſi non impiјſſime & hæreticiſſime feciſſent, tam Romani pontifices, quam Nicenum concilium: ſi vel ſtatuerent uel permitterent, quod eſſet contra ius diuinum. Nam ſi eſt ius diuinum, Romanum pontificem omnia in omnibus eccleſiјs poſſe: non eſt in eius poteſtate permittere contrarium, vel vna hora fieri: nec in conciliј poteſtate contrarium, aut de Romano pontifice, ut inferiore ſuo diſponere, aut diuerſum, aut aliud ſtatuere: non magis certe, quam in poſtate eius ſit, permittere aut ſtatuere ſtupra & adulteria licere. Ita fiebat, ut miſer Romanæ poteſtatis tutor & patronus, primatum hunc tueri non poſſet: niſi blaſphemaret, tum ſacratiſſimum Nicenum concilium, tum ipſos Pontifices, dum eos ſoluiſſe ius diuinum aſſeruit. Quid eſt hæreticum & blaſphemum: ſi hæc eccíana modeſtia non eſt hæreſis & blaſphemia? Sed ſic loqui debet, qui loquitur, ut hominibus placeat.

Iam cum concilium Aphricanum, ut habetur

diſt. 99.

dist.99.C.Primæ,prohibuisset Rom: Pontificem appellari vniuersalem Pontificem, dicens in hunc modum: Vniuersalis autem Pontifex nec Romanus appelletur. Hic sibi temperauit quidem a blasphemia, non dicens, quod cõtra ius diuinum aliud permissum aut statutum sit: sed glossam certe tanto theologo dignam effinxit: quam non ponerem, nisi eam scirem gloriæ auidissimo disputatori satisfacere, & gloriam absolutam ei parere. Dixit enim, etsi Rom: Pontifex non sit appellandus Vniuersalis Pontifex: tamen appellari debet uniuersalis Ecclesiæ Pontifex. Risum, quæso, teneas amice: sine suum fermentum ridere. Nemo enim dignius rideat ad tam insignem glossam. Ego glorior me tot expensis, non frustra Lipsiæ moratum, saltem hoc didicisse, Non est vniuersalis, est tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus. Non est forte etiam Moguntinus: est tamen Moguntinæ Ecclesiæ Episcopus.

Hæc ad mea duo Concilia ille opposuit. Nam Nicenum per uerbum, permisit, Aphricanum per nomen, Ecclesię, soluit. Adeo facile est Magistris nostris eximijs magnas quæstiones soluere, & etiam Conciliorum autoritati detrahere: qua tamen mirum est, quod soleant alios strenue ad hæresin adigere.

Nunc uide, an ego melius uel peius ad suum unicum

cum responderim: certum est, non omnes articulos Constantiæ damnatos, esse hæreticos: sicut temerarie & impudenter latrabat Eccius. Quod probo euidenter, primum ex ipsius concilij uerbis, quæ sic habent: quidam ex eis sunt notorie hęretici, quidam erronei, alij blasphemi, alij temerarij & seditiosi, alij piarum aurium offensiui. Hæc ibi. Nonne clarum est, hęc uerba esse eorum, quos hæreticæ prauitatis inquisitores vocamus: quos in eo Concilio apparet tyrannidem obtinuisse? Nam horum pene alia non est vox, quam hæc: ista propositio est hæretica, ista scandalosa, ista seditiosa, ista offensiua: uel certe Spiritum sanctum nimio præsentem, illis ludentibus aut dormitantibus, vigilasse: ut coacti sint omnino imprudentes propria voce testari, se quosdam damnasse, nec hæreticos, nec erroneos, ac per hoc catholicos, christianos & ueros. Nam si dixissent sine discrimine, omnes esse & hæreticos simul & erroneos, simul temerarios, simul offensiuos: non pateret ueritati locus aut fuga. Nunc ipsi discernunt hereticos ab erroneis & ab utrisque temerarios & seditiosos.

Dicam ergo, quid ad me, si temere & offensiue loquar, modo uere & catholice loquar? Tuo te urgeo gladio, alios hęreticos dicis, ut quos in fidem peccasse certum sit, alios erroneos, forte, qui in mores & statu-

ta hominum peccent. Iam de reliquis triumphamus, eos neq; in fidem, neq; in statuta morum peccare: etsi forte teneras auriculas, ueritatis impatientes, mordacius offendant: sufficit quod sint fideles & ueri. Semper ita fuit, quod ueritas esset temeraria, mordax, seditiosa, & offensiua. Ita ego credo hunc unum esse offensiuorum: Ro: pontificem non esse iure diuino dominum omniũ in potestate. Quid enim atrocius offendit? quid magis temere dici hodie, & a multis annis potuit? Ita & ille in auribus, Thomistarum offensiuus est, quem Gregorij Ariminensis esse, imo Pauli & Augustini supra esse dixi: omnem scilicet actum hominis esse, aut bonum aut malum.

Ego quidem rogabam mihi donari, ne omnes articuli a cõcilio damnati dicerentur, sed ab aliquo Thomista quosdam christianissimos intrusos: ut est iste: Omnis actus hominis aut est bonus aut malus: sicut omnis arbor, aut est bona aut mala, iuxta Euangeliũ: sed noluit. Verum quid ad me, quod Thomistæ offendunt ueritate? sufficit, quod sit neq; hæreticus, neq; erroneus. Aut si est hæreticus & damnatus: iam quid Eccius faciet, qui contra laudabile illud concilium Constantiense pro laudabili eodem concilio disputans, concessit Carolostadio, ipsum esse uerum & catholicum: nec scholasticos doctores aliter sapuisse: ve

dixit

dixi supra. O horrendum facinus, quod ecclesiæ sanctæ patrono, sit intolerabile: quod Bohemorum & hæreticorum (ut eius uerbis tonem) patronus cum concilio contra concilium sentit: & cum suis doctoribus christianus sit, hæreticus efficitur. Sed ut dixi, eccianæ modestiæ priuilegium est, sibiipsi libere dissentire, & in re eadem contradictoria tenere: sicut & Viennæ fecisse se testatur, & forte etiam Bononiæ.

Claret ergo, concilium Constan. non contra me pugnare: nec hæreticum, nec erroneum, imo catholicum & ueracem ex eodem me probari: vt sic stet concordia cum Niceno & Aphricano concilio & Constantiensi. Quod autem hæc non uidet Eccius, & sua farina, deinde & hæreticæ prauitatis inquisitores: in causa uidentur esse, quod omnes hi promptiores ad contumeliam hæretici opprobrij sunt, quam tantos decet populorum magistros: & hac cæcitate percussi, sicut Scripturas sacras & S. Patres legunt, ita & omnia alia, hoc est, non cogitant quam bene & quam diligenter, sed ad quantum odium & inuidiam aliorum legant. Ideo quidquid alienum a suo sensu audierint, mox hæreticum quoque affirmant: suam iuxta & oscitantiam in legendo, & temeritatem in iudicando omnibus ludibrio exponentes.

Deinde, si non placet ista conciliorum concor-

dia & pertinaciter mihi Constan. vnum contra duo obtendatur: iam non difficile mihi erit statuere, utrius autoritas debeat præponderare. Nam cum Concilium possit errare: potius Constan. quam Nicenum & Aphricanum errasse confitear: quod hæc longe felicius, quam illud processerint & egerint; ac iam diu sacris Euangelijs etiam præ cæteris concilijs comparata sint, presertim Nicenum: ad quam gloriam Constantiense necdum peruenit. Et in hoc imitabor nouissimum Ro: Concilium, in quo Basiliense damnatũ est, & Constantiense quoq; passum non parua suæ autoritatis detrimenta, dum Papam supra concilium esse sanxit, cuius contrarium in Constantiensi definitum est. Atq; ita inuicem sese reprobantia concilia, interim satis nos tutos reddunt, & liberos ad contradicendum utrisq;. Quæ enim sibi dissident, cui conuenient? Atq; hæc latius, Deo dante, cum Eccius in publicum se dederit.

Verum, quando, ut dixi, hac disputatione magis tempus est perditum, quam veritas quæsita: volo propositionum mearum resolutiones in lucem dare, confisus, maiorem cognitionis fructum hinc prouenturum, quam si bis septies ad hunc modum disputetur. Quare, si cui uidear errare, age, confutet errrorem, si odit: aut rectiora doceat, si diligit.

Habes,

Habes, mi charissime Spalatine, historiam fere totam. Nam si qua alia non dixi: ad reuerentiam Academiæ Lipsensis, mihi charissimæ, non dixi; ne regis Idumeæ ossa ad cineres redigerem. Quanquam nisi scirem hoc meis peccatis debitum, satis indigne ferrem, me tam sterilibus negocijs occupari de indulgentijs, primatu & priuilegijs, alijsque ad salutem nihil necessarijs rebus: quibus ab optimis nostro seculo studijs auocor indignabundus. Nam ut illustriss: Princeps dux Georgius, prudentissime ambos nos uerberans dixit: siue hoc sit iure diuino, siue humano, Ro: Pontifex est, & manet summus Pontifex. Ita uere dixit, & non leuiter inutilem hanc nostram disputationem insigni hac modestia taxauit.

Persuasus uero sum, vbi hæc uiderit Eccius meus Eccianaque factio, statim uociferaturos esse, non seruasse me fœdus, nec conuentioni paruisse: vbi cautum est, ne disputatio inuulgetur ante decretum iudicum. Quasi vero ullum pactum nobis unquã seruauerint ipsi. Respondeo tamen, me conuenisse, ne per nos disputatio euulgetur, ea quæ manu notariorum excepta est. Cætera vero exemplaria: sicut permittebatur cuilibet, sibi eadem colligendi potestas, quis prohibebit ne edantur? Sed esto, nec ipsa edantur: meum Notarij exemplar non edetur, pulchre ita seruato pacto.

Verum, ne præterea scriberem, non pepigi: imo palam protestatus sum, cum iniquioribus nostram libertatem conditionibus vexarent, ne præsumerent, me taciturum: itaq; nolo tacere.

Sed finge me ita pepigisse, rogo, vter primo soluit pactũ? Nonne Eccius, qui, ut audio, ampullosis & iniquissimis literis, etiam illustriss: Principem & Patronum nostrum (quem suæ factioni stupidissimæ similem somniat) corrumpere molitus est, pessima de me, quantum potuit, recensens. Quasi negassem S. Patrum simul omnium sententias: mihi soli arrogarim Scripturæ intelligentiam: concilia negarim: hæreticos defenderim. His enim mendacijs, homo ille purus & S. Theologus, tam sacrum & venerabile caput ausus est tentare: & me coram optimo Principe tam egregie commendare. Quid ad alios putas, scribit & loquitur (sine scilicet pacti uiolatione) qui ad nostrum Patronum ista scribit? Aut quid apud æmulos meos uerum dicet: quid ad talem, tam prudentem, tam formidabilis iudicij Principem, mentiri nihil pudet?

Audio denicq; conflasse eum quasdam interpretationes super articulis quibusdam, mihi per inquietos & mali sui cupidos fraterculos impositis: atque iterum me coram Magnatibus, mira charitate Manichæum,

thæum, Hussitam, Vuicklefistam, & nescio quot generibus hæreticum descripsisse. Sic solet ecciana modestia seruare pactum. Verum hanc suam insaniam mihi facile est contemnere: qui norim hominis ferme totam suppellectilem. Atque ubi illa sua genimina in manus meas venerint: spero quod Eccium meum digne & magnifice tractare possim: si qua tandem via intelligere possit, quid sit multa pacisci, & nihil seruare, & tamen ab alijs seruanda expostulare, atque his omnibus aliud nihil quærere, quam ut noceat, & ueritatem conculcet.

Interim sufficit mihi, q carnifex illa conscientiarũ theologistria, cui totum debeo, quod mea conscientia patitur, cecidit in hac disputatione. Nam prius didiceram, meritum aliud esse congrui, aliud condigni: facere hominem posse, quod in se est, ad obtinendam gratiã: posse remouere obicem: posse nõ ponere obicem gratiæ: posse implere præcepta Dei, quo ad substantiam facti, licet non ad intentionem præcipientis: liberum arbitrium posse in utrunque contradictorium: uoluntatem posse ex puris naturalibus diligere Deum super omnia: posse ex naturalibus haberi actum amoris amiciciæ: & id genus monstra: quæ pro primis ferme principijs feruntur scholasticæ Theologiæ, & omnium libros & aures impleuerunt. At nunc hi omnes

hi omnes errores, sub Ecciano præsidio & triumphabundis signis, satis strenue ceciderunt, sine ullo ferme marte, conterriti ad solum conspectum duarum propositionum illarum: quarum prior hæc Augustini, Liberum arbitrium sine gratia nihil valet nisi ad peccandum: posterior Ambrosij hæc, Liberum arbitrium sine gratia tanto citius propinquat iniquitati, quanto fortius intenderit actioni.

Similia trophæa & spolia retulerunt ferme & indulgentiæ ex hac pugna, quas non mitiore (ut garriunt) sententia utiles esse admisi: sed vtiles solum pigris & stertentibus. Cæterum insaniam esse defendi, si quis eas bonas et utiles esse christiano homini dixerit. Hæc, inquam, mihi interim satis sunt euenisse ex hac disputatione: quæ ideo recitaui, ut iactantiam gloriosam Eccianæ hæresis aliquantulum iuuarem. Cætera ubi hæc quispiam eorum impetierit, fortasse dabit Dominus in lucem uenire.

Vidisse te credo Eccij excusationem aduersus Philippum nostrum satis dignam Ecciano ingenio: in qua homini etiam in sacris literis, terq; quaterq; omnibus Eccij doctiori, deniq; & sordidæ illius eccianæ Theologiæ non gnaro, opprobrat pro magno uitio grammaticam professionem. Tam recto sunt iudicio Magistri illi nostri eximij, ut eruditionem metiantur

secundum

ſecundum qualificationes ſuas, & inanes titulos. Conatus eſt & eundem mihi inuidioſum reddere: dum mihi & ingenium & eruditionem, neſcio quantam tribuit. Nam ut hoc etiam ſcias, me quoq; nonnihil gloriæ retuliſſe ex diſputatione iſta: tribuit mihi Eccius eruditionem: tribuunt & Lipſenſes: adeo (quantum fama cepi) ut niſi Eccio, ſubſidiarias opes ſuffeciſſent ipſi, fateantur Eccium a me fuiſſe proſtratum: atq; ita uictoria iam ab Eccio in Lipſenſes incipit migrare. Rurſus dicitur, illum magnificum contemptorem Lipſenſes habuiſſe, pro bonis quidem hominibus: ſed in quibus longe plura ſperaſſet: & ſe ſolum omnia feciſſe.

Ita uides nouam quandam Iliada & Aeneida illos cantare, & me ſaltem Hectora & Turnum arbitrari: quo illum, Achillem & Aeneam ſtatuant: niſi quod in hoc uictoria fluctuat, an ſuis id Eccius præſtiterit, an Lipſenſium viribus & copijs. Certum eſt ipſum ſolum ſemper clamaſſe: illos autem ſemper tacuiſſe. Putas ne magnas me illis debere gratias?

Sed redeo ad Philippum, quem tantum abeſt, vt vllus Eccius mihi reddere poſſit inuidioſum: vt in omni mea profeſſione nihil ducam antiquius Philippi calculo: cuius vnius iudicium & autoritas mihi ſtant pro multis millibus ſordidorum Ecciorum. Neque me

pudet, etsi magistrum artium, philosophiæ & theologiæ, & omnibus pene Eccij titulis insignem, si huius mihi Grammatistæ dissenserit ingenium, meo sensu cedere. Quod & sæpius feci, & quotidie facio, ob diuinum donum: quod Deus in hoc fictile uasculum (Eccio quidem contemptibile) larga benedictione infudit. Philippum non laudo: creatura est Dei, & nihil: sed opus Dei mei in ipso veneror: nec Eccium uituperor: sed crassas istas seminandæ discordiæ & inuidiæ concitandæ uafritias toto corde detestor abominorq;: quas neq; frequentiores, neq; maligniores usq; uidi, quam in Eccio: quibus & pene totius nostræ disputationis farraginem fermentauit. Nam hac vna sola pene re pessima, potens est Eccius, ad rem theologicam ὄνος πρὸς λύραν.

Sed iam ad Resolutiones accedo: tu interim curato ut illustrissimo Principi Eccium commendes: sicut seipsum comendari meruit: quanquam nihil hoc officio sit opus apud tantum Principem.

Vale. Vuittembergæ, Anno M.D.XIX. Assumptionis Mariæ.

Martinus Lutherus.

MARTI-

MARTINVS LVTHERVS Iohanni Eccio S.

Eccius aduersus superiorem Lutheri epistolam, de disputatione Lipsensi, expurgationis titulo scripserat. Eam scriptionem Lutherus hic redarguit: & authorem eius in disputando à Carlstadio uictum esse, & se uera scripsisse demonstrat: simulq; hominem ex fraude & mendacio compositum ostendit.

IHESVS.

117.

VIX credas, quanto leuaris onere cor meum, mi Ecci, quamq; perplexa me solueris cura, hac tua expurgatione: ita ut si vnquam mihi profueris, nunc maxime profueris. Neque mihi uideor scripsisse aliquid, quod magis cesserit ex sententia, quam Epistola de Lipsica disputatione: quam tu magnis criminationum cataractis ac perpetuo uelut maledictorum diluuio persequeris: cum illa interim sicut arca Noe mihi super omnia natare uideatur: fecit illa quod uolui: inuenit, quod quæsiui: fecisti & tu, quod speraui.

Miraris unde hoc luxurians tripudium? Audi, hucusq; misera & inquieta uexatus sum conscientia, præcepto Dei confixa: quo non licebat libere de te

 sentire,

sentire,& dicere,quæ tot argumentis mihi mouebantur, tot uirorum integerrimorum testimonio firmabantur:tam ualide mihi obstabat,præsertim in publico,species illa tua & simulatio speciosissima:qua amicum Lutheri, ueritatis syncerum & apertum amatorem, te passim uenditabas. At bene habet: Expurgatio tua,uelut medium Comicum,has omnes turbas dispulit ac sedauit: qua omnibus qualis fueris & sis, palam ostendis. Ea sane paucula,quæ ceu perizomata contexis, quibus modestiam charitatemq; etiam cum iuramento tibi affingis,talia sunt,vt criminationum tumultibus & tempestatibus collata, quendam ridiculum Struthionem referant. Huius enim animantis eam ferunt esse stulticiã: vt se totam credat tectam esse: si vna fronde collum texerit. Ita & tu totus criminatio & impatientia,uno & altero uerbo te,rotundæ modestiæ & charitatis exemplar proponis. Verum hæc eant,quo eunt.

Ad id,quod magis detestor,veniemus, id est,ad simulationem tuam: ne videar te penitus contempsisse: atq; dilatis cæteris,quæ in epistola mea dilaceras, pro tempore solam eam partem accipio: in qua & tu maxime es negociosus:et res totius pene summa pendet: nempe quod propositiones Carolostadij, præsertim duas priores,prima disputatione tractatas, dixi a te

xi a te concessas: & inde quæ sequuntur, ad illas intuli. Interim tu fortiter para, quibus articulos Iohannis Huss a me assertos, & concilium Nicenum pro me fecisse, coarguas: Sed heus memor esto, non in theatro Lipsensi te fore: et ad laudem Lipsensiũ uel tuam nihil sequi in bona consequentia & extra Lipsiam: scito quoq; Lutherum iam non captiuum tuum, nec in terra inimicorum, in sua harena consistere: &, quod spero te facere, ante omnia Christum roga, quo solus ipse, qui ueritas est, nobis certantibus vincat, gloriamq; nostram perdat, Amen.

Attende itaq; quid quæram.

Has propositiones Carolostadij duas, nonne obtulit defendendas? Liberum arbitrium ante gratiam non ualet nisi ad peccandum. Liberum arbitriũ sine gratia tanto citius propinquat iniquitati, quanto fortius intendit actioni.

Verum ne hic dico? Quid autem amicus ueritatis zelosissimus & apertus impugnare ueneras nisi errores? Sic de teipso iactas. Falsas ergo has propositiones tenebas & teneri uolebas. Si enim veras putabas: cur impugabas ueritatis defensor?

At in media disputatione, ueras esse concessisti, libere pronuncians, liberum arbitrium sine gratia non

 posse,

posse, nisi malum facere. Addebas: nec scholasticos Doctores unquam aliud docuisse: ob idque negabas te Scotum, Capreolum tueri. Hæc dico, non timens tuos Lipsenses: quos toties mihi frustra intentas: testis est horum omnium totum auditorium. Ego sane hæc audiens, gaudebam, tam cito te rediisse in uiam: atque iam totius disputationis finem esse ducebam: quando ex hac rei summa fere omnia pendebant.

Hæc itaque rei summa est, quam nunc agimus: quare & epistolæ meæ rationem audi. Ego eum disputatorem uinci iudico, qui id asserat quod prius impugnauerit. Ita pronunciaui & pronuncio, Eccium uictum, Carolostadium uictorem: & hoc ad nobilissimum uirum Pyrcheymerum Nurmbergensem scripsi, staturam uictoriam Carolostadio: & illud scheda publica, Carolostadium non fugitiuum militem (sic eum tu traduxeras) uenturum, uictorem Ecciani erroris iamdudũ. Omnia hæc uera sunt hodie quoque: etiamsi iudices aliud iudicarent, quod non spero.

Hinc intuli omnia, quę ad ueritatem hanc sequuntur: licet tibi indignissima uisa (quod miror) nempe quod tres sectas scholasticorum doctorum nobiliores negaris: qui liberum arbitrium ante gratiam nullum actum meritorium: tamen actum, qui non sit peccatum, & qui gratiã de congruo emereatur, tribuunt.

Item,

Item, articulum Iohannis Hufs (cuius multo plures nunc teneo, quã Lipsiæ tenebam, ut suo die ostendam) christianissimum esse, & tuum: in quo censentur actus humani diuisione immediata, aut boni aut mali. Hic enim euidenter sequitur, si ante gratiam nõ nisi peccat liberum arbitrium, sicut & sectas Doctorum scholasticorum errare sequitur, in suo congruo actu. Stat enim uerbum illud, non nisi ad peccandum ualet liberum arbitrium sine gratia. *

Intuli quoq; uerissime, te Pelagianum hæreticum fuisse reuersurum Ingolstadium: nisi confessus fuisses hanc sententiã, quod uerissime sit Pelagianum, actum sine peccato liberum arbitrium dare ante gratiam, ut faciunt Scholastici. Non quod ideo Pelagiani sint, sicut Dialectica tua solitas ducis consequentias: quia non pertinaciter errauerunt: sicut tu fueras erraturus, si erroris defensor permansisses. Ideo calendarium illud doctorum seu catalogus, tuæ est acutissimæ Dialecticæ testimonium fidele, quæ semper latius clamat quam uideat.

Insuper duxi, cecidisse Theologistriam carnificem de merito congrui, de facere quod est in se, & cætera illic censita. Quia ante gratiam nõ nisi peccatum esse, datum erat: peccatum autem ad gratiam congruum nunquam esse queat. Belial enim Christo non congruit.

congruit, nec tenebræ luci. quin potius peccatū gratiæ aduersatur. Omnia, inquam, hæc uera sunt, si Carolostadius uerus est, ut Eccius dedit. Quod si tu, mi Ecci, aliam habes Grammaticam, sicut vere aliam semper habes Dialecticam, ut victus, uictor, ueritas, error, breuiter, res & uocabula tibi ad placitum nouo Mercurio seruiant: debes nobis esse propicius, nec ægre ferre, si nostra utamur: quando permittimus te uti tua. Ita hucusq; sapui & sapio.

Sed scio quid hic cogites. At noli interim, mi Ecci, rumpi: mox adero cogitationibus tuis, hoc primū prefatus, quod cetera de actiuitate liberum arbitrium et alia quedam, in quibus tantum perdidistis tempus, leuiora fuerunt, quam ut disputationem theologicā, præsertim talem ac tantam mererentur. Sufficit de summa inter nos conuenisse, liberum arbitrium bonum Deo & gratiæ soli deberi, sine qua non possit nisi peccare.

Quando autem tu negas illa, quæ intuli, & mendacia asseris: duo cogito: aut te subdole omnia Lipsiæ egisse, & odiosissimum simulatorem fuisse in ueritatis perniciem: aut te esse quouis trunco stupidiorem. Atque hic forte erit dignus uindice nodus. Stupidum te nolo dicere, qui tantum mihi satis crederis habere acuminis, vt peccatum cum gratia immediate

immediate pugnare intelligas, sicut lucem & tene-
bras.

Reliquum est, te per peccatum, malum, iniqui-
tatem, subdole intellexisse, neque peccatum, neque ma-
lum, neque iniquitatem, quod uerba sonant: sed quod
tu finxisti, id est, non meritorium, nouum scilicet uo-
cabulum: atque Augustinum & Ambrosium Carolo-
stadij sic accepisse, liberum arbitrium ante gratiam
non ualet, nisi ad peccandum, id est, ad non meren-
dum: & liberum arbitrium tanto citius propinquat
iniquitati, id est, non meritorio, quanto fortius inten-
derit actioni. Nisi, inquam, ita accipias peccatum, ma
lum, iniquitatem: non effugies ea, quę in Epistola mea
scripsi. Inueni cogitationes tuas Ecci? Quid ni inue-
nirem? cum in hac expurgatione tuipse uocabula ista
sic interpreteris: per quę Lipsiæ, vbi syncerus & aper-
tus ueritatem quærebas, longe aliud occulte intelligi
uolebas & finebas.

Audi igitur, amicissime ueritatis tutor, vbi vn-
quam legisti, peccatum, malum, iniquitatem, pro non
meritorio accipi, nisi in tuis pelagianis erroribus, Scri
pturæque deprauationibus? Qua Scriptura, qua ratio-
ne niteris? quibus viribus defendes, ne hæreticus hoc
significationis iure fretus, neget peccatum in Scriptu-
ris contineri: sed omnia esse non meritoria conten-

FF dat?

dat? Siccine illudis uerba Patrum, quæ etiam Scripturæ soles præferre? Ista est medulla, quam me in dictis Patrum iactas non uidere? Sic didicisti pro ueritate disputare, ut aliud coram hominibus loquaris, & aliud penes te intelligas? Vere apertus & syncerus Eccius, qualem omnes norunt, quam non quærat gloriam, quam querat ueritatem pure.

O maledicta dies, in qua natus sum (ut cum Ieremia dicam) uidere in theologis tam impudentes simulatones. Nihil mirum proinde, si tam anxie uis laudari apertus et syncerus. Qui enim isto modo apertus es, quem reliquum facis, qui magis indigeat laude hac? Obsecro, laudent Lipsenses apertum Eccium: laudent omnes quos iactas, etiam uocibus stentoreis, nec sic satis te laudabunt. Tanta est necessitas.

Quin & ego cum Vuittembergensibus laudamus & dicimus: Omnia uera scribis & dicis: Lutheri Epistola falsissima est: iniuriam tibi fecit: ipse denique eam reuocat. Quid uis amplius? Iam uerissimum est, stare meritũ congrui, Iohannis Huss articulũ non esse christianũ & tuum: sectas Scholasticorũ doctorũ a te non negari: seruilem timorem (id est, peccatum & iniquitatem) esse initium pœnitentiæ: quam alioqui in gratia fieri oportet: quia peccando (id est, non merendo) & iniquitate (id est, non grato opere) incipimus

mus

mus mereri ac gratum facere. Viciſti, triumphaſti: ſit gloria gloriarum Eccio, qui obtinuit liberum arbitrium, ante gratiam non dari meritum a Doctoribus ſcholaſticis: obtinuit autem facilime: quia nemo unquam negauit.

Et credebas, crediue volebas, uir ſyncere, Lutherum eſſe tam craſſum, ut hoc monſtrum ſcholaſticis Doctoribus unquam impegerit, aut ſuper hoc diſputauerit: ut te in hoc neceſſe fuerit tanto tumultu certare in tam inſigni loco? Cur non ſimili tornatis verbis arte ex Ingolſtadio ſcribis, per purgatorium te intellexiſſe fidem ſanctæ Trinitatis: ut celebrare poſſimus, obtinuiſſe te, Deum eſſe trinum & vnum, quod nemo unquam negauit: ſicut nec purgatorium, pro quo tamen quam labrioſe diſputaſti? Ego uero te laudo prudentiſſimum diſputatorem: qui tutiſſimam tibi diſputandi rationem inueneris: & in Chriſto quærendo elenchiſtam Ariſtotelem, ſyncerus ſyncerum imitaris, apertusq; apertum: ut alienatis a propria ſignificatione uerbis (quæ eſt ſumma illius & vna virtus) contra Chimeras pugnes, quæ referire nequeant: interim aperte conſentiens illorum uerbis, cum quibus diſputas. Quid refert domi ſedeas, triumphis & coronis te obruas, de laruis a te fictis & victis.

Hoc potius disputabatur, An liberum arbitrium ante gratiam non solum non mereretur, sed etiam peccaret, & iniquitati propinquaret: dum actioni intendit, ut sunt clara uerba Carolostadij. Quæ si noluisti impugnare, cur obtulisti? cur, si falsa erant, concessisti? cur non saltem coram mutiuisti, præsente puerili illo Carolostadio, tuum non meritorij vocabulum: quem absentē ex Ingolstadio heroicus & apertus uir adeo contempsisti? Nunc demum nata est glosa tua, qua elaberis, quam Lipsiæ, ne capereris, syncerus & apertus homo, toties petitus cælabas?

Vror ego utrinq; nimis, & miserens tui & indignans tuę maledictæ simulationi. Desine tu ueritatem theologię quęrere: abolita est fides tui: ad sycophantam tuum Aristotelem, impijssimum inter philosophos simulatorem redi: qui nunquam id uoluit dicere uideri, quæ dixisset: magister hic tuus est dignissimus. O me miserum, quod unquam mihi contigit tecum esse quippiam negocij. Spiritus disciplinæ effugit fictionem, ut Sap. 1. scribitur, & in simplicitate, inquit, cordis quærite illum.

Quid tu miraris, epistolas, rumores & omnia monstra secuta ad hanc infelicem disputationem, quę mihi affingis? Mirum, si quidquam boni sequeretur ad hanc illusionem Spiritus sancti, irrisionem ueritatis, con-

tis, contemptum Christi. Vnum te oro, ne deinceps (si fieri potest) cum Luthero quidquam rei habeas: pœnitet me libellorum contra te editorum plusquam credas: ego tanto grauius illusus illisusque sum, quanto constantius te uirum syncerum existimaui.

Hoc scilicet est, quod rupto fœdere liberę disputationis, nolebas disputari, nisi datis iudicibus, ijsque non alijs, nisi tuæ farinæ Scholasticis, quorum causam agebas, sed occulte & adulteratis uerbis: ne te & illos (si apertus fuisses) traduceres infelicissime. Hoc est, quod dicta per notarios excipi recusabas: aut sic excipi, ut exemplaria, neque repeterentur, nec ederentur, sed supprimerentur: donec iudicium tuæ factionis iactares, causans orbis iudicium nō placere, quod mundus in maligno positus sit: quasi te & theologos tuos, cœlum esse, & prę cæteris hominum, in benigno positos credi oporteat. Sic enim medullas tu Scripturæ peruides sine simulatione. Hoc est, quod Carolostadio nec libros, nec schedas permittere uolebas: qui si non simulasses ueritatis inquisitionem, cogere eum debueras & orare, ut per alium legeret: si non per se posset: imo ut muta signa digitis daret. Quid non facit, quid non patitur, qui ueritatem syncere quærit? nunc magister, nunc discipulus, nunc socius, nunc

omnibus omnia fit, quo ueritas prodeat. Talem se Carolostadius, talem Lutherus se tibi obtulerunt.

Tu uero tibi pene uni veritatis amorem arrogans, aliud non iactas, quam si sic actum esset, nō fuisse disputationē, sed nescio quid puerile: te nō Thersitas, nec uiles homines quęsisse, cum quibus certares?

Hæc turgentissima uanissimæ gloriæ uerba, tu homo theologus sine fronte in media contemptę gloriæ & amatæ a te ueritatis laude rotare audes. Quæ si alius de te diceret: eum debuisses existimare, qui te velut pessimus simulator furiosum conaretur traducere, dignum, in quem uel expurgationem, aut si quid peius possis, scriberes. Nunc tibi places, proprio rostro crepitante hanc laudem insignem.

Credis ne miser & tu, esse adhuc homines in mundo, præter tuos Lipsenses, mutuos mulos (nec enim omnes te scabunt) qui sciant, quid sit syncerus et apertus ueritatis inquisitor: coram quibus hæc tuæ synceritatis iactantia omni sit Mephiti graueolentior? Hoc est, quod repente causam alio rapuisti, de libero arbitrio ad actiuitatem liberi arbitrij, hui quam necessariam, ad perdendum tempus, quæstionem.

Nunc demum intelligo, quid sit, quod scribendi negocium semper exhorrueris, honestissimam hypocrisin commentus, te non amare aculeatum scriptionis

nis genus: semper autem prouocaris ad disputationem; sed eam, quam exceptam non liceat sub orbis iudicium edere, nisi iudicibus tibi placitis, & ui extortis iudicatam: paratus scilicet hac disputandi ratione, Galliam, Italiam, Germaniam, forte & Democriti mundos, si hunc quis requiret, offerre: scilicet, quod sic disputando noris, nec deliberationi, nec diligentiæ locum esse, quas tu in quærenda veritate, syncerissimus vir semper suspectas, imo noxias ducis: et facilimum esse, vsitatis vocabulis alienam effingere significationem: quam, vbi præcedentia & sequentia non liceat conferre, tum causa subito ad alias res rapta, difficilimum sit obseruare: præsertim vbi id agitur, specie adhibita, ne obseruare quis debeat ac possit, falsis interim tum auditoribus, tum iudicibus, synceritatis iactantia, quod veritatis periculum & impiissimæ simulationis scandalum in scribendo parum feliciter sit processurum.

Vna igitur tibi ratio est querendę veritatis, pręcipitatę disputationis confusio. Quis unq̃ & hoc intellexisset, esse veritatem amare et quærere: nisi tu nouus verborũ Grãmaticus cum tuæ factione ita doceres? Adeo totus es fictio & simulatio. Denique in tota ista expurgatione fere nihil non simulas, excepta furiosa criminatione, licet et huic peniculum simulatæ modestiæ adhibi eas. Dixerunt

Dixerunt mihi ante disputationem insigni autoritate uiri: caue Luthere: experto crede: homo iste nihil nisi fictio est & simulatio. Non credidi eis, nec omnibus sensibus meis: licet Erasmi Epistola & Vdalrici Zasij apologia quoque talem te mihi formarent. Tam constanter de te cogitaui optime, nunquam aliter cogitaturus: nisi hoc sterquilinio, te publice orbi traduxisses odiosissimum simulatorem.

Huc pertinet, quod in fœda & obscena Epistola præ cæteris scribis ad clarissimos tuos Ingolstadienses, etsi (pro synceritate apertissima) fortiter simulas tete non iactasse uictorias, te Carolostadium traxisse ad actiuitatem liberi arbitrij: simul dolens, quod permiseras ei uesperi responsionem illam parare egregiam, qua te omnium iudicio redegit ad nihilum: sicut ipse confiteris: in uno, inquis, peccaui, posui Replicas de nocte, & dedi ei deliberationem. Sensisti scilicet uulnus ad mortem. Quid putas factum fuisset: si omnia, sicut decebat, eadem deliberatione gesta fuissent? sicut laudatissimus princeps, Dux Georgius ordinarat: qui non nisi ueritatem quæri uoluit, et omnia, quę ad hoc quam optime ualerent: quem tu, bone Deus, quam syncere in tuam partem laudas, videlicet, quod optimæ optimi principis uoluntatis tales fuistis executores.

Quid

Quid tu faceres pro veritate ſyncerum, qui non ſolum machinatus es cum tuis, ne deliberate & diligenter propoſita veritas quæreretur: ſed gloriaris etiã in hac malicia, potens in iniquitate: id vnice querulans, nonnihil periclitatam hanc tuam machinam? Nam & publica id indicaſti querela, cum pene plorares, illum habuiſſe exemplar notarij: cum tu interim laudabaris Lipſenſibus tuis, quod nihil moratus exemplaria, etiam bene potus poſſes nihilominus victoriosiſſime clamare (diſputare volui dicere) Et quomodo nõ poſſes qui fingere quoduis tibi præſumpſiſſes? & adhuc apertum & ſyncerum nobis Eccium omnibus notum obtrudis.

Prætereo cætera eius epiſtolę cum reliquis monſtra: qui ſi (tuo more) uindictæ furore furerem, breui cõpendio, te toti orbi traderem, qualis qualis es. Editum in vulgus eſt altera epiſtola, ſed theologico nomini parco: tui enim me in ueritate miſeret. Nam quod per totam expurgationem, non niſi criminationibus mei ſcates, cum id facias miſera ſimulationis conſcientia, ſperans hac uia, te os obliturum & manum additurum toti mundo: ſcito hoc, criminationibus mei, & tui Lipſenſiumq́ laude, prorſus nihil moueor: ſimilationibus autem tuis pene occidor. Quod monſtrum & Chriſtus omnium iniquiſſime tulit, peccato-

res, alioqui & publicanos apertos suauissime amplexus. Et quid odisset ueritas dulcissima, quam ueritatis hostes, titulo ueritatis se uenditantes?

Porro, iudices quare iactas? an quod eorum sententiam illuseris, ut inueniatur iniquitas tua ad odium? Habemus tuam expurgationem, quam opponamus uniuerso mundo, docturi Lipsicam hanc disputationem fuisse ludibrium ueritatis, & eccianam simulationem: quæ latius pandam, ubi ampulla tua, quam parturis, prodierit: interim ad reliqua huius sterquilinij tui respondere nolo: nec opus est, una hac parte summaria satis monstrante, qui sis in toto.

Et ut redeam ad te, dico & propono coram te & uniuerso orbe, repetensq́; & iterum dico: Carolostadij propositiones esse ueras: similiter et meam Epistolam. Et ut tibi fortiter inculcem, ne aliena intutus, proposita (sicut soles) relinquas, maiusculis literis desi-gnabo summã: Si has propositiones ueras esse concedis, QVOD LIBERVM ARBITRIVM ANTE gratiam non solum non meretur, sed etiam peccat damnabiliter (audis, audis Ecci, ne simules) ET PROPINQVAT NON SOLVM EI, quod est non meritorio, sed iniquitati mortali, dum intendit actioni: uictus es: & epistola mea uera est. Si negas aut concedere simulas: Pelagianus es. Vir es: & Carolostadius

ſtadius puerilis: nõ dubitamus, quin ſis heroicam tuam uirtutem oſtenſurus: ſed ſcito, nos iam non tibi, ſicut ante, credituros. Simulatorem obſeruabimus, cui ante ſynceritatem iactanti ſimpliciter credidimus. Tu autem uide, ut Calendarium, aut Martyrologiũ, aut Chronicam certe interim diligenter luſtres: unde contra nos multa nomina in papyrum coaceries: ſic tamen, ut Dialecticæ non obliuiſcaris, & inductionem claudam (ſicut iſta fuit) non afferas.

Quod autem de literis Bohemorum ex Ideis tuis, pro ſynceritate fictis, aut iterũ ſimulatis, erroribusq; meis in Eccleſiam, ſcribis, probo: non quia uerum dicis, ſed quia tanto mihi perdita ſimulatio tua eſt odio: ut uel hoc placeat, quod aperte mentiris, iud[illegible]as, detrahis. Erit autem prope diem ut appareat, an tu cum tuis per principem tenebrarum, Ariſtotelem, quem nec ipſum intelligitis, uel ego eccleſiæ Chriſti plus nocuerim: & ad Syllogiſmum tuum quouis morione dignum, quod Bohemi me laudent, pro me orent, reſponſum tibi quoque eſt in Aegocerote Emſerano.

Vale, & Dominus Iheſus ſanet animam tuam in æternum, Amen. Vuittembergæ.

Anno M.D.XIX.

Martinus Lutherus.

OPTIMO VIRO GEORGIO Spalatino, Principalis aulę sacerdoti in Domino suo syncerissimo amico.

De Eccij calumnijs & malitia queritur : & quid aduersus eum eiusq; asseclas moliatur. Rogatus etiam de Cæremonijs circa meditationem paßionis Domini instituendis, ostendit difficulter id fieri posse sine superstitione.

IHESVS.

118.

Responsio Lutheri ad calumnias Eccianas, quæ in primo Germanico Thomo continetur.

SAlutem. Mittimus ecce, mi Spalatine, literas ad illustrissimum principem & patronum nostrum clementissimum, ad Eccianas calumuias responsorias: quas si dignabitur illustrissimus Princeps ad Eccium mittere, gratum nobis fuerit: sin secus, fiat quod Deo placet. Reddidit enim nos R. P. Vicarius dubios, an isto quoq; modo a nobis Eccio responderi uoluerit Princeps : an tantum latinis propositionum resolutionibus, in quod iam incumbimus : ideo vtrumq; præstamus. Quod si mittendæ fuerint illæ : optamus uel principis uel tuo iudicio mutari, quæcunq; in his uisum est mutatum iri. Literas Eccij inter cartas meas quærens nec dum inueni: quæram diligentius.

Cæterum Eccius (quem iam sine peccato iudicare et accusare possumus) officium facit neq; boni neq; liberalis

liberalis uiri, in omni loco: dedit Episcopo Brandenburgensi articulos a se commentatos, quos fratres Iutterboccenses in me conflauerunt mendaciter. Homo est impudens & perfrictæ frontis, nihil non asserere, idemque rursus deserere promptus, ut ut sese aura gloriolæ obtulerit: vnum spectat si per phas & nephas possit Vuittembergæ nocere: cui iam occurro, & sycophantam istum cum suis mendacijs in publicum traham, Deo propitio.

Articulorũ Iutterboccensium fratrum autor Eccius.

Interim Episcopus Brandenburgensis, altera parte non audita, Eccij mendacia inuulgat: suoque nomine illis autoritatem apud multos parat, in mei nominis iniuriam, pulchre ostendens, quid animi huc usque in me aluerit. Timeo quod uix agere possim, ne simul eum inuoluam: ac eius inscitiam & temeritatem Eccianæ consanguineam prodam. Cooperantur ei miro modo fratres minores de obseruantia: nobis solum typographia deest, quo citius inuulgenus contraria.

Cœpi meditationi passionis Christi publice pro tuo voto intendere: & quo plus cogito, eo minus inuenio quod placeat: quod ceremoniarum iam plus nimio satis sit in Ecclesia. Ita ut prope omnia in superstitionem abeant, seria Christianæ pietatis: sicut est procliue in operum externas facies fidere, ac inte-

Sermo de meditatione paßionis Christi.

rim secure spiritualia omittere: ideoq; nondum sum plene hic paratus, quomodo tradam: ut speciosum simul sit foris, & simul fructuosum interius quod paratur. Vtrumq; simul fieri difficile est, cum Euangelium, præsentissimā pietatem in fraternam dilectionem ac mutuam beneuolentiam posuerit: alias plura.

Vale & principi patrono nostro nos commenda.

Vuittembergæ. Anno M.D.XIX.

Die S. Agapiti.

Martinus Lutherus

August:

REVERENDO ET OPTIMO Patri Iohanni Lango Erffordiensi Eremitarum Mediorum Vicario, suo in Christo maiori.

Miratur Erffurdienses iudicium suum de religionis controuersia tam diu suspensum tenere: cum interim ipsi & iudicent & iudicentur: Eccius uero & Lipsenses canendis triumphis nec finem nec modum faciant. Commentarios suos in Psalterium missurum se fuisse, si id ipsi gratum fore sciuisset. Sub prælo esse apologiam suam aduersus Eccium & anticatigoriam contra monachos Iutterboccenses Epistolam ad Galatas finitam. Principem tentari à pontifice per Miltitium aurea rosa.

IHESVS.

IHESVS.

119.

SAlutem. Miror, quid tardent Erffurdienses uestri: R. P. Expectatur enim iudicium eorum, quanquam suspicor eos prudentius acturos: quam ut sese misceant alienis & odiosis causis istis: nos interim præuenimus sententiam, & mutuo iudicamus, & iudicamur; scribimus indocti doctiq; poemata passim.

Eccius in suo impetu iactat literas, spargit coronas triumphales. Vna Lipsia edidit meros Herodotos, Criticos, Aristarchos, Momos, & id genus ranarum innumerabilium. Quæ semper muta fuit, vnam ob disputationem latrantior facta est Scyllis multis. Adeo misera inuidia anxiatur, si tumultu victoriam contra nos statuere possit. Veritas vincet.

Mitterem salinas meas super Psalterium: sed quia nihil scribis, an velis, & quantum habeas: cogito non esse tibi eas curæ. Vir hic vendit resolutiones meas nouissimas contra Eccium. Lotterus Lipsię mihi cudit contra eundem libellum apologeticum: vbi refello XIII. articulos a fratribus minoribus Iutterboccens. mihi impositos, & per Eccium inuidiosissime confutatos in nomen meum: ego rursum eis 24. articulos impono & feruet negotium. Epistola ad Galatas hodie finita mihi dicitur.

Princeps

Princeps noster illustriss: tentatur a Miltitio cum aurea rosa: qui in Dressen gloriatas est, Doctor Martinus ist in meinen henden: sed nihil proficiet, Deo propitio. Vale & ora pro me occupatiss: peccantissimo fratre, Sabbatho post Egidij.

Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus.

MARTINVS LVTHERVS, Magistro Francisco Günthero, Salutem.

Miserum quendam, ecclesiæ suæ membrum illi commendat. Deinde mittit exemplaria contra Eccium, & eiusdem loci fratres: eosq; libros præter opinionem suam, & aduersariorum petitionem esse editos ait: Addit etiam exemplar epistolæ ad Galatas.

120.

Virum hunc tibi commendo, mi Domine Magister: cui uel hoc nomine debes officium, quod sit in populo, cui te præfecit in uerbo Christus. Igitur tu tanquam tui membri & portionis tuæ, curam habe: atq; age ubi potes, cum Magistratu ac bonis viris, ne vim patiatur, aut saltem mitius (si quid peccati subest) puniatur. Cæterum & locum & tempus habere potes pro responsione vlteriori, si uenias & rem solicitas.

Mitto

Mitto tibi exemplaria contra Eccium & Fratres illos apud vos: & quanquam apud me fuerint eorum legati, rogantes vt spõgiam obducerem huic libello: & ego, datis ad Lotherum literis, indulsi quod petebant: nescio tamen quo casu non effectum sit, quod voluerunt. Mitto & exemplar epistolæ ad Galatas.

Vale & ora pro me. Die S. Hieronymi.

Anno M. D. XIX.

Martinus Lutherus.

REVERENDO ET OPTIMO Patri, Iohanni Staupitio, Eremitarum S. Augustini Vicario, suo in Christo colendo patrono ac maiori.

De Commentario in Galatas: deq; Milticio petente nouum colloquium: de Rosa ab ipso Aldenburgi oblata: ac de Bohemis ipsum ad constantiam hortantibus: de positioniaus Philippi, de loco Philippi in Eccium: de Episcopi Brandenburgensis minis: item de Franciscanorum Vuittembergensium ridicula disputatione & confusione: postremo de somnio Lutheri.

IHESVS.

121.

SAlutem. Mitto duo exemplaria R. P. insensatorum Galatarum meorum. Nec iam adeo placent quam placuerunt primum: ut uideam potuisse latius *Commentarius in Epistolam Galatas.*

HH & clarius

&c clarius eos exponi: sed quis omnia simul? imo quis semper multa; confido tamen apertiorem esse Paulum istum, quam antea ab alijs factus sit: etsi stomacho meo non satis facit. Psalterium proficit: nisi quod typographo tardo moror. Princeps noster redditus sanitati moratur Lochæ.

Carolus Miltitz diem mihi dixit in Libenswerd, Dominica proxima consensu principis, datis ad me suauissimis (vulpem intelligo) literis. Quid futurum sit nescio. Rosam tandem obtulit Aldenburgi, absente Principe: quam nescio quanta pompa conatus fuerat Vuittembergam ducere. Nihil adhuc ex conuocatione Erffurdiana uidimus, nisi Petri fratris conuersi obedientiam: quem Prior noster nondum dimittit, quod expectat alium in locum eius, non credens te hunc conuentum minoris facere Dresdensi. Frater Matthias Gruneus etiam uenit Procurator noster factus. Nec dum quid fieri uelis de libris apud me relictis uideo, idq; miror ualde.

Vellem plures ad nos fratres, & eos idoneos mitti. Scripsit mihi uterq; Prior inferiorum partiũ Iacobus & Heinricus querulosissime ac desperate prorsus, tete implorantes, nihil agi per eorum Vicarium, missuros tamen dicunt se fratres, imo seipsos uenturos: sed non fiet, cũ in paschalibus datæ sint literæ, nec dum comparent.

Accepi

Accepi hac hora ex Praga Bohemiæ literas ſa-cerdotum duorum factionis illius de vtraq; ſpecie, eruditos ſane in ſcripturis ſanctis, una cum libello Io hannis Huſs, quem nondum legi. Exhortantur autem me ad conſtantiam & patientiam, eſſe hanc theolo-giam puram quam doceo. Eraſmi ſant miro modo tam ſenſu, quam ſtylo: uenerũt autem per aulam Prin cipis noſtri, mittente Spalatino, ad me, nec iam ibi oc cultum eſt.

Philippi poſitiones uidiſti aut nunc uides auda-culas ſed uerißimas. Ita reſpondit ut omnibus nobis eſſet id quod eſt, ſcilicet miraculum: ſi Chriſtus di-gnabitur, multos ille Martinos præſtabit, diabo-lo & ſcholaſticæ Theologiæ potentiſſimus hoſtis: nouit illorum nugas ſimul & Chriſti Petram: ideo potens poterit: Amen.

Venerunt literæ ex Gallia: in quibus ſcribitur Eraſmum dixiſſe, timeo Martinum perire probitate ſua: de Eccio autem, quod nomẽ ſuum priuauerit vna litera ſcilicet, quod pro Eccius Ieccius dici debuerit: Ieccius autem Hollandis fatuum ſignificet. Adeo pu-gnat Chriſtus cum uana gloria: ut quem Lipſenſes adorant & Eck vocant, eruditi omnes, ut illi ſcribunt, mire deteſtati Ieck appellent.

Epiſcopus meus Brandenburgenſis monſtrum

parturit, bonus homo, & sicut Moab plus presumens quam possit. Dixisse fertur, non reclinaturum se caput suauiter: nisi prius Martinum in ignem proijciat: sicut titionem inquit istum, quem (hæc dicens) simul in ignem coniecit. Sed tam inflat Ecciana uentositas hanc miseram uesicam.

Verum hæc de alijs: de me quid uis? Nimis me derelinquis: ego super te, sicut ablactatus super matre sua, tristissimus hac die fui: obsecro te, Dominum laudes in me etiam peccatore: uitam odi pessimam: mortem horreo: & fide uacuus sum, alijs donis plenus: quæ scit Christus, quam non desiderem, nisi ei seruiam.

Minores apud nos, capitulo coacto, disputant de stigmatibus S. Francisci, et gloria ordinis sui: sed adeo fœliciter, ut qui ante utrunq; uenerati sumus, iam dubitare incipiamus, tam de stigmatibus illis quam de ordinis istius conditione: vtraq; falsis similiora quam ueris inuenta sunt: contigit eis illa nimio extollentibus, quod prædicatoribus S. Thomam nimium celebrantibus.

Perduxit eos in has disputationes Martini huius inuidia: quæ disseminauerat rumorem, me contra stigmata illa prædicasse. Ideo ansam contra me se adeptam putantes, mihi sperauerunt nonnihil se exhibituros

turos negotij. Et uere felix sum, quem adeo omnes delectat impugnare: ut etiam fingere incipiant dogmata, quæ tanquam mea impugnent: uerum doleo quod uniuersam suam professionem ita ludibrio traducunt sine causa.

Erffurdiensis fuit, qui hæc disputauit, ille scilicet, qui cum Lango nostro socius Magisterij fuit. Cras Petrus Fontinus disputabit: qui me & omnes nos doctulos & sciolos pungens, posuit hallucinandum esse cum patribus primoribus. Videbimus miracula magna minorum istorum operariorum. Ita concitant homines isti ignari, tragœdias sine causa. Quid? Baccularius eorum Iacobus, qui hodie pro circulo respondit, quia modestus fuit, & positiones recte posuit, præcellit illos utrosque Magistros nostros. E Zwickauia hic est, Vuittembergæ educatus, bonus & ingeniosus pariter. Sic Christus superbos humiliat, & humiles exaltat.

Hac nocte somniū de te habui, tanquam recessuro a me, amarissime me flente & dolente: uerum te manu mota mihi dicente, quiescerem, te reuersurum esse ad me: hoc certe uerum factum est hoc ipso die. Sed iam uale, & ora pro me miserrimo. Vigilia S. Francisci, vesperi. Anno M. D. XIX. *Vatidicum Somnium.*

F. Martinus Lutherus.

CHRISTI SERVO GEORgio Spalatino, ab Epistolis & sacris Principis Electoris Saxoniæ, suo in Domino.

Recitat summam colloquij cum Milticio & eius iactantiam uanam commemorat: item qua de causa Rosa missa sit Principi à Papa: deinde quam infensos habeat aduersarios Lipsenses, & alios: aspergit etiam de peste Heluetiorum: Postremo de Eccij iactantia.

IHESVS.

122.

SAlutem. Ne uerbum quidem, sed nec cogitatio mihi unquam fuit, mi Spalatine, cum Carolo de profectione mea ad Treuerim: miror hominis audaciam uel obliuionem: qui uix ei concessi, ut Libenswerdam uenirem: quomodo sit uerissimile, tantum iter & ipso socio promitterem? Non dubites itaque aliud nihil me esse pactum, quam ut iuxta Principis nostri & iussum & consilium (cuius ob hoc nomen & acta cum Treuerensi Episcopo intercensebam) perstarem in uoto & pacto: quo Aldenburgi nobis conuenerat in Episcopum Treuirensem iudicem causæ huius: de iudice inquam sola fuit mentio, de profectione nihil.

Adde, quod idem Carolus dixit, se non Treuerim,

rim, sed Romam mox hoc itinere profecturum: atque se iam expediuisse suam commissionem, quam ex vrbe habuisset. Denique ego suspicatus fui, non ob aliud eum uoluisse denuo mecum personali præsentia de re iam diu certa loqui: quam vt in vrbem rediens haberet, quo diligentiam suam commendaret, videlicet, qui non semel mecum egisset personaliter, omniaq; tentasset, quæ potuisset.

Verum credo frustratum sua spe, ita nugari præ angustia conscientiæ, aut more suo fabulari. Talem enim nobis descripsit heri in prandio Doctor quidam præpositus Collerburgensis Pomeranus: qui ex vrbe veniens mecum apud Principem Pomeranum Rectorem nostrum pransus retulit, eundem in vrbe pro, nescio quo, haberi. Iactasse enim ibidem sese de affinitate Ducum Saxoniæ, ita, ut passim apud Italos, de parente Duco Saxoniæ (id est, de parentela ducum Saxoniæ) fuerit appellatus, & multa alia ridicula & vana: breuiter, homo miserandus est, ludibrio ille passim habitus, hic habendus similiter.

Retulit idem Doctor, fuisse traditum ei Breue Apostolicum Rosam allaturo: in quo ei mandaretur, ut rosam principi sic offerret, ut Martinum uicissim mitteret: fuissetq; ita progressum: nisi prudens quidam

dam Cardinalis interueniſſet, qui lecto Breui dixit multo ſtomacho: pueri ne omnes eſtis, an inſani, ut Monachũ emere tentetis a Principe? atque mox eum diſcerpiſſe manibus proprijs idem Breue.

Silueſter prierias meus tacet (ipſo referente) alius autem Ciprianus frater Parrhiſienſis ſcribit contra me, mandato Papæ, ſed inuitus: dixiſſe enim eum refert (ut illius uerba ponam) Papa uult ſcribam: ſed facio male libenter. Frater ille uerboſus eſt, non tacebit. Dialogus meus durus eſt illis, & Romæ bene notus. Literas Vniuerſitatis Lipſenſis nondum habeo: inueni autem denuo hominis illius Rubij longipilli inſanias iſtas uernaculas in meum nomen graſſantis: mirum quam delectet Lipſenſes per hanc fiſtulã idoneam ſibi ſua uenena efflare. Vt anxie quærit inuidia cauſas maledicendi: ſed contemno adhuc omnia.

Abitionem meam perproperam excuſa quæſo. Feci enim, quod ſciam nomen Monachorum male audire propter aulas & ollas: tum quod nolui ſcandalum eſſe homini illi, de quo tibi dixi: cui uidebar mihi eſſe grauis & moleſtus conuiua. Scis quam propter unum hominem etiam multa omitti oporteat, quæ liceant.

Vides etiam quam acute me Lipſenſes obſeruent. Quod ſi ille occulte ſuis Lipſenſibus ſcribat, me fuiſſe

fuisse lætum ac leuem: lusisse etiam tesseris cum Pistorio nostro: et illi ansa arrepta, & uitam meam cum verbo, quod odiunt a me doceri, conferentes, Euangelio Christi mei occasione impedimentum præbeant? Quid enim non scriberent: qui per Rubium effutiunt, quod Lipsiæ in manu complicatum ac compressum sertum odoris & spectandi gratia gestaui, libentius dicturi, quod in capite gestassem, si auderent? Satis cauere omnia non possum nec volo: infirmitati tamen & inuidiæ, quantum possum, locum dabo.

Nullo ergo contemptu festinaui, sed timore offensionis. Heluetios pestis sæua percutit, ita ut 16000 virorũ absumpserit, exceptis paruulis & mulieribus: retulit hæc Doctor præpositus, qui supra &c. In Creutzberg virgines 18. in Monasterio una cum præposito eorum absumpsit: in Sangerhausen 8. Fratres cum Priore eorum simul: dicitur & Norimbergæ furere, & fere vbiq;. Ita nobis scribitur ex nostris locis. Pater Vicarius 24. Septembris sanus Nurmbergam venit, inde Monacum.

Iam incipio etiam optare & petere, ut ad Eccium mittantur, quæ respondimus principi nostro. Scripsit ille summo pontifici, iactans suas glorias, quod nos duos uictos prostratosq; Lipsiæ reliquerit: homo totus gloriaceus, glorianus, gloriensis & gloriosus,

auſus etiam a ſummo pontifice petere expenſarum ſuarum in hac re uicem. Retulit hæc Doctor Præpoſitus, qui ſupra &c. Vale raptiſſime. Die 5. poſt Dionyſij Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus.

SACERDOTI ET SERVO Chriſti, Martino Seligman, Vicario in ualle Mansfeld, ſuo in Chriſto chariſſimo.

Reſpondet ad queſtiones 1. de ferendis infirmis: & oſtendit qui ſint infirmi. 2. Num et ſacerdoti tempore peſtis fugere liceat.

IHESVS.

123.

SAlutem. Accepi literas tuas, cum quæſtionibus tuis, vir optime: & quæ tu pro fraterna charitate & flagello Dei ferendo fortiter aſſeris, maxime probo. Atq; vtinam tales, inueniantur omnes Chriſtiani, quales hic deſcribis: verum quid faciemus, ſi non omnes omnia poſſint: nonne infirmos ferri oportet et ſuſcipi vt Rom: 15. docet: Et, quod tu adducis, alter alterius onera portare, magis ad eos pertinere mihi videtur, contra quos tu adduxiſti. Illi potius infirmi ſunt, qui mortem fugiunt, quã qui expectant. Ad hæc

ſine

ſine dubio fames & gladius æque ſunt plagæ Dei, ſicut peſtis, vt locupletiſſime in Prophetis patet. At legimus in Gene: Abraham famem fugiſſe, itidem in libro Ruth. Porro quoties etiam fugerunt gladium ſancti? quando apud Hieremiã filij Ionadab in vrbem ſeſe contulerunt tempore belli: quorum tamen votum erat nulla domo vti.

Quare, meo iudicio, hortandi quidem ſunt, vt manum Domini fortiter omnes ferant: non tamen cogendi, aut ideo peccare dicendi: aut, ſi peccare dicentur, ferendi ſunt tanquam infirmi. Nonne & Chriſtus Apoſtolos tulit: quando mori timentes dormientem excitarunt, et Petrum corripuit quod timuiſſet ambulare ſupra mare: ſed tamen tulit eius infirmitatem. Quare ſi peſtis et quodlibet flagellum Dei omnino ferendum eſt: ſequitur quoq;, non licere inuocare Sanctos Dei, pro corporalibus ſanitatibus. Tum etiam medicos omnes ad vnum cum vniuerſis apothecis auferemus: vt ex quibus non liceat, effugium aut remedium quęrere flagelli Dei: cum etiam infirmitas ſit flagellum Dei. Hæc enim pro infirmioribus in fide diuina bonitas prouidit.

Cæterum qui perfecti ſunt, vltro mortem petentes, his non habent opus. Nam & eccleſia cum orat a peſte a fulgure & tempeſtate, non vtiq; pro in-

firmis orat,& flagella iracundie auertere tentat. Quę male oraret,si nõ liceat fugere, repellere,vitare(si fieri potest) flagellum Dei. Charitas autem fraterna, quæ in his malis perseuerat cum aliis perfectorum est laudabilis ipsa vehementer: & vbi necessaria esset proximis etiam præcepta. Tunc autem necessaria est, si morientibus peste,nemo alius adesse possit,qui seruiat egris. Nam sacerdotem,cui cura commissa est,nõ licere fugere aut fidelem suo loco constituere,persuasum habeo.

De qua re, lege eruditiss: Epistolam August: ad Honoratum: quæ ponitur in legenda eius a Possidamo descripta parte vndecima, in fine. Pastorem enim docet adesse, ouibus Christi, & animam suam pro eis ponere, vt qui statum perfectorum gerit. Itaq; firmi portemus infirmos, & eis licentiam, et si illaudatam, demus fugiendi & seruandi carnem suam. Hæc breuiter habeo,quę tu boni consulas oro: & Dominũ Ionam pastorem saluta,omnesq; pro me peccatore oretis oro: carnem meam quoq; valere cupio: Latratores aduersarios contemno. Vale in Christo.

Vuittembergæ, VI. post Dionysii.
Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus.

SVO

SVO IN DOMINO GEORgio Spalatino Christi seruo charissimo.

De Lipsensium Doctorum furoribus & superbia.

IHESVS.

124.

SAlutem. Fecimus omnia cum Boemo isto homine vere humano, mi Spalatine, vt videbitis & legetis: tradidi ei omnia mea opuscula: Philippus dictauit ei epistolam præsentibus & conspirantibus omnibus nobis, etiam ipso Boemo in Monasterio nostro. Rubij insanias misi ad te: sed video aliunde accepisti: insaniunt Lipsenses. Mitto Epistolam superbam Rectoris Lipsensis heri acceptam: in qua omnia ea committit insipiens caput, quæ excusat vel deprecatur. Adeo acuti sunt homines. Respondebo ei, aliud non facturus, quam sua ei ostensurus: tu modo Velociter remitte exemplar. Rubius.

EMSERVM ferunt moliri Iliada in me: & iactasse se, quam superbum Monachum illum uelit tractare: expecto auidissime hunc Momium partum. Curabimus ne aliquid ultra edatur apud nos huiusmodi vanitatum. Cogito, si vniuersitas nostra Lipsensi Vniuersitati scribat: principi Georgio scriberem, sed expertus illius Cancellarium, nolo occasionem dare

veſicis, quas ibidem prius cognoui. Vale & ora pro me, Vuittembergæ. Vigilia Galli. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

REVERENDO PATRI IOhanni Lango, S. Theologiæ Magiſtro Eeremitarum Auguſt: Vicario medio, ſuo in Chriſto maiori.

Eiuſdem Argumenti.

IHESVS.

125.

SAlutem. Redit tandem ad uos frater Georgius, ſicut voluiſtis, R.P. Noua nulla, niſi Lipſenſium inuidiam indies gliſcere: iactant ijdem pro conſtanti, Erfurdenſes veſtros tuliſſe ſententiam cõtra nos pro Eccio: quod ſi ita eſt: proficiat uobis, quod ueſtri in alienam cauſam ſine cauſa inuoluuntur.

Ego & latina & vernacula Apologia infamare propoſui in totum orbem eam ſententiam: & eius uel iniquitatem uel inſciciam pro ueritate tuenda publice
„ traducã, quam primum ædita fuerit: eroq; innocens a
„ ſanguine ueſtrum. Non eſt animus ullam ſyllabã no-
„ ſtrarum propoſitionum relinquere indefenſam. Fiat Domini voluntas.

Emſerus

Emserus pro Aegocerote parturit(ut dicitur) elephantem, & nescio quantas tigrides, obstetricantibus Lipsensium musis amusissimis. Ita res feruet, et furit Sathan aduersus verbum Dei, & nihil proficiet. Rubius asinus denuo uernacula me proscidit pessime: nec sic satura Lipsiæ inuidia est. Dominus autem viuit, & ego viuo, in quo tu quoque uiue et uale, & ora pro ueritate. Die Galli. Anno M.D.XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

SVO IN DOMINO GEorgio Spalatino Christi seruo obseruando.

Dicit se respondere expurgationi Eccianæ.

IHESVS.

126.

SAlutem. Oro te, nomine meo gratias age Marco Schartto, mi Spalatine, pro florenis istis decem, missis simul his, quot uisum fuerit, exemplaribus: uerum sic diues factus, eodem die pauperiorem reddidit necessitas quorundam hominum, quibus cogor mutuum dare. Piget me in populo Christi, adeo nihil esse reliquum charitatis, ut, qui habent ne 20. quidem florenos,

renos, quo alter alteri succurrat. Ego mihi ideo datos illos florenos arbitror, quod per me illis seruiri uoluerit Dominus, nec sufficit tamen. Quare, vbi tu consulueris, etiam principem clementissimum pulsato pro paupertate. Pro me Dei gratia nihil solicitor.

Edidit furens Eccius expurgationem aduersus epistolam ad te datam: cui iam respondi vno sexternione hac hebdomade absoluendo, dato iam typis. Mirũ q̃ homo, seuit mendaeĳs quoq; refertus, tum in quo mihi aptissime & oportune venit, simulationem suam retexit imprudens, quo solo nomine cæteris tacitis, eum apprehendi, coacturus, ut magis prodat se & Lipsenses suos. Mittam exemplar propediem.

Si Langenmantel Psalterium ab integro non habet, hoc exemplar mitte: sin aliquot sexterniones habet: remitte & signa numerum: ne damno afficiamus typographum. Vale in Domino. Die omnium Sanctorum. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus August.

SVO IN CHRISTO CHARISSIMO Georgio Spalatino, Dei sacerdoti integerrimo.

De Adriano

De Adriano in hæbraicæ linguæ Professorem accersendo.

IHESVS.

127.

SAlutem. Scribit ad me, mi Spalatine, sicut hic vides Mattheus Adrianus Louaniensis hæbræus, forte ab illis tyrannide pulsus, petens apud nos profiteri hebræa: nosti hominis famam & eruditionem. Quare illustrissimo Principi uelis hæc suggerere honestissimæ oportunitatis pro hebræa lingua, promouenda apud nos Dei dona. Atque id quæso quam otius respondeto, ut, respondeam eidem: interim nuncius eius apud me moratur. Vides illum putare Principis nostri occasum (quod Deus differat diutius) uulgatum esse. Fallax esto omen.

Mitto Eccij insaniam cum breui Epistola mea responsoria, plura daturus: cum totus prodierit impijssima sua simulatione hypocrita. Vale, & pro me ora. Pro carnibus ferinis, illustriss: Principi gratias agimus. Altera Leonhardi. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus.

AD EVNDEM GEORgium Spalatinum.

Petit uiduæ domum quandam reddi.

 IHESVS.

IHESVS.

SAlutem. Ingrediatur quæso causa huius uiduæ per te ad illustrissimum Principem nostrum: egi cum Dominis Decano & aliquot alijs, ut redderent ei domum suam, quam Testamento eis donauit: respondent mihi, esse donationem (ut uocant) inter uiuos: quod mihi non uidetur: queritur se indigere: at illi spondent ei quotannis 14. florenos ad uitam, ut domum teneant: quantam summam dicunt omnes non consequi posse eam quotannis etiam toto domus precio. Vnum uideo illos spectare, quod domus & areas non habent sacerdotes.

Illa rursus queritur, nescio quas sorores alibi uiduatas nuper habere: quarum inopiam cogitat recepta domo leuare, & testamentum reuocare. Pius est eius casus: et iuxta Euangelium mihi reddenda uideretur. Domini autem non credunt ei: uerum hoc mihi non facit satis, præsertim hac ratione quærendo aream uel locum. Timeo ne quis sinister oculus ibi uideat. Tu opus fac debitæ charitatis. Pertinent enim et hęc ad rationem sacerdotaliter uiuendi in loco, quo tu es. Vale in Christo. Emser tandem effurit & effutit furores suos, sed nihil ad rem. M.D.XIX. die S. Elisabet.

Martinus Lutherus.

BONO

BONO ET ERVDITO VIRO, Georgio Spalatino, Christi seruo, suo in Domino charissimo.

Ostendit quomodo in fabulam abierit Theologorum crapula & luxus, & addit quædam de furore & inscicia Emseri.

IHESVS

129.

SAlutem. Mitto unius Dominicæ opus tibi in exemplum, mi Spalatine, qui poteris pro tua in humanis literis maiore peritia aptius & felicius locos in reliquis signare ex mea farragine: ego sane utrumque non potero, ut occupatissimus: aut Philippum in id negotij inuoluam: quo & ipse Principi sua studia saltem indicet.

Doctor Preittenbach, & D. Heinricus Schleinitz me conuiuio suo honorauerunt, multam suam erga me humanitatem ostendentes: non noueram antea homines. Nihil egimus nisi de Lipsensibus Theologis: quibus ille non multum tribuere uidebatur. Vnum didici Apophegma, si quis (inquit) theologum eius generis uidet, septem peccata mortalia uidet: scilicet, in hanc gloriam uentrosi Sophistæ apud uulgum deduximus professionem nostram theologicam. Et sane mihi uerum apparet hoc uerbum. Præter enim ven-

Theologus scholasticus septem peccatorũ mortalium idæa.

trem, marsupium, pompam quid fulget in nobis eiusmodi? Nam inuidiam, iram & libidinem, cum acidissima acidia quid attinet censere? Deus misereatur nostri.

Emser hostis Lutheri.

Emser furorem suum effudit, sed ita, vt epistolam meam confirmet. Doleo tam crassos, hebetes, & insulsos thrasones, se in id negocij miscere: nisi me ratio nominis mei imo Christi timor cohiberet: nondum habui, qui mihi scribendi felicius præstiterit argumentum: quam indignis modis in hanc talpam forte & Lipsenses luderem.

Verum silebo & Eccium expectabo: in quo simul & huic mendaci & maledico (si tamen res feret) respondebo. Mitto quocp literas heri ex partibus superioribus acceptas: in quibus videbis, quid rerum illic agatur: lectas remitte. Vale & supplicationem meam pro Philippo licet inuito, curato, sicut promisisti. Vigilia præsentationis, Anno M. D. XIX.

SVO IN CHRISTO GEORgio Spalatino, seruo Dei, sacerdoti, uiro bono & erudito.

Sermonem de Eucharistia sub typis esse scribit: deinde addit iocum de portarij Vuittembergensis urbanitate.

IHESVS.

IHESVS.

130.

SAlutem. Tu pulchre in me retorsisti negotium signandorum locorum: quod in te torseram, uicisti. Cæterum gratias ago pro munere principali. Nugas Lipsensium Eccio traditas iamdudum legi impressas. Sub typis est sermo de Eucharistia uerbosissimus. Placet Philippo mandatum esse a Principe, ut gestet sibi donata. Fuit mecum per noctem & diem Comes de Eisenberg domus Theutonicæ, qui milites istos adduxerat, liberaliter agens: qui iussit ut te salutarem suo nomine.

Sermo de Eucharistia.

Mei uidendi causa aduenerat: sed audi Vuittembergensis portarij ciuilitatem. Ebrius portam quinta hora clauserat, comes tarde ueniens abbatis Cinnensis nomine petebat intromitti, cum frustra orasset nomine suo: ille uero uel potius cereuisia sua. Der Abt von der Zinnen hat mir noch nie schenck geben: quid multis? cogitur ille in tabernam ante ualuam superiorem declinare cum duobus nobilibus. Hanc historiam nolui te latere: quo & tu haberes, quod nobiscū gloriareris de vrbanitate ista. Vale, & ora pro me. Nam titulum Tessaradecadis meæ, non mea refert, qualem formaris, modo nihil arrogantiæ sapiat: cum

Tessaradecas consolatoria.

ſes ipſa mihi uideatur utiliuſcula. Anno M. D. XIX. Vigilia Andreæ.

Martinus Lutherus Auguſt:

ERVDITO PROBATOque viro, Georgio Spalatino, Chriſti ſeruo & ſuo chariſſimo.

De inuidia, mendacijs & ſophiſmatis Eccij, obijcientis Luthero locum diſputationis ab ipſo oblatum.

IHESVS.

131.

SAlutem. Gaudeo te in literis Eccij, Eccium cognouiſſe, mi Spalatine. Talis fuit & Lipſiæ diſputans, qualis eſt ſcribens. Totus enim furor eius eſt: & ſicut in epiſtola ad te data edidi, in hac una re potens eſt, inuidiam ſcilicet mouere: huc & omnes neruos intendit ſemper. Iam illa ſtropha quam bella eſt, quod mearum literarum exemplo probat, nos obtuliſſe ei Lipſiam uel Erffurdiam. Quis dubitat nos conſenſiſſe ei in Lipſiam uel Erffurdiam, ſicut literæ meæ indicant? quomodo illuc cōceſſiſſemus diſputaturi, niſi placere nobis ſcripſiſſemus locum, quando alius non potuit concedi?

Cur ſycophanta tacet, quod me inſtante, ut Vuittembergam ueniret, reſcripſit ſeſe nolle, quod hoc ad equum

equum (ut inquit) seianum pertineret? At cum ille rursum Coloniam & remotiores obtruderet, nosque detrectaremus: tandem coacti sumus consentire in utram iam dictarum: quanquam maluissemus neutrã, hoc est, quod postea scripsi, nos ex disputatione demum intellexisse, cur Lipsiam maluerit. Non ergo obtulimus eam, sed oblatam accepimus, licet inuiti: tantum ne homo superbus iactaret, nos non uelle theologiæ nostræ astare.

Itaque nunc meæ epistolæ exemplum recte intelliges, quæ sonat, nos non obtulisse, sed consensisse necessitate compulsos. Verum his strophis solet agere odiosissimus sophista. Ideoque ægre expecto editas eius minas, in quibus non alijs aget (scio) rationibus: & tunc depingam publico & luci sycophantias eius omnes, Christo adiutore. Mitto literas Langij, in quibus uides, quid Erfurdiæ de iudicio sperandum sit. At his, non iudicantibus, Parrhisien: nihil moror: quia in conuictum iudicaturos conuentum est. Vale & ora pro me. Vuittembergæ. Vigilia S. Barbaræ. Anno M. D. XIX. Martinus Lutherus August:

ERVDITO ET INTEGERRImo uiro, Domino Georgio Spalatino, Christi seruo, suo charissimo amico.

Rursus

Rursus de Eccij calumnijs queritur: item de Canonicorum Vuittembergensium rapacitate.

IHESVS.

132.

SAlutem. Deus bone quam Eccius meus nunquam non est Eccius: ita & Lipsiæ circum reptabat miser, lubricus tamen, semper ueritus ad scopum accedere. Sed vtinam libellus suus editus esset, quem iactat: daret Dominus ut nouissimum in his nugis perderem laborem spero.

Miror autem quid agatur coram illustriss: Principe de Parrochia Schmidbergensi. Vota Vniuersitatis sunt Magistri Hertzberg: & hæc irrita fieri prorsus non placet: te nollem quicquam agere in hac re, quo fraudetur ille, cui spiritus dedit. Si tibi quippiam constat de causa uiduæ, quam nudius per te egi: rogo me reddas certiorem.

Periculum est, ne ego incidam aut magis inuoluar odio dominorum Canonicorum. Iam quatuor exemplis testamentorum (ut uocant) oppugnant ualde patientiam meam aperte, solicitudinem temporalium, ne dicam auariciam, charitati præferentes, nec sine scandalo, quod mihi pro meo (ut scis) officio non est ferendum in perpetuum.

Iam Nicolaum tibicenem in arce simili casu tra-

ctant.

ctant. Vox & fama est quendam fame mortuũ, quod sua omnia illis dederit tantum seruanda, cui nihil reddiderunt. Non autem credo, sed metuo: si discutiantur, nõ omnia inueniantur quæ placeant. De his uoluissem tecum loqui potius quam scribere. Tessaradecadas uolui Lipsiam mittere: sed uidebo an tuo consilio possim obtemperare. Vale, die Conceptionis. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

ERVDITO PIOQVE VIro, Domino Georgio Spalatino, Christi seruo, & amico suo charissimo.

De Eccij, Rubij, & Milticij furoribus aduersus Lutherum.

IHESVS.

133.

SAlutem. Remitte quæso spumas Eccianas, mi Spalatine. Nam literas Fran. Siccingeri non mihi misisti: uix legendæ mihi dabantur breuissimo tempore ab Ottone nostro. De Eccio ex Nurmberga & Saltzburga etiam manu Vicarij Staupitij scribitur, ut ille ambiat primores: ediditque denuo suis expensis Augustæ Rubij Rithmos vernaculos in nos. Digna res

theologo profecto. Vicarius noster Saltzburgæ sanum et honoratum se scribit, teque salutat, et ut Principi nostro eum commendes.

Carolo Miltitio faciam, quæ iusserit & consuluerit clemen: Princeps: prope opto in manus istorum venire, quo furias suas aliquando satiarent; nisi verbo Dei timerem & pusillo populo Dei. Vale in Christo. Cogor Amsdorffio nostro cedere, & in Pretisch ire hac hora. Anno M.D.XIX.

Martinus Lutherus

August:

ERVDITO VIRO GEORGIO Spalatino, amico suo.

De conficiendis postillis, deque Eccio, quem ait esse sophistam.

IHESVS.

134.

SAlutem. Nihil est, mi Georgi, quod sæpius a pluribus enixius a me petitũ est, quam quod tu scribis a Principe Illust: a me peti: sed nec ego inter omnia, quæ facio, libentius illo quid facerem: quod hac una ratione sacerdotib. & religiosis posse succurri crederẽ, ut rescissis reiectisque illotis illis fabulis sermocinistarum Christum proscribentibus magis, quam describentibus haberent; quo puram Christi theologiam in

populo

populo vulgarent & errores pellerent:qui velut diluuium iucũdarunt : atq; utinam hoc summi pontifices curarent. Hoc enim erat eorum officium.

Verum quantum est in hac re votum:tantum timeo defuturum esse successum: quod sim occupatior, quam ut huic rei seruiam:aut necesse erit publicæ tum lectioni tum concioni nonnihil detrahi,quod difficile erit. Tentabo tamen & ordiar.si Deo placuerit, procedet,aut opto in hoc totus seruire. Vale,& me Principi commenda. Placet optimi Aurbachij optimum consilium.

Carolo Miltitio credo nihil esse respondendum. Sicut ego scripsi et dixi ita res gesta est: nec aliud possum loqui:nisi velim mẽtiri. Quia si ille ænigmatistes mihi fuit, qui simplicibus auribus audiui:sine culpa mea talis fuit. Vuittembergæ. Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus August:

Mitto literas ad illust:Principem super argumento quod præscripsisti:& rogo pro me gratias agas pientiss: solicitudini suæ: in qua suam gratiam agitari mirum est q̃ doleam & nolim. Eccio nihil respondi, nisi tria verba,id est,eum sophistam per orbem , non mea sed sua culpa famari.Nolo cum homine pluribus agere : totus infidus est, & aperte rupit amicitiæ iura.

SVO IN CHRISTO CHArissimo, Georgio Spalatino, Christi seruo, viro probo & docto, amico & Patrono.

Rogatus de Postillis quadragesimalibus scribendis, difficultatem ostendit propter multitudinem occupationum, quas enumerat. Deinde de Sacramentis disputat, quod, quæ promissiones diuinas fidem exercentes non habeant, pro Sacramentis non haberi debeant. Postremo officia sacerdotum dicit non differre à laicis, nisi quod ad uerbi & sacramentorum administrationem: & præfert uocationis opera omnia us horis canonicis aut præscriptis regulis.

IHESVS.

135.

SAlutem. Fama est heri Carolum Milticium per nos fecisse iter, quod miror: sed hæc transeant. Quę de illusione eius per imaginem meam scribis, legi: uerum quod de enarrandis Euangelijs & Epistolis quadragesimalibus tantopere urges, nescio si queam pręstare: multa sunt, & ego oneratissimus. Putas ne Psalterium exigit integrum uirum? totum eundem concio in populum, per Euangelium & Genesin laborans: tertio totum ipsum preculæ & instituti mei cultus: quarto totum hoc enarrandi munus, vt taceam epistolarum scribendarum, deinde negotiorum alienorum occupationem: inter quæ & congressus familiarium,

miliarium, quem pene commessationem nomino, plurimum mihi temporum pessime furatur.

Certe homo sum & vnus: accingor operi: sed si id, quod tu præscribis, perficiendū est: cætera omnia intermittenda sunt. Atq; vtinam huic uni liceret quieto mihi intendere, magnam mihi hanc felicitatem esse ducerem: tantum abest, ut inuitus hoc agam.

De alijs Sacramentis, non est quod tu uel ullus hominū ex me speret aut expectet ullum sermonem, donec docear, ex quo loco queam illa probare. Non enim ullum mihi reliquum est Sacramentum, quod sacramentum a sit: nisi vbi expressa detur promissio diuina, quæ fidem exerceat: cum sine uerbo, promittentis, & fide suscipientis nihil possit nobis esse cum Deo negocij. Quæ autem de sacramentis illis septem fabulati illi sunt, alio tempore audies.

De 7. Sacramentis iudiciū Lutheri.

a non

Tessaradecas excuditur vtraq; lingua. Officia sacerdotis, quæ ex me quæris, ignoro: cum, quanto magis cogito, non inueniam quod scribam, nisi cæremonialia: deinde ualde me urget Petrus Apostolus 1. Pet. 2. dicens, nos omnes esse sacerdotes: idem Iohannes in Apocalypsi: ut hoc genus sacerdotij, in quo nos sumus prorsus non differre uideatur a laicis, nisi ministerio, quo sacramenta & uerbum ministrantur. Cetera omnia sunt æqualia, si cæremonias et humana

Ratio uiuendi sacerdotum.

 statuta

ſtatuta demas: & ſatis miramur, unde ordo, nomen ſacramenti inuenerit. Mira hæc tibi nonne? ſed præſens plura vna cum Phlippo, quoniam has res & ſæpe & acute tractauimus.

Proinde officium tuum a communibus laicorum officijs nihil differet exceptis oneribus, quæ Romana curia ſine delectu omnibus ſacerdotibus impoſuit. Maximum autem eſt vt conſideres, in quem locum uocatus ſis, hoc eſt, in aulam, ſicut Heſter, uocatus es: ut populis ſeruias (ubi potes) qui ex hac aula regũtur.

Hoc, ut eſt omnium difficilimum & periculoſiſſimum: ita non dubites eſſe ſummum & primum, ſcilicet, incomparabiliter præſtantius omnibus tuis, ſiue horis canonicis, ſiue quibuſcunqꝫ, quæ tibi ullus præſcribere poſſit officijs. D. Heinrico Stromer, credidi per te poſſe quam optime reddi literas: itaqꝫ rogo illuc cures ferendas. Vale & ora pro me. Dominica 4. Aduentus, Anno M. D. XIX. Vuittembergæ.

Martinus Lutherus
August:

REVERENDO PATRI IOhanni Lango, Theologo Auguſt: Erfurden: medio Vicario, ſuo in Chriſto ſuſpiciendo.

De furijs

De furijs Eccij & Emseri, deniq; de Miltitij consilijs sanguinarijs contra Lutherum.

IHESVS.

136.

SAlutem. De Cæsaris Fratris pecunia R. P. fiet quod scripsisti. Non erat Cæsar domi, literis venientibus: an vero hic sit relinquendus, uestrum arbitrium est. Prius enim scripsisti vt maneret, donec vel cursor ad uos reuerteretur: habet lectiones pro theologia, tum libros non ineptos: nisi quod doleo me nõ posse vel omnes fratres ad lectionem theologicam Philippi in Mattheum hora sexta matutina mittere. Superat iste Græculus me quoq; in ipsa theologia.

Psalterium nesciebam te gemellum accipere, alterum ex me, alterum ex Philippo. Cæteras nugas arbitrabar sine meo studio ad te peruenire. Sermonem de vsura, sub incudẽ reuocaui, facturus ut multo plures offendat Christi pura doctrina: alia omnia mitto. Disputationes impressas cura, vt quantotius habeamus.

Eccius minatur & mihi & Philippo & Carlstadio, & toti Vniuersitati nostrę, deniq; ipsi Principi, nescio quas diras. Expuit enim saliuę quoddam chaos uernaculę ad Principem, Deum crederes omnipotentem loqui: sed recte in talem Principẽ talis incurrit sophista.

Placet

Placet tuos Erfurdienses iudicium detrectasse. Iam enim & frustra disputatum est: & iudicatur uane a Parrhisiensibus, hoc est, campus aperitur in Romanum Antichristum loquendi, Deo propitio. Circumfertur apud nos tractatus cuiusdam (ut putant) Boemi, oppido quam eruditus & theologicus in vtraque lingua aduersus tyrannidem Romanæ curiæ.

Non satis intellexi quid uelles, cum scriberes græce, non sine tuo magno studio remissas disputationes duci Georgio: & qua causa tui Theologi & iureconsulti essent adeo ἀποπλυκτοι.

EMSERO non respondebo peculiari libro, quod homo insulsissimus non modo affirmat & concedit, quorum eum insimularam: sed etiam nec statum causæ ulla parte attingit, tantum cōuitijs furens r veniente Eccij (ut promisit) impetu, pariter & illum inuoluam.

Carolus Milticius nunc Torgæ, nunc Lochæ id satagit, ut me secum ad Treuerim ducat: & mire timent, valde machinantur, penitusq; insaniunt aduersarij differri perditionem mei: scribunt Episcopi ad Romam contra me. Quid futurū sit, nec dū ipse scio: forte Treuerim ibo, accepta fide publica, & uocatione Episcopi Treuerensis.

Reuerendus Pater Vicarius Saltzburgæ agit sa-

nus &

nus & honoratus, scribens Eccium ambire primores passim: sed Cardinali Langio Episcopo displicere eccianam modestiam. Lotherus Lipsensis apud nos erigit calcographiam triplicis linguæ. Feruet studium præsertim Theologiæ. Lipsia Lipsiscit, sicut mos eius est: sum occupatissimus. Vale & pro me ora.

Vuittembergæ, Dominica quarta Aduentus.
Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
August:

AD SPALATINVM.

Rursus de Emseri & sacerdotum Misnensium nænijs.

IHESVS.

137.

SAlutem. Remitto Emseri literas mi Spalatine hominis, qui est minatior quam potentior. Ego si meo spiritui habenas laxarem: mox sentirēt aduersus quem scriberent. Eccius enim & ipse nouam se parente dignam peperit prolem, maledictorum colluuiem, pro Aegocerote scribens, dignus patronus tali clientulo: sed hęc eant. Salutem Principis & ipse curo: & curandum alijs commendo diligenter: cui tu quæso gratias age pro nobis quod ferinas carnes miserit.

MM Expecta-

Expectaueramus te huc venturum, vt inter cætera & viduæ istius clamorem, quo fatigat me, tecum communicarem: timeo vox oppressæ in cœlum ascendat: queritur enim sese pene mendicatum cogi. Inuitatus sum a Principe Domino de Anhalt in Dessen; sed nescio an illuc tuto liceat concedere: sane et ipse periculum excepit. Vale & ora pro me.

Hac hora mihi Philippus refert, sacerdotes Missnen: adeo cum Emsero in me insanire, ut sine peccato esse eum censeant, qui me interfecerit: quod Boemos audiant de me gloriari tanquam suo patrono in tempora homicidarum Christo obsequia præstantium: sed alias hæc. Vuittembergæ, Die Natalis Christi, Anno M. D. XIX.

Martinus Lutherus
August:

ANNVS

ANNVS CHRISTI M.D.XX.

SVO IN CHRISTO CHArissimo, Georgio Spalatino a sacris principalibus modo in Zerbist agenti.

De inuidia ac furoribus theologorum Lipsensium contra doctrinam Lutheri: ac Eccij Spurciloquia.

IHESVS.

138.

SAlutem. Mitto tibi, mi Spalatine, literas nouarum rerum, in quibus uidebis quam infelix sit studium Lipsensis inuidiæ: quam maligne abutantur simplicitate optimi ducis Georgij: non ueriti asserere causam maximam, errorem, hæresim, si quis utraq; specie communicet: quod tamen, licet Euangelium Christi instituerit, non uolui iubere, nisi autoritate concilij, fieri. Quid in alijs causis sint, hac vna facile cognoscitur. Lege quæso & reliqua de mysterijs monstrantiarum, item natiuitatis, educationis, parentelæ meæ. Spero adhuc fingent, me vxorem & filios in Boemia habere.

Eccij spurciloquia nolui mittere, quæ edidit in articulos a me defensos: uidebis, si libet, præsens. Canonicos indoctos legisti credo eruditissime & gran-

diloquenter in sophistam grassantes. Vale in Christo, & Dominus intersit Principum istic negotio felix & propitius, Amen. Vuittembergæ, feria 3. post Epiphaniæ. Anno M. D. X X.

F. Martinus Lutherus
August:

DOMINO GEORGIO Spalatino.

Conqueritur de calumnijs aduersariorum, nominantes eum Bohemum: recenset autem suam parentelam & uitam contra Ochsenfartium infelicissimum Theologum. inuehitur etiam in Carolum Milticium Ac respondet Spalatini consilio. an theologia sine offensione Papæ doceri posit. Et offert se ad patientiam.

IHESVS.

139.

SAlutem. Vehementer gaudeo & gratias ago Deo, Mi Spalatine, causam meam eo profecisse: vt me iam, dimissis alijs, & vtraque specie, & parentela mea criminentur. Spero fore per insignem misericordiam Christi in me indigno, vt non perdar propter sententiam aliquam dignam, & quæ momentum habeat, vt sunt liberum arbitrium, gratia, claues ecclesiæ. Nam in ijs uidentur inimici de me desperare, qui tam ridicula exquirunt. Sicut enim Christus propter vocabulum,

ſum, Rex Iudæorum, crucifixus eſt: ita & ego propter vtramq́ ſpeciem: quam nec iuſſi ſumendam nec prohibui: ſicut ipſimet ſcholaſtici quoq́ docuerunt.

De parentela mea, nemo certius referet, quam Comites Mansfeldenſes: credo hos heroas tantum habere & nominis & autoritatis in imperio, vt in hac re mereantur ſibi credi. Suſpicor hoc commentũ eſſe ſeminatum ex Ochſenfartio Theologo Lipſenſi: qui & Eccium occiſum effinxerat, noſtri explorandi gratia: homo ſatis impatiens ſuæ & aliorum pacis, paratus vbiq́ nocere, miſerrimus, nec potens tamen.

Cæterum ego natus ſum in Eisleben, baptiſatusque apud S. Petrum ibidem. Hæc non memini: ſed parentibus & Patriæ hominibus credo. Parentes mei de prope Iſennaco illuc migrarunt. Iſennacum enim pene totam parentelam meam habet: & illic ab eis ſum agnitus & hodie notus, cum quadriennio illic literis operam dederim. Nec vlla ciuitas me notiorem ſibi habet. Spero autem non fuiſſe tam ſtultos, vt Lutheri filium, alius nepotem, alius auunculum, alius conſobrinum (quales ibi multos habeo) ſibi duceret: ſi patrem & matrem Boemos & alios, quam apud eos nati ſunt, ſciſſent. Reliquum ætatis in ſtudio & monaſterio Erfurdienſi peregi. Vſq́ ad Vuittembergã, Magdeburgi etiam vno anno, quarto decimo, ſcilicet, ætatis ſui. *Patria, parentes, & cognati Lutheri.*

Habes vitam meam, & parentelam, uellem autem sicut Christus coram Herode & Anna hanc rem taceri, vt furentes homines sese digna crederent, donec erubescant aliquando. Generatio est, quę nec cantu nec luctu mouetur: cui frustra quæritur, ut prosit ullus hominum.

Hac hora literas tuas accepi de Carolo Milticio, quem scribis iurasse me non fuisse visum sibi. Cur ergö tonsori Andreæ, socius itineris eius facto vsq; in Pretisch confessus est (vt hic palam iactat) se uidisse: & nescio, quas diras contra me excitasse? Sed sine mentiantur, fingant, sapiant, ut ut uolent. Me petunt omnia: atque vtinam fieret, cito, quo a legendi & docendi officio soluerer. Nihil enim æque optarim (quantum in me est) Quod si persistendum est in docendo, Mi Spalatine, non intelligo consilium tuum & tuorum, quos memoras, posse uidelicet sacram theologiam sine offensione pontificum doceri. Scriptura potissimum sacrorũ abusum persequitur, quod non poterunt pontifices sustinere.

Ego tradidi & obtuli me, in nomine Domini. Fiat uoluntas eius. Quis rogauit eum, ut me doctorem crearet? si creauit, habeat sibi, aut rursus destruat, si pænitet creasse. Adeo me non terret ista tribulatio, ut incredibili sinu carbasa cordis mei inflet:

vt iam

vt iam intelligam in me ipso, cur dæmones uentis æquentur in scriptura. Dum enim sese efflant furendo, alios inflant patiendo. Id solum curo, ut Dominus in meis, quas inter me & ipsum habeo, causis mihi sit propicius, atque hoc, ut potes, iuuare digneris.

Istam uero hominum causam, fideli oratione Deo committamus, & securi simus. Quid enim facere poterunt? Occident? Nunquid resuscitabunt, ut iterum occidant? Hæreticum infamabunt? At Christus cum iniquis, seductoribus, maledictis damnatus est: eius passionem si quando intueor, mire uror, hanc meam tentationem non solum aliquid, sed etiam maximam uideri tam magnis & multis, cum sit re uera nihil: nisi quod funditus desueuimus passionibus & malis, id est, Christianæ uitæ.

Proinde sine, quanto illi insurgunt potentius: tanto a me ridentur securius. Statutum est apud me, nolle quicquam in hac timere, sed omnia contemnere. Et nisi principem uererer inuoluere, Apologiam fiducia plenam ederem: prouocaturus amplius istas Erinnidas irrisurus stultissimum eorum furorem in me.

De uidua præsens tecum. Philippo dixi et legi, quę scripsisti. Prępositũ Cameracensem non recte arguis,

culpa

culpa est Magistri Spalatini. Nam ego te pridie quærebam permansurus esset Princeps, nec ne, diem Dominicam? respondisti te nescire. Deinde nemo mihi de concione verbum fecerat: promiseram autem iam antea præposito, venturum esse me ad eum diem pro informando populo suo: quod mihi seruandum videbatur, dum non intercipiebar alio mandato: nec credo periculum esse in tanto nostri loci spatio. Vale & ora pro me. 14. Ianuarij. Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus August.

AD SERENISSIMVM PRINcipem & Dominum, Dominum Carolum V. Romanorum Cæsarem, Imperatorem Augustum, Hispaniarum &c. Regem, Archiducem Austriæ &c.

Causas ostendit Imperatori, cur supplex ad ipsius Maiestatem confugiat & patrocinium quærat. Nam ipsum editis quibusdam libellis contra superstitiosas traditiones humanas sibi conciliasse multorum iram, odium ac pericula, quibus innocenter prematur. Petit igitur exemplo Athanasij suam causam ab ipsius Maies: cognosci; nec ueritatem inauditam condemnari.

IHESVS.

IHESVS.

540.

GRatiam & pacem a Domino noſtro Iheſu Chriſto. Quod ego Maieſtatem tuam sereniſſimam, Imperator optime Carole, audeo literis adire, nemo non optimo iure mirabitur. Quid enim inſolentius uideri poterit, quam regem Regum et Dominum dominantium in terris a uili & infimæ ſortis homuntione compellari? uerum minus mirabitur, quiſquis cauſæ magnitudinem contemplatus, de Euangelica ueritate agi intellexerit: quæ cum digna ſit etiam cœleſtis maieſtatis thronum accedere, non indigna uideri debet, quæ terrenũ principem conueniat. Accedit, quod terreni Principes, ut ſunt imagines cœleſtis: ita eos decet hunc imitari: ut & ipſi in altis habitent, humilia tamen reſpiciant in terra, & ſuſcitent de terra inopem & de ſtercore erigant pauperem. Venio itaque inops & pauper ante pedes tuæ sereniſſimę Regiæ maieſtatis proſtratus, indigniſſimus, digniſſimam tamen cauſam producturus.

Editi ſunt a me nonnulli libelli, quibus multorum & magnorum mihi conflaui inuidiam & indignationem: ubi duplici tutus eſſe præſidio debui: primum, quod inuitus in publicum ueni: nec niſi aliorum ui & inſidijs prodiens ſcripſi, quicquid ſcripſi:

nihil unquam ardentioribus uotis expetens, quam ut in angulo meo laterem: deinde quod teste conscientia mea ac optimorum uirorum iudicio, non nisi Euangelicam veritatem studui euulgare, aduersus superstitiosas humanæ traditionis opiniones: propter quam tertius iam finitur ferme annus: ex quo patior sine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid aduersarij possunt excogitare mali. Frustra interim ueniam peto: frustra silentium offero: frustra pacis conditiones propono: frustra erudiri meliora postulo: vnum est quod in me paratur, tantum ut extinguar cum uniuerso Euangelio.

Cum autem omnia frustra tentarim, uisum est tandem exemplo S. Athanasij, imperatoriam maiestatem inuocare: si forte Dominus dignetur per eam suæ causæ adesse. Quare serenissimæ maiestati tuæ, Carole Princeps Regum terræ, suppliciter procumbens supplico: dignetur non me, sed causam ipsam veritatis, ob quam tibi solam datum est gladium gestare, in uindictam malorum, laudem uero bonorum, sub umbram alarum tuarum suscipere: & me in illa non amplius nec longius tueri, quam donec reddita ratione, aut uicero aut uictus fuero. Nolo defendi: si impius & hæreticus inuentus fuero. Vnum

peto,

peto, ne damnetur siue ueritas siue falsitas inaudita & inconuulsa.

Hoc enim regium & imperatorium tuum decet thronum, hoc tuum ornabit imperium: hoc tuum consecrabit posteris seculum: si non patiatur maiestas tua sacratissima, ut impius conculcet & deuoret iustiorem se: & sit facies hominis, ut Propheta ait, quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem, dum sit iudicium & contradictio potentior. Ita me commendo, ita confido, ita spero in tuam sacratissimam maiestatem: quam Dominus Ihesus nobis seruet, & magnificet, ad gloriam Euangelij sui sempiternam, Amen. Datum Vuittembergæ die 15. Ianuarij. Anno M.D.XX.

Serenissimæ maiestatis
tuæ ac regiæ Imperatoriæ

Clientulus deuotus

Martinus Lutherus.

VIRO PIO ET ERVDITO Domino Georgio Spalatino, a sacris ducalibus Saxoniæ, suo in Christo amico.

Miltitij sermonibus inuitatus, sui purgationem ad pontificem se uelle parare, dicit: eiq; silentium polliceri, modo aduersarij quoq; taceant: euentu Dei uoluntati commisso.

IHESVS.

141.

SAlutem. Conuenimus Lichtenbergæ, mi Spalatine, D. Carolus Miltitius & ego: quantumq; ex eo audio, magna spe statuimus, vt ego ad summum pontificem epistolam edam utraq; lingua, prefixam paruulo alicui opusculo: in qua narrem historiam meam: & quod non unquam personam eius appetierim, totum pondus in Eccium uersurus.

Lutherus offert silentium. Quæ omnia cum ita uere se habeant, facile facio & quam possum humillime offeram silentium: modo cæteri quoq; sileant, ut nihil uidear omittere, quod in me ad pacem quoquo modo facere possit, desiderandum: id quod semper facere paratus fui, quod non ignoras. Parabo itaq; hæc ante omnia propediem: si eueniet, quod speramus, bene factū est: sin aliud erit, id quoq;

id quocp bonum erit. Quia domino placitum erit. Lichtenbergæ Antonianæ. Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus
August:

ERVDITISSIMO ET INtegerrimo viro, Domino Georgio Spalatino, Canonico Aldenburgen: Principis Saxoniæ electoris a sacris & epistolis, suo in Domino maiori.

Apologiam de specie utraq; deq; natalibus suis promittit: confitendi modum à se scriptum reposcit: sacerdotiq; cuidam pastoris munus in Lochau petit.

IHESVS.

142.

SAlutem. Apologiam uernaculam Nurmbergen: credo ad te peruenisse, mi Spalatine, sed ego edo uernaculam, super isto monstro rumoris de utracp specie & natiuitate mea, ita uolentibus amicis. Consarcinaui tibi aliquando modum confitendi: huius exemplar cupio habere, quod metuo, id, quicquid est, excudi, sicut scribit Adelmannus noster: qui optauit, ut emendatum aut mutatum ad se mitterem. Hic sacrificulus suasu quæstoris Lochauien: petijt a me tibi

commendari pro Parrochia in eadem Lochau uacante (ut scribit) obtinenda: atq; sic facio: tu quia mores Aulæ & rerum negotia melius nosti uideris, quid meę commendationi præstandum sit. Seruet Dominus Ihesus nobis Principem, quem audiuimus ægrotare. Deus bone, quid agitis illis longissimarum istarum causarum. Vale & ora prö me. Vuittembergæ 18. Ianuarij. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus
August.

REVERENDO PATRI IOhanni Lango S. T. Magistro Eremitarum S. August: Vicario, Erfurdię, suo in Domino maiori.

Mittit sermonem de Eucharistia, contra Lipsenses nequitias.

IHESVS.

143.

SAlutem. Noua non sunt apud nos, mi Reuerende Pater. Nam Canonicos indoctos uidisti: Apologiam Noribergensem uernaculam excudemus: si possumus præ temporis inopia. Mitto declarationem pro sermone Eucharistiæ contra Lipsenses nequitias: quibus me Boemum natum tanta fide sparserunt, ut

aulas principum permouerint. Ducem Georgium captiuum ducunt mihi infensissimum factum: denique minatus est Dresdensibus propter me expulsionem ut uocant. Psalterium noua ratione excudetur: quia excussor afficitur damno relictis multis sibi schedis: atque simul ex Lottheriana officina prodibit formis honestioribus suo tempore. Est in manibus aliquorũ egregia epistola Erasmi ad Cardinalem Moguntinum, de me multum soliciti: forte excudetur tandem, ubi egregie me tutatur: ita tamen ut nihil minus quam me tutari uideatur, sicut solet pro dexteritate sua. Hispaniarum Legatus apud principem nostrum est, cum quo heri ego & Philippus certauimus, splendide inuitati: orationem heri habitam a Philippo uidebis statim excusam. Vale & pro me ora, altera Conuersionis Pauli. Anno M. D. X X.

Saluta R. P. M. B. Vsingen &
Natyn ac omnes.

F. Martinus Lutherus.

ERVDITISSIMO INTEGERrimoque viro Georgio Spalatino, Christi seruo suo, in Domino maiori.

Literas

Literas ad pontifices pollicetur: ac doctrina & moribus bonis ornatum iuuenem commendat, sedulo rogans, ut Lochanæ ecclesiæ pastor constituatur.

IHESVS.

144.

SAlutem. Literas ad pontifices designatos hodie uel cras tradam, mi Spalatine: interim pro Parrochia quod scripsisti Lochana expedio: & hunc tibi hominem meo & multorum iudicio idoneum mitto. Est enim studiosus & doctus & bonis uir. Iacobus Gropp, vocatur. Quo minus autem artium magister fieret, sumptus penuria fuit in causa, atque aliud nihil: poterit futuro anno hoc gradus, quidquid est, obtinere: si parrochia ista prouisus, pinguior fieret. Proinde magisterium non est uisum mihi impediturum, quando et scientia & moribus tum sacerdotij functione æquat illius gradus uiros. Quare eum tibi & per te clementiss: Principi commendo in nomine Domini, Amen. Vale & pro me ora. Pridie Calendas Februarij. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus
August:

REVEREN-

REVERENDISSIMO IN Christo Patri, Illustrissimo Domino, Domino Alberto, Magdeburg: ac Mogunt: Ecclesiarum Archiepiscopo, Primati Germaniæ, Marchioni Brandenburg: &c. Domino suo & Pastori in Christo gratiosissimo, ac venerabiliter metuendo.

Contra delatores & maleuolos, petit errores, si qui sunt in suis lucubrationibus, monstrari, & meliora doceri, paratus cedere meliora docenti.

IHESVS.

145.

SEse in Domino commendat cum omni subiectione & reuerentia. Non auderem unquam, reuerendissime in Christo Pater, & illustrissime Princeps, ego infime sortis homuncio apud magnitudinem tuam, nec per ipsas literas (quibus multa conceduntur, quæ præsens verecundia non præsumit) uerba facere: nisi me maioris rei ratio cogeret, videlicet, christianæ fidei & ueritatis professio, communisqꝫ omnium salutis in Christo obseruatio: quibus si mea causa periculum instet, impiissimus fuero, si tacuero. Siquidem redditus sum a fide dignis uiris certior, mihi etiam apud tuam magnitudinem, reuerendissime in Christo Pater, inuidiam moueri, & odium conflari,

forte & ab ijs, qui apud alios me laudant & tuentur.

Hic, vt cum Domino meo gratiosissimo loquar, iuxta conscientiæ meæ fiduciam, nonne si falsa sunt, quibus accusor, non tam ego qui nihil sum, quam tua Reuerendissima Paternitas & illustrissima Dominatio in periculo maximo est? Ne quando (ut sumus homines) aliquis Siba adulator, etiam innocentissimum Dauid, uirum secundum cor Dei electum, auertat a paupere & claudo Mephiboseth, ut in libro Samuel. 2. cap. 16. legimus. Quis principum satis tutus esse potest a falsis & subdolis suggestoribus: quando Dauid tantus ac tam sanctus vir, per vnum Siba sic circumuentus est.

Fuit sane & hæc non leuissima causa, ut auderem has literas scribere, quod mihi conscius essem seduli & fidelis officij debiti reuerendissimæ Paternitati tuæ: ne Dominum meum paterer tanto exponi periculo: imo ne veritatem euangelicam sinerem sub nomine impietatis apud tantum principem cum tanto tantorum hominum dispendio infamari. Nec enim idem est, ueritatem male audire apud quemuis uulgarem hominem, & tot animarum Episcopum: quem siue recte monitum, siue circumuentum, necesse est plurimos sequi: sequi autem aduersus euange-

uange-

uangelicam veritatem, omnium malorum seminarium est.

Si vero recta sunt & vera, quibus accusor, permittat mihi gratia Domini mei meam queri miseriam. Cur non me docent meliora? cur non ostendunt errorem? cur prius apud magnates damnant, quam conuincunt? præsertim cum pollicear toties, me auditurum meliora: cum tam paratus sim cedere sensu meo: imo cum tanto æstu petam a docendo submoueri, & in angulo latere.

Docere cogor quæ didici, & in sacris literis lego: & arguor, quod doceo: quæ illi aut nolunt, aut non possunt arguere. Atque vtinam tantum esset ocij Domino meo gratiosissimo, quo meas posset legere vel audire lucubrationes: non dubito fore, quin reuerendissima Paternitas tua cognitura sit, Deo propicio, quam aliena sint a me crimina eorum in me congesta. Nec enim adhuc audiui mea damnata ab vllis, nisi ab his, qui ea non legerunt nec audierunt, exceptis paucis: quos inuidia non modo tenet ne legant, sed etiam si quædam legant, statim deprauant, ea in me fingentes, quæ ne cogitaui unquam. Quale est illud de vtraque specie, & Romani pontificis potestate: in qua re, si velint fateri verum, ipsi vere mecum sen-

tiunt, quantumlibet simulent dissensum: id quod facile intelliget, qui mea legerit.

Quare per tuam, reuerendissime Pater, in omnes bonas literas literatosq; viros celebratam illam & omnibus amantissimam benignitatem suppliciter oro, dignetur reuerendissima & illustrissima dominatio tua et me benigniore, quam illi delatores quęrunt, opinione & nomine, non tam meo, quam suæ ipsius multorumq; aliorum salutis intuitu, imo Christianæ veritatis causa, quæ non potest non offendi, si inique, siue reprober auditus, siue contemnar erudiendus & auditurus.

Testis est mihi in animam meam Ihesus Christus omnium iudex, me non esse conscium docuisse, præter id, quod Christum & Dei præcepta referat: rursus non esse tam pertinacem, quin velim doceri, & errore cognito mutare sententiam. Atq; vtinam id officij ex reuerendissima Paternitate tua liceat experiri. Qui enim hucusq; sum multis mendacijs varie petitus & tamen postea luce veritatis reuelata, innocens inuentus: cogor suspicari, & eos qui adhuc & alijs vijs me petunt, non sncere agere: præsertim cum nolint docere paratum doceri, sed tantum criminari.

Hæc reuerendissime Pater, & illustrissime Princeps, visum est, suggerere necessarium, aduersus siue

malas,

malas, siue deceptas bonas mentes: quo implerem & meum officium, qui me partem gregis tui, in diocœsi tua natum educatumq; agnosco: ne quid mei silentij culpa grauius increpet in animum Domini mei gratiosissimi: quæ pro sua insigni clementia gratiose & patienter velit agnoscere, & meam paruitatem magnitudini suæ habere commendatam, in Christo Ihesu Domino nostro: qui reuerendissimam Paternitatem & illustrissimam dominationem tuam regat & seruet in sæcula, Amen.

Vuittembergæ 4. Februa. Anno M.D.XX.

Tuæ reuerendissimæ paternitatis
dedidissimus filius
Martinus Lutherus.

RESPONSIO EPISCOPI Moguntini.

ALBERTVS MISERATIONE diuina: Tituli S. Chrysogoni S. Ro: Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, sanctarum Magdeburgen: & Mogunt: Ecclesiarum Archiepiscopus, Primas Germanię Princeps Elector, Administrator Halberstaden: ac Marchio Brandenburgen: &c.

Hortatur spiritu plane diabolico Lutherum ad moderationem suarum disputationum: & uult eas non spargi in uulgus ne in contemptum abeat authoritas pontificis: sed inter doctos & eos, quibus Antichristus commisit suæ doctrinæ custodiam, agitari ut uidelicet eo citius reprimi spiritus Lutheri poßit.

146.

SAlutem in Domino. Accepimus literas tuas, honorabilis ac religiose in Christo nobis dilecte: quibus nos a subdolæ suggestionis, te autem ab inuidiosæ insimulationis pertinaciæq; periculo vindicare contendis. Atq; non potest nobis non placere, quod polliceris meliora te auditurum: si edocearis, teque paratum esse sensu tuo cedere. Nos siquidem, etsi pro officij nostri debito res christianæ fidei pietatisq; vehementer nobis cordi esse profitemur: lucubrationes tamen tuas, quæ iam in omnium manibus passim versantur, nec vel legere vel saltem obiter videre, hactenus per ocium datum est. Quare nec de his modo censuram facere nostri est consilij: sed illud eorum iudicio relinquere, qui nobis maiores sunt: quos iure reueremur, quibusq; tripodem merito cedimus, quiq; hoc negotium expendendum discutiendumq; iam pridem sibi susceperunt.

Illud tamen ex animo velimus, res sacras, cum a te, tum a quibusuis, qui hanc professionem sibi suscipiunt, reuerenter ac religiose, modesteq; sine tumultu, sine

tu, sine inuidia ac contumelia, vt conuenit, tractari. Quoniam non sine graui animi dolore ac vehementi displicentia indies intelligimus, a quibusdam etiam non obscuris religionis Christianæ professoribus, pro friuolis suis opinionibus, quæstiunculisq́ue: vt puta, de Romani pontificis potestate, an, scilicet, de iure diuino humanoue sit? deque libero arbitrio, atque multis alijs his similibus nugamentis, non admodum ad vere Christianum pertinentibus: tanquam pro re ardua & maxima, acerrime digladiari, omniaque ad viuum (quod aiunt) exigi, quemq́ue suam opinionem fastuosissime, nec citra aduersantis iniuriam, summamq́ue contumeliam acerrime tueri. Atq́ue per hec non sine magno periculosoq́ue inobedientiæ concitamento fomentoq́ue multas temerarias, ac nimio curiosas opiniones ad fluctuantem multitudinem imperitumq́ue vulgus spargi: multaq́ue temere contra ea, quæ publica autoritate ab Ecclesia Christi iampridem recepta sunt, de venerabili synaxis Sacramento, conuenientius sub specie vtraq́ue omnibus tam clericis quam laicis indiscriminatim exhibendo, nō sine graui imperitæ multitudinis offendiculo, popularium auribus suggeri. A nonnullis insuper accipimus, & generaliū conciliorum autoritatem audentius extenuari, quo suas mordicus teneant defendantq́ue opiniones.

An hæc

An hæc & similia vel a te vel alijs ita fieri expediat, eque fidei Christianæ maiestate, syncerітate ac dignitate procp illius pace, Ecclesiæcp tranquillitate futura sint, minime videmus. Possent forsan hęc commodiori & loco & tempore inter literarum peritos, & eos, quibus summa huius rei commissa est, multo maiori cum fructu, sine etiam tanto periculo, sine inobedientiæ ac inuidiæ fomento, sine insuper tanto multitudinis offendiculo modestius, ac citra cuiusuis contumeliam & expendi & discuti, quam taliter inter imperitos ac hallucinantem plebeculam ita temere tractari.

Cæterum, quod te veritatem, quam sacris in literis legeris didicerisqꝫ, docere profiteris: non possumus improbare, modo id a te fiat pie, mansuete, citra mordacitatem, absqꝫ inobedientiæ in publicam Ecclesiæ autoritatem incitamento fomentoqꝫ. Quod si ita fiat, opus tuum ex Deo, erit utiqꝫ laudabile fructuosumqꝫ, & vt cum Gamaliele illo, de quo Acto. 5. tibi loquamur, firmum ac indissolubile: sin vero ex inuidia opus tuum fastuqꝫ, maleuolentia, ex hominibusqꝫ est, facile dissolui poterit. Quando nulli non periculum esse constat, Dei beneficijs abuti, veritati Deoqꝫ repugnare: qui & nobis & tibi omnibusqꝫ

Christianis

Christianis bene agere concedat. Vale in Christo. Ex Calbis, 5. Calen. Mart. Anno M.D.XX.

Honorabili & religioso nobis in Christo dilecto, Martino Luthero, Theologiæ professori &c.

AD EPISCOPVM Mersebургensem.

Eiusdem Argumenti cum superiore. Queritur enim de impijs præiudicijs, quod nec auditus nec conuictus damnetur: & petit ab Episcopo meliora doceri.

IHESVS.

147.

SEse cõmendat cum omni subiectione & reuerentia. Certior factus, reuerende in Christo pater, illustrissime Princeps, quam male ego apud tuam reuerendam Paternitatem præ ceteris audiam, ob quosdam, qui siue zelo Dei, siue alio affectu rapti, mea omnia traducunt aliter, quam vellent sua a quouis traduci: non potui rationem habere, tam tuæ magnitudinis, quam meæ paruitatis, quin auderem his literis thronum dominationis tuæ accedere. Idq; nulla alia causa, quam ne conscientia mea olim me uexaret: si

occasione silentij mei aut ueritas ibi periclitaretur, aut hominum salus, vbi maxime debet tuta & rata esse.

Si enim falsa sunt, quæ in me congerunt: non sine periculo creduntur: quod hac fide impie fiant alieni a fide Christi: cuius veritatem falso accusatam pro mendacio habent, quicunque delatoribus istiusmodi credunt.

Nec difficile est, etiam Principes uiros falli adulatoria sedulitate speciosissima, quando Dauid rex integerrimus, vno Siba adulatore, in Mephiboseth sæuijt seductus: et Iosaphat bonus rex nec sano Propheta Michea, potuit reuocari, quin raptus multitudine & autoritate falsorum Prophetarum, cum impio rege Achab iret in præcipitium periculi.

Sin autem uera sunt: mirum, imo miserum est, non inueniri qui me docere dignetur, qui toties promisi auditurum meliora, & sententiam mutaturum: quin usque hodie opto a publico moueri, relicto docendi negocio, tam apud Deum, quam homines periculosissimo. Scio quod non viuo, quæ doceo, ideoque tædet me officij huius: tantum abest, vt gloriam quæram, vt multi mihi imponunt: vnde testem audeo inuocare in animam meam Dominum Ihesum Christum iudicem

dicem futurum, me nec nosse, nec posse alia docere, quam quæ docui. Nec mihi sum conscius, unquam aliquid docuisse, quod non Christum et Dei pręcepta referat: nec ullus adhuc aliter conuicit.

Quid igitur faciam? lucrum non quæritur: nec si quærerem, possem inuenire, in tanto multorum odio, multo minus gloria, in tanta mei infamia. Essem ego sane omnium, qui unquam fuerunt, insanissimus, qui has res sectarer: ob quas damna pro lucris, confusionem pro gloria, censuram, uim & mortem pro tutela & vita assidue patior, siqua errarem: post hæc mala æterno quoque sim igni perdendus. Etsi talis quispiam forte queat inueniri obstinatus: ego tamen spero me aliter affectum esse, vel hoc nomine, quod inuitus doceo, & ministerio verbi seruio. Qui enim gloriam obstinati quærunt, non inuiti docent.

Hæc Reuerende in Christo Pater, ea fiducia ad reuerendam Paternitatem tuam scribo: primum, quod multa mihi præsumam de ingenita mihique perspecta benignitate tua, quam omnino confido hæc mea scripta benigne agnoscituram: denique quod mihi reus videbar, si reuerendam Paternitatem tuam inter has linguas iniquas, in me machinantes mala, solam relinquerem: imo veritati Euangelicæ

propter me forsan male audienti defuissem. Nec dum audiui, qui mea legissent & damnassent, nisi paucos quosdam: quos inuidia moueri, ex eo conijci potest, quod hucusque in me toties reperti sunt mendacia sua cogitasse, etiam sub sacri Romani pontificis nomine. Quid enim non auderent, qui sub Papæ nomine falsis Breuibus me citant, monent, accusant, damnant, hæreticum declarant?

Fidem autem mihi facit, mea esse sana & recta, quod hi, qui apud exteras nationes sunt, & neutri partium adhærent, ingeniosissimi et doctissimi, mihi plurimum gratulantur: quod & accidere reuerendæ Paternitati tuæ firmiter crediderim: si præ negotijs uacaret, mea scripta uel legere uel audire.

Proinde, quando ego non possum offendi, nisi ueritas simul offendatur, si reprobor auditus, aut contemnor auditurus: neque enim aliud facere possum amplius, quam quod auditurum me polliceor meliora, si bona non sunt, in quibus audior, uolui his literis reuerendæ Paternitati tuę, tum meum debitum officium persoluere: ne Dominus meus aliquo Siba uel pseudopropheta Zedechia præoccuparetur: & ad tanti Episcopi exemplum plurimi similia saperent: atque ita meo silentio, non meam quidem famam sed Christi gloriam pessundari permitterem: tum humiliter &

ter & obnixe rogare, ut reuerenda Paternitas tua uelit meam paruitatem suæ clementiæ habere commendatam: & si me usquam errasse norit aut credat, paterne reuocare, & errorem indicare.

Nam quod de potestate Romani pontificis, & utraque specie Sacramenti in me tantum eleuant: confido proprias eorum conscientias pro me testificari, nec dissentire nos in ea re, nisi forte solo nomine. Verum dabit his quoque Deus suum finem: qui reuerendam Paternitatem tuam seruet ac regat in secula. Amen. Datum Vuittembergæ 4 Februarij Anno M.D.XX.

Reuerendæ Paternitatis tuæ
Pauperculus precator
F. Martinus Lutherus.

EPISCOPI MERSEburgensis Responsio.

Petenti informationem respondet sibi uideri consultius, ut alia utiliora quam contra Romanum pontificem scribat.

Ihesum Christum charitatis & pacis amatorem pro salute.

VEnerabilis Pater,& Doctor eximie, literas tuas hesterno vesperi redditas legi: & minime diffiteor, quin pro te & de te sæpe doluerim: cum multorum & magnatum scriptis relatibusq; simplicitatem populi, uel eius etiam, cuius mihi omnium minimo cura credita est, ex parte nuper editis de uenerabilissimæ Eucharistiæ communione nonnihil scrupuli conscientiarum concepisse intellexerim: quam insuper utilitatem conferant distorti passim inuectiuarum aculei, prorsus non uideo.

Si probentur exteris, & christiani referant:aliorum sit iudicium. Ego ex corde cuperem te cæterosq; omnes christianæ religioni deditos, non his pestiferis stimulis agitari, sed potius zelo diuinæ charitatis affici. Neque tanti iurgij in Romanum pontificem causam capere ualeo: ipsumque maximopere detestor: neque tu nescis qua illud audacia per te fieri: & qua aure transcurri liceat. Potuisti præterea pro insigni industria tua, meo quidem iudicio, pro his scribere saluti charitatiq; procul dubio commodatiora:quod & hortor,iurgijs & opprobrijs huiusmodi spretis & posthabitis, etiamnum ac deinceps iugiter sis facturus.

Quæ uero latius in literis tuis indicare tibi postulas,

stulas, & auditurum polliceris: quia commode scribenda non sunt: dum forsan colloquendi aliquando continget occasio, tribuente Christo, super his coram prolixior ero. Vale feliciter in autore pacis, Ihesu Christo, cuius amore calamum temperare digna-beris. Ex Marsburgo, VI. Calend. Martij.

Anno M. D. XX.

Venerabili fratri Martino Luthero Augustiniano S. Theologiæ Professori Vuittembergen: ad manus proprias.

SVO IN DOMINO CHArissimo Georgio Spalatino, a sacris & Epistolis principalibus Saxoniæ, suo in Christo maiori.

Mittit Epistolas ad episcopos: & Carolstadij uehementiam contra Eccium cupit coerceri.

IHESVS.

149.

SAlutem. Mitto tandem literas ad R. D. Episcopos, tu uidebis an prosit eas mitti: præsertim postquam arte Lipsicę factionis Episcopus Misnensis publica schedula edidit inhibitionem contra sermonem meum

meum de Sacramento, cum quo ſpes eſt multos alios cõſpiraturos: ego tamẽ contrariam ſchedulam editurus ſum, et has inſcitiæ inſulſiſſimas laruas, carnis priuio hoc traducturus, Deo propitio: Carlſtadium fœdiſſime proſcidit, & me quoque inſaniſſimus Eccius nouo libello edito in eum, cui parat Carlſtadius reſpondere, ſed adeo indigeſto calore animi, vt titulum libello fecerit: Contra brutiſſimum aſinum & aſſertum Doctorculum &c. Fac ſi licet, vt ei ſuadeas, aut deſinat illi remaledicere, aut penitus reſpondere omittat: ſatis nimis valde ſeipſummet infeliciſſimus Sophiſta eo libro fecit ludibrium & nauſeam, cui alterius recriminatione addi nihil poteſt, niſi impudentiſſimæ ſuæ turpitudini forte operculum, quo minus turpis appareat. Nam ego hominem ita contemnere cœpi, vt nullum vnquam magis contempſerim. Carlſtadius me monentem non patitur: ſed nec tutum eſt, ſi reſciſcat, ex me tibi hæc innotuiſſe, vt eſt homo infirmatus ſuſpitionibus.

Teſſaradecadis frontalis epiſtola omiſſa eſt, magna libelli deformitate, & mea indignatione: abſente me prior ſexternio excuſus eſt. Vernacula propediem quoqꝫ abſoluetur. Tardi eſſe cogimur, tum copia negotiorum, tum inopia typorum. Exibit omnino vernacula Apologia, & canonici indocti ſimul,

Philippo

Philippo memini me optaſſe vxorem ſuis moribus aptam, nec adhuc pœnitet optati: metuo homini caſum, qui magna ingenia ferme perſequitur: tum quod homo eſt rei familiaris ſuiqꝫ corporis incurioſiſſimus: nec dum tamen uideo hominem ad id genus uitæ propenſum. Viduæ huius iterum mitto ſuplicationem, gemit ac plorat, deumqꝫ conteſtatur, ſe mendicam futuram, niſi recipiat domum. Ego apud D. Canonicos fruſtra laboro; nec reliquum uideo: niſi Princeps illuſt: in ea re aliquid fecerit. Nollem certe mendicam fieri hac occaſione: ne forte una ſit earum viduarum, quarum Deus, iudex in ſcriptura pronunciatur. Mitto vt remittas ſchedam inhibitionis Miſnen: fœtum, ſcilicet, & magnæ inuidiæ & maioris inſcitiæ. Vale & ora pro me, die 5. Agathæ. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus
Auguſt:

ERVDITO AC INTEGRO viro, Domino Georgio Spalatino, a ſacris & literis principalibus Saxoniæ ſuo in Chriſto maiori

Eccij furores aduerſus libros & doctrinam ſuam recenſet: deinde promittit enarrationes Euangeliorum: quanquam alijs laboribus ſe diſtrahi queritur.

QQ IHESVS.

IHESVS.

150.

SAlutem. Bernhardus Adelmannus scripsit sese curasse, vt Eccio responderetur: tantum habeo. De autore indoctorum doctissimorum canonicorũ, stylus, nostro iudicio, vtrumq; refert et Ecolampadinum & Conradum Adelmannum fratrem Bernhardi, qui mihi valentior pleniorque videtur Bernhardo. Scripsit Vuenceslaus noster,104Ecciũ mandasse primoribus, ut publico foro exurerentur libri mei, canonici indocti, & Apologia vernacula: cumque vas illic esset paratum, ut crastina succenderentur, quosdam saniores doctores Ingolstadij consuluisse Iohannem Reuchlein, illumque respondisse: cauerent sibi, ne hac re tam sibi quam toti Vniuersitati maculam parerent. Itaque omissum est opus. Vbi Eccius altera die ad locum uenisset, iratus discessit, re infecta: credas hominem maenada aliquam baccham factum. Sic theologissamus hodie. Caeterum nollem te legere: leges tamen quae in Carolostadium effutiuit: quem ita confoedat, vt necdum uiderim nec audiuerim librum impudentiorem & impuriorem. Deplorati animi homo est: miser sophista, ubi uidet suum propositum uel differri uel irritum fieri. Dux Georgius denuo scripsit Erfurdien: magno supercilio (sic

Langus

Langus noster scribit) vt respondeant, vter nostrum de fide melius sentiat. Bonus Princeps, sed qui ἄγεται καὶ φέρεταί τε ἀπὸ τῶν σοφιστῶν. Carlstadius in Eccium molitur contraria. Ecce fructum disputationis Lipsicæ. Ne verbum quidem ego collegi de concionibus meis in Matthæum, mi Spalatine, etiamsi vix aliud æque uelim: verum tempus destituit me. Porro Enarrationes ab aduentu inceptas nondum perduxi, ad quadragesimam: nihilque de quadragesima incepi. Vis rationem breuiter. Impossibile est mihi facere: votum non deest, vires satis sunt Dei gratia: sed vix Psalterio sufficio: non credis quantum aliquando mihi uel vnus versus præbeat negocij. Conciones in Matthæum.

Dices Principi, me, sicut libenter rem sum agressus, ita libenter prosequuturum: verum tu da dies binos aut ternos pro singulis, & vix satis erit. Rapitur mihi nonnunquam tempus, & alieno obsequio fratrum & proximorum: heri quoque perdidi diem medium, responsione ad inhibitionem Misnen: sum certe velocis manus & promptę memoriæ: e qua mihi fluit potius quam promatur quicquid scribo: nec sic tamē sufficio: alijs tardioribus quid accidat miror. Scis autem studiū nostrū esse, vt Lotterianis typis recte institutis excudātur simul vniuersæ enarrationes,

atque id agitur, ut quam primum incipiamus simul & philippicas super sententiarum. Vale & me Principi commenda, octaua Februarij.
Anno M,D.XX.
Martinus Lutherus
August:

ILLVSTRISSIMO RRINcipi & Domino, Domino Friderico, Saxoniæ duci, Sacri Romani imperij Archimarscallo & electori, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misnæ, Domino suo clementissimo.

Et mandato diuino & priuatis officijs adductus, tum suasu Spalatini, libellum consolatorium, in totidem locos conjectum, quod sub papatu credita sunt numina auxiliaria, ægrotanti principi confirmando offert.

151.

DOminus noster Ihesus & saluator noster, reliquit mandatum, quod pariter ad omnes Christianos pertinet: ut officia humanitatis, uel potius (ut Scriptura uocat) misericordiæ opera afflictis & calamitosis præstemus: vt morbo oppressos uisitemus: captiuos liberare studeamus: & alia eiusmodi proximo nostro faciamus, quibus presentia mala nonnihil releuentur.

Atque

Atque huius mandati Dominus noster Ihesus Christus in seipso illustre exemplum nobis proposuit: quod propter immensum erga genus humanum amorem, ex sinu Patris in nostras miserias, & carcerem nostrum hic, in carnem, & calamitosissimam uitam nostram se dimisit, ac nostrorū peccatorum poenam recepit in se: ut nos saluaremur. Sicut dicit Iesaie cap. 43. In peccatis tuis fecisti me laborare, & in iniquitatibus tuis mihi fecisti negocium &c.

Hoc tam illustre exemplum, si quem non commouet: & autoritas diuini mandati addita, si quem nō impellit ad hæc charitatis opera præstanda: næ ille merito in nouissimo iudicio audiet uocē irati iudicis, I maledicte in ignem æternum. Fui enim infirmus, & non me uisitasti: sed extreme ingratus, pro summis beneficijs in te & uniuersum mundum a me impensis ne in leuissimis quidem officijs fratres, imo me Christum Deum & saluatorem tuum in fratribus subleuasti.

Cum igitur, illustrissime Princeps, uideam tuam Dominationem graui morbo oppressam, & simul Christum in te ægrotare: existimaui officij mei esse, ut aliquo scripto tuam D. uisitarem. Neq; enim dissimulare possum, quod non audiam uocem Christi ex tuæ D. corpore & carne ad me clamantis ac dicentis:

Ecce infirmor hic. Iſta enim mala, ut ſunt morbi & alia, non nos chriſtiani, ſed ipſe Chriſtus Dominus & ſaluator noſter, in quo uiuimus, patitur: ſicut manifeſte Chriſtus teſtatur in Euangelio: quidquid minimo ex meis feceritis: mihi feceritis. Etſi autem hoc officium in genere omnibus aduerſa ualetudine laborantibus debeamus, ut eos uiſitemus & conſolemur: magis tamen id debemus domeſticis fidei. Nam & Paulus clare diſtinguit, inter alienos & domeſticos, ſeu aliqua neceſſitudine nobiſcum coniunctos, Galat. 5.

Sed habeo quoque alias mei officij rationes. Intelligo enim me tanquam vnum ex ſubditis T.D. vna cum reliqua tuorum ſubditorum multitudine morbo tuæ, D. affici debere: & vna quaſi ægrotare, ceu membrum cum capite: in quo omnes noſtræ fortunæ, omnis incolumnitas & felicitas eſt poſita. Agnoſcimus enim tuam D. eſſe tanquam Naaman quendam, per quem Deus ſalutem hodie dat Germaniæ: ſicut olim per illum Syriæ ſalutem dedit. Quare etiam totum imperium Romanum in tuam D. vnam conijcit oculos, eam veneratur & ſuſpicit tanquam patrem patriæ, tanquam inſigne totius imperij, præcipue vero Germanicæ nationis ornamentum & præſidium.

Necp

Necꝫ autem hoc ſolum tuæ D. debemus, vt & conſolemur eam pro uiribus, & familiariter præſentem caſum feramus: ſed multo magis, ut ad Deum pro ualetudine & ſalute tua interpellemus: id quod ſumma diligentia & ſtudio a tuæ D. ſubditis fieri ſpero. Atque ego quidem, quem multa tuæ D. inſignia beneficia ac merita præ reliquis debitorem conſtituerunt, agnoſco hoc a me requiri, ut ſingulari aliquo officio gratitudinem meam declarem.

Quia vero in hac ingenij & fortunarum tenuitate nihil inſigne præſtare poſſum, commodum admonuit me D. Georgius Spalatinus, qui tuæ D. a ſacris eſt, ut conſolationem aliquam ſpiritualem ſinſtituerem: eamque ad D. tuam tranſmitterem. Fore enim id officium tuæ D. perquam gratum. Ego igitur nolui moleſte amici conſilio repugnare: & congeſſi hæc quatuordecim capita, tanquam in tabula digeſta: eiſque Teſſaradecados nomen dedi: ut eſſent loco quatuordecim diuorum, quos ſuperſtitio noſtra omnium malorum depulſores fecit & appellauit.

Eſt autem hæc non argentea, ſed ſpiritualis tabula: qua non templorum parietes ornandi, ſed mens pia erigenda ac confirmanda eſt. Ac ſpero

Ac spero eam in præsenti tuæ D.fortuna maxime fore utilem. Habet autem duas partes, quarum prior septem imagines malorum continet, quorum consideratione præsentia incommoda mitigantur: posterior similiter septem imagines bonorum proponit, ad eundem usum collectas. Tua igitur D. hanc meam qualemcumq; operam boni consulat: & ea sic fruatur, ut diligenti lectione & consideratione harum imaginum nonnihil acquiescat. Ego me T.D. supplicíter commendo.

Subditus Martinus
Lutherus D.

ERVDITO ET PIO VIRO, Domino Georgio Spalatino, Christi seruo sacerdoti, suo in Domino.

Mittit responsionem suam aduersus Misnensis Episcopi edictum de Sacramento.

IHESVS.

152.

SAlutem. Ecce Tessaradecada tuam imo nostram, mi Spalatine, responsionem meam aduersus Stolpensem, Tolpensem & Talpensem schedulam non mireris animosiorem & superbiorem esse. Res agitur cum his, qui contra me triumphant, ubiq; affixis sche-

dulis

dulis. Vnde necesse fuit eorum triumpho tale non desse encomium, vt sit dignum operculum uase. Nascitur in eandem latina responsio paululũ copiosior: cui addenda est in fine schedula ipsa: sed tu tardas eam remittere nimio. Crastina enim aut ad summum postridie illa opus erit. Vale & pro me ora. XI. Februarij. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus
August:

OPTIMO VIRO D. GEORgio Spalatino, Christi sacerdoti, a principalibusq; sacris in Christo charissimo.

Bucerum laudat: & negat se sententiam de taxandis Misnensibus sacerdotibus mutare posse, quod iam sub praelo sit.

IHESVS.

153.

SAlutem. Habes epistolam Bucerianam fratris vel solius in ista secta candidi, & optimę spei Iuuenis: qui me Heidelbergæ & auide & simpliciter excepit atq; conuersatus fuit, dignus amore & fide sed & spe. Tarde uenerunt tua monita: omnia Philippo consule: quo uno die perdito parturiui, iam obstetricantibus

præsis pario. Esto, nouum & magnum sit futurum incendium: quis potest Dei consilio resistere? Absque causa sua & mea culpa illi sic furiunt: &, nisi me Deus humiliet, huic animo sunt contempti: quorum & eruditionem & malitiam uides tu ipse, quam possum pulchre ferre. Quis scit an prædestinati sint, vt aliquando fiant occasio veritatis reuelandæ: & suæ, quam in nos tam diu aluerunt, inuidiæ imprudentes pœnam pendant, ignominiam, quam hostes ueritatis decet, reportaturi.

Episcopum honoraui, deinceps si pergant, nihil moraturus pro veritate Christi insulam bullæ huius. In Osschatz affixis his nænijs subscripsisse quispiam dicitur mihi a fratribus Vualtheymen: qui huc heri venerunt in hanc sententiam: ecce sic nostro sæculo Episcopi suam ignorantiam etiam valuis affigunt. Hui Episcope relege Euangelium &c. Sine queso rem suis ire motibus: solus Deus in negotio est: rapimur ut uideo & agimur, potius quam agamus. Vale & pro me ora. 12. Februarij. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus August:

ERVDI-

ERVDITO ET PIO VIRO

Domino Georgio Spalatino, a sacris & episto-
lis principalibus Saxoniæ suo in
Domino.

Scribit de imprudentia & inscicia schedulæ Misnensis: & queritur Misnensium canonicorum ignorantiam: & minatur ipsi (nisi desinant lacessere) responsionem sua ruditate dignam: addit etiam quædam de canonicorum Vuittembergensium inhumanitate recusantium reddere domum a misera & paupere uidua ipsis dicatam.

IHESVS.

154.

SAlutem. Satis magnum animum, mi Georgi, habeo, Dei munere, aduersus incendium Misnen: uidebisque me tuis consilijs parentē, ut quantum possim benigne respondeam: denique exemplar tu cum tuis uidebis antequam edatur. Quod & in isto factum fuisset: nisi typi tuas literas præuenissent. Quanquam neque in isto scripto tetigerim ulcus istius schedulæ ob reuerentiam Episcopi: quæ reuera est blasphema, & in Euangelium Christi plus quam ulla unquam hæresis furibunda: id quod futuris ostendam: & conuincam simul inscitiam eorum, nisi cauerint, traducturus recte. Non patiar, damnatum errorem in Euangelio Dei, pronunciari etiam ab uniuersis angelis cœlo-

rum, quanto minus ab unius Ecclesiolæ terrenæ idolis.

Quod si tibi uidetur, faciamus inimicis hanc gratiam: & scribe illis, si qui sunt illic, qui te audiant, monens & rogans, ut contra Lutherum, quantum possunt prudentissime & cautissime agant: esse eis magno studio parsum in isto scripto: ne si incipiant uelle fugere pruinam, obruantur niue. Nisi enim Deus me priuarit sensu (quod faciat pro sua optima uoluntate) futurum est, si stercus (vt dicitur) amplius mouerint, latius & crassius fetœbit: non quod tam magnis & multis uiris miner: sed quod doleam et compatiar eorum ignominiæ, quam sibi irreuocabiliter hac infelici schedula contraxerunt: & quod mihi cupiam in hac re fieri, id hac ratione eis offeram. Ego non acciperem totius mundi opes, ut talis schedulæ autor inuenirer.

Atq; utinam inter se communicato consilio sano, aut omnino tacerent: aut uia charitatis sese expurgarent: si uero ui, minis, scientia, ingenio, arte aut astu rem cœperint moliri: uidebit Dominus & dabit mihi, ut obseruatori meo naso uix illudant. Quod si infeliciter simularint: sicut in ista schedula fecerunt: causam pessundabunt. Si me consule schedulam edidissent: in hunc modum scripsissent: ecce optimi fideles, exi-

les, exiuit ſermo quidam, quem multi falſe intelligunt: quamobrem nolite putare autori illius ſic placuiſſe intelligi: hac ratione mihi non nocuiſſent: ſibi & omnibus profuiſſent: nunc autem pleno furore irruunt & damnant, quod nunquam ſcripſi, imo contrarium ſcripſi, idq; ſub nomine meo: Aut certe mihi priuatim ſcripſiſſent, monentes, vt declarationem ederem: at ipſi huius iuſticiæ & illius charitatis via relicta, ui & iniuria ceperunt, quid mirum ſi tam malum exordium, malus ſequatur progreſſus.

Miror, nec ſatis mirari poſſum, eſſe tam rudes & indoctos homines Miſnæ & Lipſię, aut tam magnam eorum inuidiam, ut etiam communem ſenſum ſibi paſſi ſint auferri. Nondum habui aduerſarios, quos æque contempſerim. Tanta eſt illis ſeu hebetudo ſeu inconſiderantia. Quicquid ſit, ſi potes, cooperare illis, ne me laceſſant: captos teneo, & ita captos: ut niſi manſuetudine egerint, ſupremo ſint ſeſe expoſituri opprobrio. Quod ſi uidebitur, & ego Epiſcopo in hanc rem ſcribam: Duci Georgio ſcriberem: niſi ſcirem, me aut non legi, aut lectum non audiri.

De Vualpurgi Landmanninna hoc ſcias, neq; curatores neque tutores ei unquam fuiſſe: ſed ſua ſolius uoluntate dedit domum eccleſiæ. Egi cum Domino præpoſito multis: ſed ipſe in Iuribus ſuis ſubmerſus,

nugatur non posse reddi, quod semel Deo datum est, etiamsi donator sit perpetuo mendicaturus, aut fame moriturus: remisitque me ad Deum & ad Sacramentum Eucharistię: vt illic cum Christo agerem, si forte velit ipse mihi loqui, & reddere quæ peterem.

Has nugas etiam seria ducit, homo iuridicus: cui cum dixissem cur ipsi, vice Christi possint donata accipere, & eadem vice non possent reddere? perseuerat in hoc, quod Deo data, homo non possit reddere: non penetrat Euangelium in hæc capita nugis istis occupatissima: quasi non abunde in Euangelijs Christus oracula det, sine intermissione, quid in his rebus proximo faciendum sit, vbi necessitas & charitas suadet. Vale & ora pro me. Anno M. D. X X. 18 Februarij.

Martinus Lutherus.

ERVDITO ET PIO VIRO Domino Georgio Spalatino a sacris principalibus, suo in Christo amico syncero.

Agit de stipendio Professoris Hebraici: deinde aliquot Argumentis colligit, Papam esse Antichristum: et meminit tumultus orti inter Scholasticos & Pictores.

IHESVS.

IHESVS.

155.

SAlutem. Et ego credo Stolpenses non tacituros: forte Dominus per eos aliquid efficiet, quod ipsi & ego non cogitamus: veniant itaque, vt interpretem schedulæ suæ aliquando inueniant. Epistolæ ad Episcopos missæ sunt elegantissimis scriptæ characteribus manu Iohannis Schwerdfeger, expecto responsum.

De Sermone bonorum operum nihil memini: sed & tot iam edidi, ut periculum sit ne emptores tandem fatigem. Non intelligo apologiam Germanicam, quam addendam Nurmbergensi scribis. Mitte si habes, ut uideamus: nam illa hodie absoluta est: Canonici indocti sequentur. Nihil adhuc Doctori Caluo scriptum est: hodie conueniemus acturi & responsuri. Heri ex D. Conrado Rege, Genero D. Vuolffgangi mihi nunciat Matthæus Adrianus, vt responderem ei: puto autem me ei respondisse, ac literas interceptas esse. Contulit idem mecum, quanto stipendio crederetur contentus fore, ut hic hebræa profiteretur: arbitrabatur ille, si centum aut nonaginta aureos haberet, moturum illum illinc ad nos: id quod iam alijs literis ex eo sciscitabor. Tu interim responde tuum sensum uel spem.

Habeo

Habeo in manibus officio, Dominici Schleupner, donationem Constantini a Laurentio vallen: confutatam, per Huttenum editam: Deus bone, quantæ seu tenebræ seu nequitiæ Romanensium: &, quod in Dei iudicio mireris, per tot secula non modo durasse, sed etiam præualuisse, ac inter decretales relata esse, tam impura, tam crassa, tam impudentia mendacia, inque fidei articulorum (nequid monstrosissimi monstri desit) uicem successisse. Ego sic angor, ut prope nõ dubitem Papam esse proprie Antichristum illum, quem uulgata opinione expectat mundus. Adeo conueniunt omnia, quæ uiuit, facit, loquitur, statuit. Sed hæc magis coram. Si non uidisti: curabo ut legas.

Papa Antichristus.

De Scholasticis & pictoribus nescio quid dicam: metuo ne causa tanta non sit, quantam faciunt: uenti quidam qui eam inflant. Egi in concione pro ea: sed non omnibus satisfeci. Erant, qui me dicerẽt nimio fauere parti scholasticæ: alij contra. Adeo intractabile est opus diaboli: meliusq; fuisset ut in seipso deferbuisset, quã tanto tumultu et strepitu sedari cepta est. Pauci sunt, qui ludunt hanc tragœdiam: et non digni, ob quos tota ciuitas & Vniuersitas sic laboret. Neq; potest fieri, ut in magno ægroq; corpore (ut Antio-
„ chus Herodi dixit) non aliquando ulcus aut pus aut
„ simile quid oriatur: quod si sua sinas uia ire, per se cessabit,

Tumultus Scholasticorum & Pictorum.

ſabit: ſin prohibueris & obſtruxeris, totum corpus ,,
inficiet & perdet. Agam tamen quantum poſſum. ,,
Vale & ora pro me. Prior noſter Holtus Magdeburgam iuerat, tuis literis venientibus.
Vigilia Matthiæ. Anno
M.D.XX.

Martinus Lutherus
Auguſt:

SVO IN DOMINO CHArissimo Georgio Spalatino, a principalibus ſacris & literis viro probo & erudito.

Eccium abijſſe Romam ſcribit pro Bullis contra Lutherum impetrandis, & ait eum edidiſſe, quæ inter ipſum, & principem poſt diſputationem Lipſicam acta ſint.

IHESVS.

156.

SAlutem. Venit hic Mocha petiturus feudi ſui ius: tu, ſicut facis, filiorum eius & optimæ uxoris rationem habe pro paupertate ſua: ego, ſi opus eſt, cooperabor, ſi quid omnino dandum eſt.

Eccius Romam iuit impetraturus contra me abyſſos abyſſorum. Ita ſcribitur nobis. Mittam ad te *Eccius Romam abijt.*

ſtatim literas Vuenceslai & Adelmanni. Edidit Eccius literas principis noſtri, & noſtras reſponſiones & ſuas vernaculas ad Principem ſcriptas inuidioſiſſime: ſtatim per deductorem mittam. Credo hominem totum in furiam verſum. Vale interim & pro me ora. Memoria mihi rediјt de operibus bonis ſermone tractandis in concione ſcilicet, id promiſi: dabo operam vt fiat. Dominica Inuocauit.

Anno M. D. XX.

F. Martinus Lutherus.

ERVDITO ET PROBO viro Domino Georgio Spalatino, Chriſti ſeruo, ſuo amico chariſſimo.

Eccij furores mittit: deinde nominat autorem Canonicorum indoctorum.

IHESVS.

157.

SAlutem. Vt videas, tandem quid ſit theologice ſcribere, id quod Eccius in literis ſuis ad Principem datis præſcribit, quodque pulchre definitioni ſuæ reſpondeat: poteris horam perdere, & has furibundi apri ſpumas legere.

Autor Canonicorum indoctorum.

Scribit Oecolampadius Philippo noſtro, ſe eſſe

auto-

autorem canonicorum indoctorum: fecisseq́ ut hominem sibi ipsi ostenderet: deinceps nisi quiescat alia facturum: conquestumq́ Eccium scribit, nullum scriptum contra se editum ægrius tulisse. Mitto etiam Basiliensem typographiam de actis Lipsiæ: vt uideas quid illi de eo sentiant: quæ tu remitte quantotius omnia. Vale, & ora pro me. Feria secunda post Inuocauit. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus
August.

ERVDITO PROBOQVE VIro, Domino Georgio Spalatino, Christi seruo, a sacris principalibus Saxoniæ, suo in Domino.

Iudicium de responsione Episcopi Mersburgensis: cui addit de tyrannide Moguntini, de quo uaticinatur ea quæ postea euentus comprobauit: addit postremo uotum de mendicantium ordinibus funditus tollendis.

IHESVS.

158.

SAlutem. Tandem remisit ad me nuncium meum Episcopus Merspurgen: cum literis suis, quem triduo illic detinuit: Cardinalis Moguntini adhuc expecto. Legi igitur: mihi non displicent: nisi quod alio-

Hinc conijci potest, quo die literis horum episcoporum Lutherus acceperit.

rum scriptis & relationibus confitetur sese commotum contra meum sermonem: quem forte nunquam legit, sed alijs credens damnat. Deinde non inepte damnat iurgium in causa Ro: Pontificis: quasi uero ego delecter in ijs procellis fluctuari: ac non magis optem in pace degere: quam ille scribit se optare. Verum recte cum ualemus, consilia ægrotis damus, ut Terentius ait: Tu si hic sies, aliter sentias.

Quod Cardinalis Moguntinus prohibuit mendicantes: non arbitror in mei inuidiam esse compositum: plena est Magdeburga & multis alijs querelis in eundem, vt Prior noster reuersus dicit. Incipit enim tyrannisare & omnia audere, offendens etiam suos Ecclesiasticos magnates. Quis scit, ad quid vocatus sit in tantarum rerum administrationem? Vtetur eo Dominus (non dubites) ad aliquid portenti futuri. Ego quantum in me est, vehementer optarim mendicitatem istam funditus tolli: id quod est unus articulorum, quem mihi Eccius hæreticum facit & iactat. Odio enim habeo fœdissimum hunc victum: mallemque hodie discere artificium, quo me alerem, quam sic viuere: moriarque in hac hæresi, etiam inuito Eccio.

Prophecia Lutheri de Episcopo Moguntino.

Miror nondum ad te peruenisse literas prius datas. Schotti cum Emsero cōflictum libenter legimus. D. Caluo mox scribemus: quia necdum nuncium opor

tunum

tunum habuimus. Vale & pro me ora. Vuittember-gæ, quarta post Inuocauit. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus

August:

SVO IN DOMINO CHA-rissimo Georgio Spalatino, Christi famulo aulico Saxoniæ.

Mittit scripta contra Eccium, de quibus suum fert iudicium.

IHESVS.

159.

SAlutem. Mitto alias nouitates in Eccium, mi Spa-latine, quas lectas remitte. Vides Lipsenses & Ec-cium futuros alios Colonien: & Hochstratos: Dialo-gus ingeniũ olet Bilibaldi, meo iudicio. Offensus est enim D. Scheurlo, alijsq; indicijs id colligo: non placet tamen iste modus in Eccium insaniendi, quod sit famosus libellus: meliorq; est aperta criminatio, quam iste sub sepe morsus. Vale & ora pro me in Domino, 6. post Inuocauit.

Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus.

VENERABILI DOMINO Georgio Spalatino, Christi seruo a sacris & literis ducalibus, sibi in Christo amantissimo.

Commendat scripta Iohannis Huss: & petit uisiones Viennenses sibi mitti.

IHESVS.

160.

SAlutem. Arbitrabar te scripsisse D. Caluo, mi Spalatine, quid esset de Vernero apud illustriss: Principem statutum. Itaq; literis hortatus sum, vt maturaret ad nos hominis aduentum: qui quid respondeat, uides. Mitto Louanien: & Colonienses asinos, quibus iam respondeo per typos. Iohannem Huss quoq; si voles lege: lectumq; remitte: omnibus non modo placet, sed miraculo quoque est tum spiritus tum eruditio eius: 2000. exemplaria edita sunt a Thoma Anshelmo. Ferunt, apud te esse visiones nouas scilicet flammas incendiaq;, Viennę uisas in cœlo: quas opto uidere & ipse: forte & mea tragœdia in illis est: sicut fuit in prioribus. Vale & pro me ora. Vuittembergæ, feria 2. post Lętare. Anno M.D.XX.

Responsio Lutheri ad condemnationem Louaniensium & Coloniensium.

Martinus Lutherus August:

REVE-

REVERENDO ET OPTIMO Patri, Iohanni Lango, S.T. Magistro eremitarum S. August: Vicario Erfurdiæ agenti, suo in Christo.

Responsionem suam ad Theologistas excudi: Ecciũ Romã profectum: uxorem D. Tho: Esch: quã ipsi cõmendat, item Aeschicãpianũ uicinos esse morti.

IHESVS.

161.

SAlutem. Arbitror te, Reuerende Pater, literas meas accepisse per fratrem Martinum Benedictum. Iam apud nos nihil noui est. Nam responsio mea contra damnatores theologistas sub typis formatur. Eccius meus Romam uadit succensurus saltum Libani. Credo autem Romam etiam Christo subiectam esse omniũ Domino: qui, si dignus sum, pro me illic faciet: sin indignus, nec hic facere pro me uelim. Tu pro me orabis Dominũ, ut aliquando bonus fiam: & causam eius digne agã, in hoc perdito seculo. Vxorẽ D. Thomę Eschauis tibi commendo: quã credo aut iam expirasse, aut expiraturam hodie. Nam spes uitæ nulla. Bene vale in Christo. Vuittembergæ. Anno M.D. XX. Feria 4. post Lætare.

F. Martinus Luth: Augst:

Aeschicampianus quoque Asmaticus se inungi curauit, & ad exitum parari: quanque adhuc deambulat in cubiculo suo, bono & animato corde, mortem nihil prorsus metuens.

DOMI-

DOMINO GEORGIO Spalatino.

Modum confitendi mittit: de bonis operibus scribit, quem librum & omnibus alijs suis anteponit, &, cui potißimum ex principibus dicet, quærit: resſponſionem ad Colonienſes fere abſolutam: & ut Lochanenſem Paſtorem ad mores aulicos ferendos erudiat hortatur.

IHESVS.

162.

SAlutem. Mitto rationem confitendi, mi Spalatine, parum emendate, quod moleſtum eſt, deinde prætermiſſa præfatione: quam paratam neſcio quo fato omiſimus excuſam. Eſt in manu & calamo ſermo de bonis operibus: futurus non ſermo ſed libellus: adeo augeſcit inter ſcribendū, &, ſi ſic proceſſerit: erit meo iudicio omnium, quæ ediderim, optimum: quanquam ſcio, quæ mihi mea placent, hoc ipſo fermento infecta, non ſolere alijs placere. Tu quid ſentis ſcire cupio.

Iudicium D. M. L. de libello ſuo, cui eſt titulus de bonis operibus.

Actum eſt mecum aliquoties, vt illuſtriſſ: Principi noſtro Iohanni, aut filio, aut uxori quippiam nuncuparem libelli: ego, qui eos nomen querere ſuſpicatus ſum, & ſcripturam ſanctam nolim alicuius nomini, niſi Dei, ſeruire: non ſum huc uſq; obſecutus: tu, ſi uidetur, conſule: & hunc ſermonem ſeu libellum dedicabo, ut quem, vel quam tu nominaueris.

Reſpon-

Responsio ad Calonien: Beniolodos & Leones mortuos venit ad finem ultimae chartae, propediem absoluenda. Vale & pro me ora, ac pastorem Lochauien: institue, vt mores aulicos discat ferre: quos Do- ,, minus ei pro reliquijs sanctae crucis destinauit; nec ,, facile cedat, & hac vocatione saluus erit. Scio grauissimos esse, sed ignis, quo uehementior, eo probat aurum velocius & certius. Vuittembergae, Dominica Iudica. Anno M. D. XX.

F. Martinus Lutherus
August:

VENERABILI SVO IN Christo, Martino Seligman, Sacerdoti pio & probo in Domino charissimo.

De autore Canonicorum indoctorum, & morte suae sororis.

IHESVS.

163.

SAlutem. Gratias ago pro munere ad me dato, mi D. Martine missum autem iam ante ad me fuerat idem monstrum: cui & respondi: crastinoque absoluetur typis. Sunt apud nos multi, atque adeo & ipsa principalis aula, qui putent hunc partum esse perso-

natum Obſcurorum virorum, quos æmuli ſubornarint, vt me petant & occaſionem quærant: cæterum ex epiſtola Dorpij, rem eſſe veram cognoſces. Ex Philippo omnia accipies. Salutabis nomine meo D. Ionam Paſtorem, Iohannem Reinick & Vuilhelmum iſtum: deinde carnem & ſanguinem meum. Lipſenſes & Miſnenſes ſecum ſine fine cornicantur, nec refert. Audio Sororem meam Barbaram obijſſe: requiescat in pace, Amen. Sequemur & nos omnes. Vale & pro me ora Dominũ. Vuittembergæ, die Annunciationis Mariæ. Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus.

SVO IN DOMINO GEORgio Spalatino, Christi ſeruo ſacerdoti.

Dorpium ab eruditione commendat: deinde perſtringit Cardinalem Dortthuſenſem, quod impie ſcripſerit, ius diuinum & naturale eſſe in manu hominis utentis diuina autoritate.

IHESVS.

164.

SAlutem. Oblitus nuper fui, mi Georgi, epiſtolam Dorpij, quam ſimul cum alijs ex Antuerpia acceperam, ad te mittere: quam nunc lege & uide an fictam rem eſſe putare debeas, quod illic paritur. Eſt

autem,

autem, vt nosse te puto, omnium Louanien: doctissimus, non solum Erasmi testimonio, sed & sua epistola hac, & alia, quam in farraginem suam inseruit Erasmus. Gratias ago Domino, qui mihi mentem alio rapuit, ne Cardinalem Dorthusensem diligenter legerem: qui omniũ impijssime scribit, ius diuinum & naturale esse in manu hominis vtentis diuina autoritate. Quod horrendum portentum non præterijssem: si præsens animus fuisset. Vale, & pro me ora Dominum. Altera Annunciationis Marianæ.

Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus

August:

VIRO INTEGERRIMO
Domino Alexio Chrosnero Colditio
Canonico Aldenburgensi.
suo in Christo.

Vt modum confitendi recognitum, sibi dicari patiatur.

IHESVS.

165.

SAlutem. Exigit extorsitq; mihi aliquando Dominus Georgius Spalatinus tuus collega, communisq; amicus epistolam: qua rationem confitendi

breuiter deliniarem: quod querela passim & me inter cæteros pulsaret de laboriosissimo confusissimoq; confitendi modo. Ego qui rem odiosam, & tyrannis Ecclesiasticis intolerabilem a me peti intelligerem, distuli aliquandiu, donec familiari & priuata epistola amicum vtcunq; quietare cogerer: Id siue libelli, siue epistolæ, cum communicasset vni & alteri, quod & iure suo potuit, & me offendit, tandem periclitari cœpit, & typis quoq; desiderari.

Hic memor, quam soleant amici mei, etiam syllabas meas obseruare, coactus sum uagabundos reuocare: & quanquam festinans aliisque occupatissimus, ipsemet recognoscere: & paucis immutatis & additis, aliorum editionem præuenire. Equidem scio hanc rem, doctioribus longe oportuisse relinqui, tum nouem (ut aiunt) annos premi & uersari: sed iacta erat alea, nec iam nostri arbitrij aliud facere, quam fecimus. De spiritu præsumere cœpi, qui tarda molimina nescit. Tu itaq; quicquid est nugarum siue rerum, tuo nomine sinas prodire: qui cum omnibus pene fortunis similis sis Spalatino: hac re quoque non debuisti dissimilis uideri. Vale & me Domino commendatum & excusatum habe. Vuittembergæ, 7. Calend. Aprilis. Anno M.D.X X.

Martinus Lutherus.

EPISTO-

EPISTOLA LVTHERI AD Leonem X. Rom: Pontificem, Libello de Libertate Christiana præfixa.

Purgans se pontifici, quod non in eius personam, sed in impias doctrinas & doctores, tum in Curiam quouis genere uitiorum & impietate perditissimam, inuectus sit, omni culpa in Eccium & Caietanum translata, rogat, ut nunc etiam rebus bene exulceratis, medicas manus adhibeat, se supplicem recipiat, aduersarios reprimat: nullas se conditiones præter palinodiam & seruitutem ex hominum præscripto interpretandi scripturas, recusare uelle: additis grauissimis exhortationibus.

IHESVS.

166.

Leoni X. Romano pontifici, Martinus Lutherus, Salutem in Christo Ihesu Domino nostro, Amen.

INter monstra huius seculi, cum quibus mihi iam in tertium annũ res & bellum est, cogor aliquando & ad te suspicere, tuiq; recordari, Leo, Pater beatissime: imo cum tu solus, mihi belli causa passim habearis: non possum unquam tui non meminisse. Et quanquam impijs adulatoribus tuis, in me sine causa sæuientibus coactus fui a sede tua ad futurum prouocare Concilium, nihil ueritus Pij & Iulij tuorum prædecessorum uanissimas constitutiones, idipsum stulta

tyrannide prohibentium: non tamen unquam interim animum meum a tua beatitudine sic alienaui, ut non totis uiribus optima quæque tibi sedique tuæ optarim, eademque sedulis &, quantum in me fuit, gemebundis precibus apud Deum quæsierim. Atqui eos, qui me autoritatis & nominis tui maiestate hactenus terrere conati sunt, pene contemnere ac triumphare cœpi. Vnum superesse uideo, quod contemnere non possum: quæ causa fuit, ut denuo scriberem ad tuam beatitudinem: hæc est, quod accusari me, & magno uerti mihi uitio intelligo meam temeritatem, qua nec tuæ personæ pepercisse iudicor.

Ego uero, ut rem aperte confitear, conscius mihi sum, ubicunq; tuæ personæ meminisse oportuit, non nisi magnifica & optima de te dixisse. Si uero a me secus factum esset: ipsemet nullis modis probare possem: & illorum de me iudicium omni calculo iuuarem: nihilq; libentius quam palinodiam huius temeritatis & impietatis meæ canerem. Appellaui te Danielem in Babylone: & innocentiam tuam insignem aduersus contaminatorem tuum Siluestrum, quam egregio studio tutatus sim, quiuis lector intelligit abunde: scilicet celebratior & augustior est in omni terrarum orbe, tot tantorum uirorum literis cantata opinio, & uitæ tuæ inculpata fama, quam ut a quo-

uis vel

tis vel maximi nominis possit quauis arte impeti. Non sum tam stultus, ut eum incessem, quem nullus non laudat: quin & mei studij fuit, eritque semper, nec eos incessere, quos publica fama fœdat. Nullius enim delector crimine: qui & ipse mihi satis conscius sum magnæ trabis meæ in oculo meo: nec primus esse queam, qui in alteram lapidem mittat.

Communiter quidem in impias doctrinas inuectus sum acriter: & aduersarios, non ob malos mores, sed ob impietatem, non segniter momordi. Cuius me adeo non pœnitet: ut animum induxerim, contempto hominum iudicio, in ea uehementia zeli perseuerare, Christi exemplo: qui genimina uiperarum, cœcos hypocritas, filios diaboli, suos aduersarios pro zelo suo appellat. Et Paulus filium diaboli, plenum omni dolo & malitia magum criminatur: canes, subdolos, cauponatores quosdam traducit: vbi, si des molliculos istos auditores, nihil erit Paulo mordacius & immodestius. Quid mordacius Prophetis? Nostri sane sæculi aures ita delicatas reddidit adulatorum uæsana multitudo: ut, quam primū nostra non sentiamus probari, morderi nos clamemus: & cum ueritatem alio titulo repellere nequeamus, mordacitatis, impatientiæ, immodestiæ prætextu fugimus. Quid proderit sal, si non morderet? Quid os gladij, si non

si non cædat? maledictus uir, qui facit opus Domini fraudulenter.

Quare, optime Leo, his me literis rogo expurgatum admittas: tibiq; persuadeas, me nihil unquam de persona tua mali cogitasse: deinde me talem esse, qui tibi optima uelim contingere in æternum: neque mihi cum ullo homine de moribus, sed de solo uerbo ueritatis esse contentionem: in omnibus alijs cedam cuiuis: uerbum deserere et negare nec possum, nec uolo. Qui aliud de me sentit, aut aliter mea hausit, non recte sentit, nec uera hausit.

Sedem autem tuam, quæ Curia Romana dicitur, quam neque tu, neque vllus hominum potest negare, corruptiorem esse quauis Babylone & Sodoma, & quantum ego capio, prorsus deploratæ, desperatæ atq; conclamatæ impietatis, sane detestatus sum: indigneque tuli, sub tuo nomine & prætextu Romanæ Ecclesiæ, ludi Christi populum: atque ita restiti, resistamq; dum spiritus fidei in me uixerit. Non quod ad impossibilia nitar: & sperem mea solius opera, tot repugnantibus furijs adulatorum, quid quam promoueri in ista Babylone confusissima: sed quod debitorem me agnoscam fratrum meorũ, quibus consuli a me oportet: vt vel pauciores, uel mitius a Romanis pestibus perdantur. Neque enim aliud e

Roma iam a multis annis inundat (quod nō ignoras ipse) quam vastitas rerum, corporum, animarū & omniū pessimarū rerum pessima exempla. Luce enim hæc omnia clariora sunt: & facta est è Romana Ecclesia, quondam omnium sanctissima, spelunca latronum licentiosissima, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis & inferni: vt ad malitiam quod accedat, iam cogitari non possit: ne Antichristus quidem, si venerit.

Interim tu Leo, sicut agnus in medio Luporum sedes: sicut Daniel in medio Leonū, & cum Ezechiele inter scorpiones habitas. Quid his monstris unus opponas? adde tibi eruditissimos & optimos Cardinales tres aut quatuor. Quid hi inter tantos? āte veneno omnibus pereundum uobis, quam de remedio statuere præsumeretis. Actum est de Romana curia: peruenit in eam ira Dei usq; in finem. Concilia odit: reformari metuit: furorem impietatis suæ mitigare nequit: & implet matris suæ elogium, de qua dicitur: curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam. Officij quidem tui, Cardinaliumq; tuorum fuerat, his malis mederi: sed ridet medicam ista podagra manum: & nec currus audit habenas. Hac affectione tractus dolui semper, optime Leo, his seculis te pontificem factum: qui melioribus dignus Ierem. 51.

 eras.

eras. Non enim Romana Curia meretur te tuicꝫ similes, ſed Satanam ipſum: qui & uere plus quam tu in Babylone iſta regnat.

O vtinam depoſita iſta, quam tibi gloriam eſſe iactant hoſtes tui perditiſſimi, priuato potius ſacerdotiolo, aut hæreditate paterna uictitares: hac gloria gloriari non ſunt digni, niſi Schariodes, filij perditionis. Quid enim facis in Curia, mi Leo: niſi quo quiſque eſt ſceleratior, & execratior: eo felicius utatur tuo nomine & autoritate, ad perdendas hominum pecunias & animas, ad multiplicanda ſcelera, ad opprimendam fidem & ueritatem, cum tota eccleſia Dei? O reuera infeliciſſime Leo, & periculoſiſſimo ſedens ſolio. Veritatem enim tibi dico: quia bona tibi uolo. Si enim Bernhardus ſuo Eugenio compatitur, cum adhuc meliore ſpe, licet tum quocꝫ corruptiſſima, imperaret: quid nos non queramur, quibus in trecentis annis tantum acceſſit corruptionis & perditionis?

Nonne uerum eſt, ſub uaſto iſto cœlo nihil eſſe Romana Curia corruptius, peſtilentius, odioſius? Incomparabiliter enim Turcarum uincit impietatem: ut reuera, quæ olim erat ianua cœli, nunc ſit potens quoddam os inferni: & tale os, quod urgente ira Dei obſtrui non poteſt, uno tantum relicto miſeris conſi-

lio ſi-

lio: si queamus aliquot a Romano (vt dixi) isto hiatu reuocare & seruare.

Ecce mi Leo Pater, quo consilio, qua ratione in sedem istam pestilentiæ debacchatus sim. Tantum enim abest, vt in tuam personam sæuirem: vt sperarem etiam gratiam initurum me, et pro tua salute staturum: si carcerem istum tuum, imo infernum tuum strenue & acriter pulsarem. Tibi enim tuæq; saluti profuerit, & tecum multis alijs, quicquid in impię huius Curiæ confusionem moliri potest omnium ingeniorum impetus. Tuum officium faciunt: qui huic male faciunt: Christum glorificant: qui eam omnibus modis execrantur: breuiter, Christiani sunt: qui Romani non sunt.

Sed vt amplius loquar, nec hoc ipsum vnquam super cor meum ascendit, ut in Romanam Curiam inueherer: aut quicquam de ea disputarem. Videns enim desperata omnia salutis remedia, contempsi: & dato repudij libello dixi ad eam: qui sordet, sordescat adhuc: & qui immundus est, immundus sit adhuc: tradens me placidis & quietis sacrarum literarum studijs: quibus prodessem Fratribus circum me agentibus.

Hic cum nonnihil proficerem, aperuit oculos suos Satan: & seruuum suum Iohannem Eccium, in-

ſignem Chriſti aduerſarium extimulauit indomita gloriæ libidine: vt me traheret in harenam inſperatam, captans me in vno verbulo, de primatu Romanæ eccleſiæ, mihi obiter elapſo. Hic Thraſo ille glorioſus ſpumans & frendens iactabat, pro gloria Dei, pro honore ſanctę ſedis Apoſtolicę, omnia ſe auſurū: & de tua inflatus abutenda ſibi poteſtate, nihil certius expectabat quam victoriam: non tam Primatum Petri, quam ſuum principatum inter Theologos huius ſeculi, quærens: ad quem non paruum momentum habere ducebat, ſi Lutherum duceret in triumpho. Quod vbi Sophiſtæ infeliciter ceſſit: incredibilis furia hominem exagitat. Sentit enim ſua culpa ſolius factum eſſe, quicquid Romanæ infamiæ per me natum eſt.

Atque (ſine me quæſo, optime Leo, hic & meam aliquando cauſam agere, veroſq; tuos hoſtes accuſare) notum eſſe arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis S. Sixti, Legatus tuus, imprudens & infelix, imo infidelis: in cuius manu, ob tui nominis reuerentiam, cum me & omnia mea poſuiſſem: non hoc egit, vt pacem ſtatueret, quam vno verbulo potuiſſet facile ſtatuere: cum ego tum promitterem ſilentium & finem cauſæ meæ facturum, ſi aduerſarijs idem mandaretur. At homo gloriæ non contentus eo pacto,

cœpit aduersarios iustificare, licentiam aperire, & mihi palinodiam mandare: id quod in mandatis prorsus non habuit. Hic sane, vbi causa in optimo loco erat, illius importuna tyrannide venit in multo peiorem: vnde quicquid post hæc secutum est, non Lutheri, sed Caietani tota culpa est: qui vt silerem & quiescerem non est passus: quod tum summis viribus poscebam. Quid enim facere amplius debui?

Secutus est Carolus Miltitius, & ipse B. T. nuncius: qui multo & vario negocio cursans et recursans, nihilque omittens, quod ad reparandum causę statum, quem Caietanus temere & superbe turbauerat pertineret, uix tandem, etiam auxilio illustrissimi Principis Friderici Electoris, effecit, vt semel & iterum familiariter mecum loqueretur. Vbi denuo tuo nomini cessi, paratus silere, acceptans etiam iudicem vel Archiepiscopum Treuerensem, vel Episcopum Numburgensem. Atque ita factum & impetratum. Dum hæc spe bona aguntur: ecce alter & maior hostis tuus, irruit Eccius cum disputatione Lipsica, quam instituerat contra D. Carlstadium: & noua accepta de Primatu Papæ quæstione, in me vertit insperatum arma: & penitus hoc consilium pacis dissipat. Expectat interim Carolus Miltitius, disputatur, iudices eliguntur: nec hic aliquid decernitur. Nec mirum quando Eccij

do Eccij mendacijs, ſimulationibus, technis omnia vbiq; erant turbatiſſima, exulceratiſſima, confuſiſſima, vt quocunq; inclinaſſet ſententia, maius eſſet exoriturum incendium. Gloriam enim, nõ veritatem quærebat. Nihil etiam hic omiſi, quod a me fieri oporteret.

Et fateor hac occaſione non parum ueniſſe ad lucem Romanarum corruptelarum: ſed in qua, ſi quid peccatum eſt, Eccij culpa eſt: qui onus ſupra vires ſuſcipiens: dum gloriam ſuam furioſe captat, ignominiam Romanam in totum orbem reuelat.

Hic eſt ille hoſtis tuus, mi Leo, ſeu potius Curiæ tuæ: huius vnius exemplo diſcere poſſumus, non eſſe hoſtem adulatore nocentiorem. Quid enim ſua adulatione promouit, niſi malum, quod nullus Regum promouere potuiſſet? Fœtet enim hodie Romanæ Curiæ nomen in orbe: & languet papalis autoritas, famoſa inſcitia male audit: quorum nullum audiremus: ſi Eccius Caroli & meum de pace conſilium non turbaſſet: id quod non obſcure & ipſe ſenſit, ſero & fruſtra indignatus in libellorum meorum editionem. Hoc debebat tum cogitare, cum totus in gloriam, ſicut hinniens emiſſarius inſaniret: neque alia, quam ſua in te, tuo tamen maximo periculo, quæreret. Sperabat homo vaniſſimus, me formidine nominis tui ceſſurum, & taciturum (nam de ingenio

genio & eruditione non credo quod præsumpserit) nunc cum nimio me confidere & sonare uideat: sera pœnitentia temeritatis suæ intelligit esse in cœlo, qui superbis resistat, & præsumentes humiliet: si tamen intelligit.

Nihil itaque hac disputatione promouentibus nobis, nisi maiorem confusionem Romanæ causæ: iam tertio Carolus Miltitius Patres ordinis capitulo congregatos adit: consilium petit componendæ causæ, quæ iam disturbatissima & periculosissima esset. Mittiuntur hinc ad me, cum uiribus in me (Deo propitio) non sit spes grassandi, aliquot celebriores ex illis: qui petunt, ut saltem tuę Beatitudinis personam honorem: & literis humilitatis excusem innocentiam & tuam & meam: esse adhuc rem non in extremo desperationis loco: si Leo X. pro sua innata bonitate manum admoueret. Hic ego, qui semper pacem & obtuli & optaui, ut placidioribus & utilioribus studijs inseruirem, cum & in hoc ipso tantum spiritu sim tumultuatus, ut eos, quos mihi longissime impares esse uidebam, magnitudine & impetu tam uerborum quam animi compescerem, non modo libens cessi: sed & cum gaudio & gratitudine acceptaui, ut grauissimum beneficium, si dignum fuerit spei nostræ satisfacere.

Ita uenio

Ita venio beatissime Pater, & adhuc prostratus rogo, si fieri potest, manum apponas: & adulatoribus istis, pacis hostibus, dum pacem simulant, frenum iniicias. Porro pallinodiam vt canam, beatiss: Pater, non est quod vllus præsumat: nisi malit adhuc maiore turbine causam inuoluere. Deinde Leges interpretandi verbi Dei non patior: cum oporteat verbum Dei esse non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. His duobus saluis, nihil est, quod non facere & pati possim, ac libentissime uelim. Contentiones odi, neminem prouocabo: sed prouocari rursus nolo: prouocatus autem, Christo magistro, elinguis non ero. Poterit enim T. B. breui & facili uerbo, contentionibus istis ad se vocatis & extinctis, silentium & pacem utrimque mandare: id quod semper audire desideraui.

Proinde, mi Pater Leo, caue Syrenas istos audias: qui te non purum hominem, sed mixtum Deum faciunt, vt quæuis mandare & exigere possis. Non fiet ita, nec præualebis: seruus seruorum es: & præ omnibus hominibus miserrimos & periculosissimo loco. Non te fallant, qui te Dominum mundi fingunt: qui sine tua autoritate nullum Christianũ esse sinunt: qui te in cœlum, infernum, purgatoriũ aliquid posse garriunt. Hostes hi tui sunt: & animam tuam ad perdendum

pendum quærunt, ſicut Iſaias dicit: Popule meus, qui te beatum prædicant, ipſi te decipiunt. Errant, qui te ſupra concilium & vniuerſalem eccleſiam eleuant: errant, qui tibi ſoli ſcripturę interpretandi ius tribuunt. Suas enim hi omnes impietates ſub tuo nomine ſtatuere in eccleſia quærunt: &, proh dolor, multum per eos Satan profecit in tuis prædeceſſoribus.

Summa, nullis crede, qui te exaltant, ſed qui te humiliant. Hoc enim eſt iudicium Dei: depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Vide quam diſpar ſit Chriſtus ſuis ſucceſſoribus: cum tamen omnes velint eius eſſe vicarij: & metuo ne reuera plurimi eorum ſint, & nimiū ſerio vicarij eius. Vicarius enim abſentis Principis eſt. Quod ſi pontifex abſente Chriſto, & non inhabitante in corde eius præſit: quid aliud quam vicarius Chriſti eſt? At quid tum illa eccleſia, niſi multitudo ſine Chriſto eſt? Quid vero talis vicarius niſi Antichriſtus & idolum eſt? Quanto rectius Apoſtoli, qui ſeruos Chriſti ſe appellant præſentis, non vicarios abſentis.

Impudens forte ſum, tantum verticem viſus docere: a quo doceri omnes oportet: &, ſicut iactant peſtilentiæ tuæ, a quo iudicantium throni accipiunt ſententiam: ſed æmulor S. Bernhardū in libello de Conſid: ad Eugenium, omni pontifici memoriter noſcen-

do. Necꝫ enim docendi studio, sed puræ fidelisꝗ; so-
licitudinis officio hoc facio: quæ cogit nos etiã omnia
tuta vereri proximis nostris: nec patitur rationem di-
gnitatis aut indignitatis haberi, solis periculis & cõ-
modis alienis intenta. Cum enim sciam T. B. versari et
fluctuari Romæ, id est, medio mari infinitis periculis
vndiꝗ; vrgente, & ea te miseriæ conditione laboran-
tem, vt etiam cuiusꝗ; minimi fratris minima ope in-
digeas: nõ videor mihi absurdus, si interim maiestatis
tuæ obliuiscar, dum officium charitatis impleuero:
nolo adulari in re tam seria & periculosa: in qua si a-
micus esse, & plus quam subiectissimus tibi, non in-
telligar: est qui intelligat & iudicet.

In fine ne vacuus aduenerim B. T. mecum affero
tractatulũ hunc, sub tuo nomine editũ, velut auspicio
pacis cõponendę, & bonę spei: in quo gustare possis,
quibusnã studijs ego malim et possim fructuosius oc-
cupari, si per impios adulatores tuos liceret, & hacte-
nus licuisset. Parua res est, si corpus spectes: sed sum-
ma, ni fallor, vitę christianæ cõpendio cõgesta, si sen-
tentiã captes. Necꝫ habeo pauper aliud, quo gratifi-
cer: nec tu alio eges, ꝗ̃ spirituali dono augeri. Quo &
me ipsum Paternitati & B. tuæ cõmendo: quam Do-
minus Ihesus seruet in perpetuum, Amen. Vuittem-
bergæ, Anno M. D. X X. 6. Aprilis.

DOMINO

DOMINO M. GEORGIO Spalatino suo.

Vt de professore hebræo primo quoq; die respondeat: sic & de causa uult quam celerrime responderi, quod censura (quam uocant) grauißima adferri nuncietur: ad hæc magum (medicum) quendam, qui Lutherum interficiat, adfuturum indicat.

IHESVS.

167.

SAlutem. Cum Adriano conuenimus, mi Spalatine, vt differat paululum octo dies: promisit in Berlin se mansurũ et literas expectaturum a nobis. Nunc id agendum est, vt ex Buttaracho quantotius responsum habeamus: centum autem florenos omnino pro stipendio petit. In tota hac re hoc maxime curandũ est, ne inter duas sellas (vt aiunt) frustra sedeamus. Si hunc amiserimus & ille forte alio vel vocatus per Moguntinum, vel sua sponte iuerit. Nostrorum plurimi fortiter apud me solicitarunt, vt Matthæus retineretur saltem ad annum etiam ad infamiam vti putant anteuertendam, propter ecclipsin illam, quæ illum forte in odium nostri suscipiet, vt fama est. Vbi autem scribere tam breui non poteris quid faciendum sit: hoc saltem ad Berlinum ei scribendum est, vt non grauetur diutius differre negotium. Suspicor eum vel

Francofordiæ vel Lipsiæ professionem hebræam secum statuisse: si apud nos non licuerit. Responde cito.

De mea causa iactatur, esse contra me censuram præ manibus omnium durissimam: sic enim præpositus Hallensis Noui operis me fecit moneri et auisari vt vocant: Deinde etiam inimici mei quidam miserti per amicos ex Halberstadio fecerunt moneri me: esse quendam doctorem medicinę, qui arte magica factus pro libito inuisibilis, quendam occidit, mandatum habentem & occidendi Lutheri: venturumque ad futuram Dominicam ostensionis reliquiarum: valde hoc constanter narratur. Vale, altera Quasimodo geniti. M.D.XX.

Martinus Lutherus.

REVERENDO VIRO DOMIno Nicolao Hausman, suo in Domino obseruando.

Emsero nihil esse respondendum, quod traditus in reprobam mentem peccet peccatum ad mortem.

IHESVS.

168.

GRatiam & pacem in Domino. EMSERO nihil est respondendum, optime Nicolae. Quia is est

de quo

de quo Paulus dicit, ſubuerſus eſt: & ſuo iudicio condemnatus, & vitandus: pèccat enim peccatum ad mortem. Adhuc modicum & orabo contra eum: ut reddat ei Dominus, ſecundum opera ſua. Melius eſt enim vt moriatur, quam vt ſic pergat contra conſcientiam ſuam Chriſtum blaſphemare. Sine ergo eum: velociter nimis ſatis compeſcetur miſer iſte: ſed & tu deſine orare pro eo. Vale in Domino, & ora pro me. Poſtridie Marci. Anno M.D.XX.

Alij hanc epiſtolam in annũ 24. referunt.

T. Martinus Lutherus.

AD GEORGIVM Spalatinum.

Decani literas remittit, alijs additis: hebræum profeſſorem denuo flagitare libros hebraicos ſignificat: cui quanquam, in tanta aduentantium multitudine, ut non ſit locus omnibus, nondum domus obtigerit optata: nolle tamen neq; ſe neque Philippum, ut, alijs pulſis, ipſe recipiatur: ut Landmanninnæ reſponderi curet: ſpem tandem ſibi aliquam ab amicis oſtendi dicit.

IHESVS.

169.

SAlutem. Remitto literas Decani tui, adiunctis quas ex Nurmberga accepi. Adrianus Matthæus pro libris hebraicis, Doctori Paſche Magdeburgum ſcribendum cenſet. Quod vbi tu prior feceris, faciam

& ego, atq; id cito: fac, ut fiat. De mea causa uidero. Affluit quotidie studentum numerus: sed non capit omnes ciuitatis angustia: multique coguntur retrocedere. Nec Adriano possumus, quod homini satis sit, hospitium prouidere: nec satis placet, alios extrudi propter eum: in quo tamen cœpit laborare. Tu si quid in hanc rem scripserit uel egerit (uoluit enim ipse præsens illic agere) meam & Philippi sententiam tenes: nos non cooperaturos neque consensuros, ut e quæstoris domo, seu ullius alterius ullus trudatur inuitus: si uero beneuolentia uellent cedere: libentes erimus grati. Si potes responsum obtinere pro uidua nostra Landmannin. siue negatiuum, siue affirmatiuũ: obsecro fac cito. Deprehendi enim in causa quoddam leuiculum: sed quod me prope faciat pœnitere operæ insumptæ. Ita intricantur & perplectuntur hodie omnia. Denique egi: ut, si non omnia possunt ad libitum cedere, sineret ire, quod ire potest: cadere quod cadit: esse pacem meliorem quam bellum: nescio, an profecerim. Vale in Domino.

Ex Nurmberga Staupitianas literas accepi, laudantes tandem, ac firmius sperantes in causa mea, quam antea solitus sum audire. Vuenceslaus sic scribit, Doctrinales Asinos accepimus, & bene sperat,

rat. Ita fluctuat nauis mea; nunc ſpes, nunc timor regnat: ſed mea nihil refert. Vuittembergæ, Calendis Maij. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus August:

SVO IN DOMINO CHARIſſimo Magiſtro Georgio Spalatino, ducalibus a ſacris & literis integerrimo amico.

Negat ſe Auguſtino Alueldenſi ignauo & craſſo uentri reſpondere uelle: ſed, qui reſpondeant, alios expectaturũ, famulum etiam ſuum contra ipſum incitare. Deinde rogat, ut principi ſuo nomine gratias agat. Poſtremo, ingentem hominum multitudinem Vuittembergam confluere dicit.

IHESVS.

170.

SAlutem. Mitto literas, ad Vitum Bildum, mi Spalatine, vna cũ Petri Aquenſis literis, ſicut mandauit. Hutteno, Fabritio, Pelicano, Eraſmo, ſcriptũ eſt ab vtroq; noſtrũ & multis alijs. Exijt tandem frater Auguſtinus Alueldenſis cum ſua offa, verum ineptior eſt, quam vt horam perdam ei reſpondendo. Ingenium:

genium: cerebrum, nasus, os, pilus, deniq; quicquid est eius libri, bouem illum Lipsicum refert: similibus vbique figuris & inuentionibus hic vtitur: quibus in sordidissimo suo libro vsus est contra Pighardos.

Respondebitur ei ab alijs: & fratrem famulum meum exercebo vt in hunc stolidum bouem poeticetur & rethoricetur. Obscerote, vt tu potius nomine meo illustriss: Principi gratias agas. Scis enim quam non facilis sim aures illas occupatissimas occupare meis literis. Deus bone quantum confluit, quantum ad huc promittitur literis multorum confluxurum ad nos hominum. Vale & pro me quoq; ora. Vuittembergæ, quinta Maij. M.D.XX.

Literas Aquensis remitte responsuro mihi.

Martinus Lutherus.

AD GEORGIVM Spalatinum.

Literarum breuitatem excusat: epistolam quæstoris Stolberbergensis remitti iubet: Vicarium suum sub ferias D. Augustini Islebiam uenturum dicit: Adriano deesse habitationem: eoque honorando se cum D. Philippo & rem & tempus perdere: paululum igitur pecuniæ subministret orat: queritur etiam multum temporis sibi perire conuiuiorum crebritate: addit quoq; de magnitudine sermonis de bonis operibus.

IHESVS.

IHESVS.

171.

SAlutem. Mitto literas sicut voluisti, breues tamen: quia argumentum breue est. Remitte etiam literas Vuilhelmi quæstoris ærarij Comitis Stolbergensis, qui nuper cum parente, fratre, amicisq; hic me visitauit. Vicarius noster anticipauit capitulum nostrum ad festum Augustini ad Isleben venturus, depositurusq; ibi officij onus, vt dicitur.

Hadrianus nondum habet domum: torquemurque assidue. Sed heus quod pene præterieram, memineris: vt me iuues aureis duobus aut tribus. Multum enim perdo cum Hadriano: aut solus Philippus & ego perdere debemus symposijs nummos: cum simus pauperes: cæteri quoq; eum nihil curent: ita non uisitant, quod mihi displicet. Est enim paulo inurbanius, quam decet.

Deniq; si possem & temporis perditionem a te exigerem: id quod nos ambos pessime omnium habet. Det Dominus, vt domum habeat cito: quanquam bonus vir, in apotheca Lucæ frequentius degit, timens nns grauare. Ego per ciuitatẽ inuitatiunculis satis multũ tempus perdo: nescio quis Sathan id curat: uti negare non liceat: & tamen fecisse noceat. Sermo de operibus crescit in volumen non paruum, etiam

duplo maius quam Tessaradecas. Vale, quinta Maij, Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus
August:

ERVDITO PIOQVE VIro, Domino Georgio Spalatino, a sacris Prin: Saxoniæ Elect: suo in Domino charissimo.

Commentarios in Alueldij acumen confectos, ac fratri suo formandos esse traditos: sermonem de bonis operibus breui finiendum: deprecationes pro Principe futuras: aduersarios se non curare: pannum nec se à Luca petiuisse, nec illum, cui reddat, scire: portum, quo se recipiat, si periculum maius sit, monstratum dicit.

IHESVS.

172.

SAlutem. Valde gaudeo, me onus scribendi contra Alueld, nomine fratris mei instituisse: uicit homo ingenij mei uires etiam incomparabiliter: ut ruditati eius non potuissem digna reponere. Nec uidi, nec audiui, nec legi librum omnibus ita syllabis insulsum, stultum, breuiter nomina desunt, quo censeri possit. Hodie compleui signaturas, quas fratri dedi, ut redigat in formam: breuique absoluetur.

uetur. Itidem & sermo de operibus finietur spero breui.

Pro Principe orabitur: modo ne in nostras confidere tu incipias orationes, sed in Dei promittentis orantibus bonitatem: speroq; Dominus eum nobis imo sibi in his causis seruabit. Miltitium Misnen: & alios non moror: uellem omnes tyrannos Romæ esse male securos: ut aliquando se homines esse, qui Deum habeant: cognoscerent. Scio Lucam habere pannum; sed nescium cui debeat: nec ego postulaui: uidi & undulatas, nec has scit cui debeant: nec postulatæ sunt: ne forte error fieret, si & alijs eadem empta essent: forte hodie ad uos uenerunt omnia.

Preces pro Principe Friderico.

Habui ante biduum nuncium ex Siluestro de Schauenberg, nobili Franco, cuius & filiolum hic Philippo commendauit, promittente securam tutelam: si quoquo modo Princeps mei causa periclitaretur. Quod ut non contemno, ita nolo nisi Christo protectore niti: qui forte & hunc ei spiritum dedit. Vale in Domino. Dominica uocem Iucunditatis. Anno M.D.XX.

Siluester de Schauenberg.

Martinus Lutherus.

August:

EPIST. LVTHERI AD EVNDEM.

Adrianum, scribit, ab ipso petere, ut literas suas Principi reddat: consilio se iuuet: & ut libros hebraicos à D. Boß denuo petat. Se uero demirari Alueldij librum Heinitzer & Stehlin tantus uiris placere.

IHESVS.

173.

SAlutem. Commendat tibi Adrianus noster literas curandas, ut Principi reddantur. Præterea petit, consultum ne uelis, ut ipse Cerbistim petat: illic Brunsuicen: in causa propria obseruaturus. Ita enim ei, vt faceret, quidam scripsit ex Brunsuico. Deinde & hoc petit, ut D. Boss. de Aluesleben pro libris hæbraicis, de quibus prius scripseramus, denuo scriberes. Ego quid sit hominis ignoro: tu uideris. De mea causa quæso audi, quod ego uehementer admiror: liber Alueldij cepit placere D. Heinitzer Misnæ, referente D. Vuolffgango Stehlin, cui & ipsi idem placet. Obsecro tantis uiris non esse nasum ullum, non est mirabile? Dabo operam ut schapha schapha, serraque, serra appelletur. Vale. M. D. X X.

Feria 5. post Sophiæ.

Martinus Lutherus August:

SVO

SVO IN DOMINO CHA-
rissimo Magistro Georgio Spalatino, ducalibus a sacris & literis, integerrimo amico.

Rogat ut literas suas amicis transmittat: Lonicerum cras dimittendum: Lipsenses dilabenti scholæ suæ erasmici aduentus iactatione mederi: Ochsenfartum contra Veltkirchij libellum scribere: in Alueldium sub prælo esse: postremo sit ne monendus Princeps, ut laboranti reipub. ipsorum subueniat quærit.

IHESVS.

174.

SAlutem. Mitto literas, mi Spalatine, ad Huttenũ, Siccingen: & Taubenheimum nostrum: tui quęso sit officij, oportune eas curare, præsertim ut Taubenheim suas statim habeat: distuli enim ipse diutius, quam forte sperauit. Lonicerus crastina absoluetur. Lipsenses anxij pro retinendis scholaribus iactãt Erasmum ad sese uenturum. Quam negotiosa & infelix tamen est inuidia. Ante annum cum nobis insultarent, quasi uictis: non prouidebant hanc sibi crucem impendere. Dominus regnat, ut palpare possimus. Ochsenfartius dicitur armari contra libellum Veltkirch: quo traductus est. Ego uernacula absolui in Alueldensem asinum: iam sub prçlo nascitur.

Consule an scribendum mihi sit Principi pro Re-

pub: nostra iuuanda: omnia fiunt charissima, nec satis aduehitur, nec legittime quicquam administratur in hac confusissima neglectaque politia: posset aliquid fieri Vittembergæ: si administrationis esset ullus ordo. Principis hic consilio & authoritate foret opus. Responde & Vale. Vuittembergæ, quinta Pentecostes. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus
August:

SVO IN DOMINO CHArissimo, Domino Georgio Spalatino, illustris: Prin: ab epistolis & sacris uiro & pio & erudito.

Lottero & pædagogij magistris excusatis, nunciat de impreßione furorum Siluestri, de Adriani nuptijs, de Philippi lectionibus & laboribus, deque Fachi resignatione sacerdotij: ubi obiter sacerdotum taxat auaritiam: postremo imperatori Carolo bene precatur.

IHESVS.

175.

SAlutem. De Lotthero nihil est quod credas delatoribus, mi Spalatine: hominum sunt verba, quæ ad te peruenerunt: nos alia scimus: quæruntur ij potissimum,

tiſſimum, qui nihil ad rem faciunt: idem de Pædagogij ſentio Magiſtris: &, ut plane dicam è D. Vuolffgango, eiuſque genitiuis, accepiſſe uideris quę ſcribis. Veniat ille Zacharias Epiſcopus in nomine Domini. Silueſtri inſania ſub prælo eſt. Adriani noſtri ſubitas nuptias & nos miramur & bene fauemus homini. *Silueſter hoſtis Lutheri.*

De Philippo noſtro, nec ipſe ſtatuo, quod ad Plinium pertinet: Paulum ad Romanos legit longe maiore utilitate: quam Plinij multi ualeant: & tribus lectionibus publicis, unum caput grauari per diem, tu cogita quid ſit: ne hominem extinguamu s De Facho ſacerdotium reſignante, non admodum moueor: moueor potius, eius eccleſiæ ſacerdotia tantis pecunijs redimenda eſſe: ut nulli pauperi queat eſſe locus, idq; hominum ſtatutis: obſecro putas ne rapinam quandã eſſe hanc exactionem? Multis alijs diſplicet ea conditio adeundorum ſacerdotiorum. Carolo Imperatori Dominus aſpiret incrementum ueritatis contra hoſtem ueritatis Romam, Amen. Vale. Vuittembergæ. Anno M.D.XX. feria quarta poſt corporis Chriſti. *Solicitudo Lutheri pro Philippo Melanthone.*

Martinus Lutherus

August:

CLARIS.

CLARISSIMO VIRO DOMINO Doctori, Iusto Ionæ, amico suo summo.

Silentij culpam agnoscit: Ionæ de Theologiæ studio gratulatur. Cum alios sui perdendi furore inflammatos, tum Eccium Romæ omnia contra se incitasse. Vt literarum raritati det ueniam: ne quid uero deinceps eius generis in se desideretur, crebris ipse literis efficiat.

IHESVS.

176.

SAlutem & pacem in Christo. Non deprecor culpam mi Iona. Fateor enim tibi debitas iam olim literas meas: non quod aliquid sint: sed quod tibi seruiendum fuerit, etiam si nugas meas petieris. Gaudeo te ad asylum sacræ scripturæ e procelloso hominũ iuridicorum pelago confugisse. Seruet te Dominus, qui cœpit. Insaniunt in me homines miseri, quærunt animam meam: sed Christus uiuit & regnat. Causa mea Romæ (ut scribunt amici ex urbe) magna mole agitur impulsore Eccio: qui est spiritus unus pontificalium uirorum. Quid peragant uiderit Christus. Cætera ex Langio nostro intelliges omnia.

Tu mihi interim ignosces, si rarius scripserim: cæterum quo crebrius deinceps scribam, tu fac ut crebro me extimules pigrum, uel admoneas occupatum: si non

si non ad omnia respondere potero: quod tamen sedulo conabor, omnia tamen libentissime, imo uoluptate magna. Non reddo silentium silentio, aut pigritiam pigritia: sed uinco in bono malum. Vale mi Iona: & cor meum habe tibi: & ora pro me. Vuittembergæ 21. Iunij. Anno M. D. XX.

T. Martinus Lutherus.

ERVDITO ET BONO VIRO, Georgio Spalatino, Christi seruo & sacerdoti, suo in Domino.

Non Plinium, sed Paulum à Philippo legendum censet, neque lectionibus obruendum: de uxore ducenda nihil sibi constare ait: sperare etiam, uirum retineri posse, si auctius ei stipendium decernatur: Argentinensis Tragœdiæ se memorem fore: Siluestrum cum Romanista postero die finiendos.

IHESVS.

177.

SAlutem. Et mihi & multis uisum est, mi Spalatine, Philippum nō onerandum lectione Pliniana, propter Apostolum Paulum: quem tanto fructu legit, quo non priuandi sunt auditores: cum is fructus e Plinio nulla queat ratione compensari: metuendumq; ne spiritus eum in hoc suscitarit: cui non temere resi-

stendum sit: ne forte sit machina Satanæ, impeditu-
ri hac specie tantum fructum: magistro Iohanni Hes-
so, si omnino legendus est Plinius, imponendum pu-
tant. De uxore ducenda, maxime quam tu nominas,
nescio quid futurum sit: opto homini uxorem: sed
quamnam accipiat, nec author, nec consul esse uolo:
nec uideo hominem in rem uxoriam festinare.

Quanquam spero Philippum ad Bauaros non aspirare: id tamen est, quod semper optaui, ut hone-
stiore magnificatus stipendio, spem illis adimeret,
quam concipiunt, quod uilius eum haberi sciunt,
quam apud eos futurus esset. Si occasio se in hoc com
modarit: tu uigilabis. Nam unicuiq; & sui quoq; cu-
ra non est negligenda, ubi uocat oportunitas, id est,
Deus. Argentinen: tragœdiæ memor ero satis loco
suo. Cras Siluester & Romanista uernaculus ab-
soluetur. Vale, altera Iohannis Baptistæ,
Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus
August:

VIRO ERVDITO ET PIO
Magistro Georgio Spalatino, Christi
seruo, suo in Domino.

D. Si-

D. Sigismundi causam illi commendat: & literas ad Sicingerum promittit.

IHESVS.

178.

SAlutem. Hunc D. Sigismundum mihi a te commendatum, mi Georgi, rursum tibi commendo cum causa sua. Quanquam enim scio, aulicam politiam talem esse, quæ ut multis occupata, sepius indigeat, monitorio, imo improbo quodam pulsatore: tamen importunitatis non est satis patiens. Verum tu ipse nosti hominem & hominis causam. Quod enim agit, ideo agit, ut dum Vuittenbergæ floret theologia, ei liceat discere, quod postea felicius possit docere: cum rari sint, qui docendi gratiam habeant, sicut hic uidetur habere: in qua re, uides, quod non nisi mora obsit.

Dilatus enim cogetur abire: & quis scit, quando occasio sit reuertendi: aut si reuertatur an inueniat, quod nunc deserit? Itaque, quod potes, facies, ut præsumo: vt absolutus sciat, quid statuendũ illi sit. Census beneficiales sunt in Grimma: de quibus est quæstio, ut ex ipso plenius intelliges. Literas ad Siccingerum cras parabo, hodie non potui occupatissimus nimis. Vale, vesperi Petri & Pauli. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus August.

ERVDITO ET PIO DOMIno, Georgio Spalatino, a ſacris ducalibus, ſeruo Chriſti, amico fideli.

Procerum Eccleſiæ cæcitatem deplorat: Principi ne ſe ei negocio immiſceat ſuadet: ſuas miſerias & aduerſariorum immanitatem perſequitur: qui ſe nullis conditionibus neque tacere neque dicere permittat: ſe nihil aliud paciſci, quam ut Euangelium libere doceatur: aut ipſe docendi munere leuetur.

IHESVS.

179.

SAlutem. Legi tacitus, mi Spalatine, literas iſtas romanas, magno cum dolore, tantam uidens in tantis eccleſię uerticibus hebitudinem & impietatem. Timeo eos conſcientię & ueritatis luce ſic confuſos: ut nullius amplius eſſe queant iudicij & ſenſus. Damnant mea: & ſimul fatentur ea eſſe ingenij & eruditionis, deinde nec lecta, nec legi petita ſibi. Dominus noſtri omnium miſereatur.

Ego ſane quid Principi optimo conſulere poſſum ad ſcribendum? Ideoq; ad te potius ſcribo: primum tu noſti, quod iuſtiore cauſa ego querularer, quam ipſi: teſtes ſunt mei editi libelli, in quibus toties conſiteor, & queror, me in hanc rem nulla libidine ueniſſe; ſed per uim tractum eſſe: deinde toties obtuli

pacem

pacem et silentium: ubi autem non rogo & extorque-re conor informationem meliorem? Adhuc sic sum animatus, ut taceam: si tacere permittar, hoc est, si illi quoque compescantur.

Omnibus notum est, Eccium nulla alia causa me rapuisse in rem pontificiã: quam ut me, nomẽ meum, omnia mea, denique Vniuersitatem nostram in ludibrium poneret & conculcaret. Nunc, cum uideant homini diuinitus resisti, me gloriæ insanæ accusant. Quid ego gloriam quæram miser; qui aliud non peto, quam ut priuatus & latentissimus, deserto publico, agere sinerer?

Habeat officia mea, qui uolet: exurat mea qui uolet: quid amplius faciam rogo? Sed hoc simul dico, si non permittor ab officio docendi & ministerio uerbi liber esse: certe liber ero in ministerio fungendo: sat multis peccatis sum onustus: non addam etiam hoc irremissibile, ut in ministerium positus, ministerio desim: & reus inueniar impij silentij, neglectæ ueritatis, et tot milium animarum. Iactet ille Cardinalis ecclesiam suam non egere defensione: cur ergo defendit?

Omnibus modis placet, ut illustrissimus Princeps se prorsus alienum gerat a causa mea: sicut huc usque gessit: & me in publicum proijciat uel erudiendum

uel conuincendum: se uero ut eruditorem agere non possit, ita nec iudicem uelle nec executorem, nisi producta & exposita sententia: nec uidere se quo modo sine cognita causa, quam & ipsi ne uerbo quidem tangunt, possit quenquam siue Turcam siue Iudęum plectere: nisi uelint Romani, ut ipsis hominibus plus obædiat, quam Deo: & in eum grassetur, quem nesciat, nocens ne an innocens sit, quod salua conscientia fieri non potest: nec ad talem conscientiam ullis præceptis ne diuinis quidem urgeri queat.

Plectant Siluestrum, Eccium, Caietanum, & alios: qui pro gloria sua hanc ecclesiæ Romanæ sine vlla causa mouerunt tragœdiam: ego sum extra noxam. Quicquid feci & facio, coactus facio, semper quiescere paratus: modo ueritatem Euangelicam non iubeant quiescere: nihil a me non impetrabunt, imo oblata omnia sponte habebunt: si salutis uiam Christianis permittant esse liberam. Hoc unum peto ab illis uicissim, ac præterea nihil: quid honestius peti potest? non peto Galerum, non aurum, non quicquid Roma hodie in pretio habet.

Aut si hoc non impetro, Ministerio priuent: & in angulo deserti sinant uiuere & mori. Ego miser inuitus doceo: simul tamen pro eo patior mala: cum cęteri & libenter doceant, & pro eo honorentur: prorsus

ſus non poteſt animus meus ſic affectus, uel minas timere, uel pollicitationes ſuſcipere. An quęrunt, ut metum uel ſpem violenter inſculpam in animum: uel foris tantum ſimulem? Habes quid ſentiam. Cæterum ſpero illuſtriſſimum Principem ita ſcripturum, ut capita iſta Romana intelligant Germaniam fuiſſe hactenus non ſua, ſed Italorum ruditate per occultum Dei iudicium, oppreſſam. Vale, & recipe omnia clauſa, ſicut miſiſti, altera Kiliani.

Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus.

SVO OPTIMO ET CHARISSIMO, Domino Georgio Spalatino à ſacris ducalibus, ſeruo Chriſti, amico fideli.

De Philippi cauſa: de bulla ſuam doctrinam damnante: de Eccio dedolato: de Petro Aperbachio: de Cortiſano (magus is eſſe uidetur cius ſupra fol: 262. facta mentio) doctore Viccio: de literis Silueſtri Schauenbergenſis: & quod uelit Cardinalem S. Georgi de hoc defenſore per Principem certiorem fieri: ut, ſi Vuittemberga è Saxonia ſe pellerent Romanenſes, ſcirent locum eſſe paratum, ubi eorum impietatem & turpitudinem liberius inſeectaturus eſſet. Decretum enim ſibi, quod neq; fauore neq; furore eis reconciliari uelit: quin ius canonicum, niſi deſit ignis, exuſturum.

IHESVS.

IHESVS.

180.

Bulla Romana contra Lutherum.

SAlutem. De supplicatione pro Philippo facienda, ipsemet scipsit ad te, mi Georgi: in qua non habeo quod pluribus agam. Cæterum pene opto uenire famosam illam è Roma bullam in meam doctrinam ferocientem. Eccium dedolatum Erfurdiæ excusum hodie me recepturum spero. De Petro Aperbachio quid scribat Langus uides: ipse nosti hominem a puero, quanto sit ingenio: forte Deus nobis occasionem eam offert, quam nollem abijci: nec puto alium facile reperiri, qui ad Plinium æque sit commodus. De Cortisano doctore Viccio non erat ullum periculum: nec admissurus sum quoslibet.

" Mitto literas Francici equitis Siluestri Schauen" bergen: & nisi molestum esset, uellem in literis Prin" cipis id subindicari Card: S. Georgij: ut scirent, eti" amsi me pellerent diris suis e Vuittemberga, nihil ef" fecturos: nisi ut rem peiorem e mala reddant: quan" doquidem iam non in Bohemia, sed media quoque " Germania sint, qui expulsum tueri possint & uelint, " inuitis ipsis contra omnia sua fulmina. Vbi pericu" lum est ne ijs protectoribus tutus sæuius in Roma" nenses sim grassaturus: quam si sub Principis imperio " publicis militarem officijs docendi: id quod sine du-

bio,

bio, nisi Deus obsistat, futurum est: Principem vero, " "
vt hactenus in multis suspexi, etiam irritatus, tunc " "
certe non necesse erit suspicere. " "

Itaque quæ illis à me nondum sunt illata, nec meæ " "
modestiæ, nec suæ tyrannidi aut meritis, sed Princi- " "
pis nomini & autoritati, tum communi studiosorum " "
Vuittembergen: causæ, sciant deberi. A me quidem, Lutheri Mi-
iacta mihi alea, contemptus est Romanus furor & næ contra
fauor: nolo eis reconciliari nec communicare in per- Papam.
petuum: damnent exurantque mea. Ego vicissim, nisi " "
ignem habere nequeam damnabo: publiceque concre-
mabo ius pontificium totum, id est, lernam illam hæ-
resium: & finem habebit humilitatis exhibitæ hacte-
nusque frustratæ obseruantia: qua nolo amplius infla-
ri hostes Euangelij.

Quanto magis epistolam Card: Georgiani, co-
gito: tanto magis eos contemno: quos mera ignauia
& pessima conscientia uideo conuulsos, uelut extre-
mo halitu simulare ferociam. Vi tentant suam igno-
rantiam tueri: sed metuunt, ne non sicut heri & nudi-
us certius feliciter succedat. Dominus autem qui, scit
me esse teterrimum peccatorem, suam causam siue per
me, siue per alium perficiet, quod non dubito. Vale.

Vuittembergæ, decima Iulij. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus August:

ERVDITO ET BONO VIRO, Magistro Georgio Spalatino, à sacris principalibus, suo in Domino maiori.

Rogat, ut Rectorem Vniuersitatis iusta seueritate per Principem reprimi curet, quod scholasticos aduersus ciues armauerit.

IHESVS.

181.

Tumultus Vuittembergensis.

SAlutem. Obsecro te, si quid uales apud illustrissimũ Principem, mi Spalatine: age vt Princeps durissimas et acerbissimas Rectori nostro scribat literas. Is enim præ insigni amentia sua, heri omnes nos pene cædi & sanguini inuoluisset, homo insanus, cõcitans seditiones vulgi studentum aduersus senatũ & innoxiũ populum, quas cõpescere debuit. Intereram concilio, vbi insaniebant toto Bacho: nihil dicebatur nisi quod ferociam adolescentum magis accenderet: vrit me ista confusio Academiæ nostræ: quæ opprobrio tandem vertetur. D. Petrus Lupinus optime locutus aduersus seditionem, ita acceptus est à D. Thoma Eschauss: vt ego statim surgerem & abirem, satanam uidens huic præesse concilio. Denicꝫ arma ferri adolescentibus, permisisse dicitur, contra Principis mandatum.

Expedit minore numero hic studeri, quam his seditioni-

ſeditionibus patere. Quotquot boni ſunt, damnant hanc inſaniam. Cras & in concione operam dabo, ſi quid compeſcere queam, Deo propitio. Nihil eorum eſt ſeruatum, quæ Princeps nouiſſime decreuit: ſenes fuerunt inſaniores iuuenibus. Scio Satanæ eſſe negotium, qui cum nuſquam poſſit nocere verbo Dei apud nos redeunti, hac arte ſaltem ei infamiam quærit: veruntamen contra nitendum eſt, quibus fieri poteſt ſtudijs, ne præualeat cum uiris iſtis ſanguinum. Cæterum credo te literas omnes accepiſſe à me datas vna cum Siluestri Schauenburgenſis, quas remitte legendas amicis. Vale, & pro me ora. Sabbatho poſt Margrethæ. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus
August:

ERVDITO ET PIO VIRO, Magiſtro Georgio Spalatino, à ſacris principalibus Saxoniæ, ſuo in Chriſto chariſſimo.

De uiſione Lirana: de concione ſua aduerſus ſeditionem: & de nouis quibuſdam. Ad quorum finem obſerua, cum quibus hoſtibus Chriſtiano ſit depugnandũ.

IHESVS.

SAlutem. Visionem illam Liranam, mi Spalatine, nihil aliud arbitramur esse, quam hanc ipsam seditionem. Magnus vir, crassum scilicet uulgus significat fere in omnibus prophetijs & visionibus. Habui heri orationem è suggestu aduersus seditionem ita temperatam, vt nulli parti affectus essem: absolute malum seditionis describerem, siue ea per ciues, siue studentes concitaretur, commendans potestatem magistratuum in hoc à Deo institutam, ne seditionibus omnia vastarentur.

Deus bone quantam mihi inuidiam concitaui: clamant me partes senatus egisse: & prodeunt tandem cogitationes cordium: quibus intelligi possit, qui vere & qui ficte nostram theologiam audierunt. Oportet enim hoc cribro paleas & triticum discerni. Ego belle video Satanam: qui cum Romæ & apud exteros nihil videat sese promouere, hoc malum inuenit, vt intus & pessime noceat.

Res fuit principio parua: sed ecce, quanto magis tractatur, tanto acrius corripit & acuit corda: quod proprie diabolici ingenij est: ut unde putes mederi, inde morbum ille augeat. Non ego eum timeo: sed metuo ne Dominum aliqua ingratitudine vel vana

gloria offenderimus: qui infensus permittat Satanam sic irrepere in medium filiorum Dei. Nec hoc adeo me mouet, quam id quod futurum timeo, nempe ne indurati per Satanam & occupati, simus incorrigibiles: quo compleamus iniquitates nostras: & veniat ira Dei & percutiat nos aliqua insigni plaga in confusionem nostram: qui uerbum Dei nobis oblatum non receperimus, aut non digne satis receperimus.

Hic vere multum timeo ac serio pauesco. Singulis annis hoc triennio insigne aliquod periculum passus sum: primo Augustæ, secundo Lipsiæ, nunc Vuittembergæ. Opus itaq; erit, non prudentia nec armis, sed humili oratione, & forti fide: quibus obtineamus Christum pro nobis, alioquin vere actum est: si viribus nostris nixi fuerimus. Itaq; ad orationem mecum confuge: ne ex scintilla ista incendium conflet spiritus Domini malus. Non sunt contemnenda parua, præsertim quæ autore Satana exordium sumunt.

Remitto noua tua ex vrbe: ego ipse plura ex eo præsens audiui, quam in hac scheda leguntur: deniq; hæc ipsa ex ore eius Magister Islebensis signauit, & Melchiori Lotther dedit: inde per te ad nos redeunt. Vale & memor esto, oportere nos pro verbo pati. Quia enim iam securũ me fecit Siluester Schauenberg, et Franciscus Siccingen, ab hominum timore:

 succedere

" " succedere oportet Dæmonum quoq; furorem: no-
" " uissimus erit, cum mihi ipsi grauis ero. Sic est voluntas
" " Dei. Die S. Alexij. Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus
August:

REVERENDO VIRO, VVENceslao Linco D. T. Magistro Nurmbergensi, Eremitæ, prædicatori Euangelico, suo in Domino.

De libellis quibusdam à se editis: De Lipsensis onagri furioribus: de schismate quodam, statim ut exarserit, extincto: de defensione à Schauenbergio promissa: de literis ex urbe, item, aula cuiusdam Principis contra se ad Electorem scriptis: & de libello suo ad nobilitatem Germaniæ.

IHESVS.

183.

SAlutem. Mitto iterum nugas meas, hypocritarum scandalum. Ecceum dedolatum ad te peruenisse arbitror. Lipsensis Onager fertur in me denuo rudere: sed videbimus. Fuit nuper apud nos prope schisma & seditio coorta: sed celeriter contritus est Satanas operante Christo.

Dedit ad me literas Siluester de Schauenberg Franciæ

Franciæ nobilis, rogans: ne in Bohemiam aut alio, sed ad se confugiam: si diræ Romanenses præualuerint: pollicitus tutelam eximiam centenorum nobilium equitum Franciæ. Itaque contempus est furor Romanus tandem & Germanis. Idem fecit Franciscus Siccingerus.

Ex vrbe ad Principem contra me scriptum est, sed frustra. Idem factum ex aula quadam magni in Germania. Editur noster libellus in Papam, de reformanda ecclesia vernaculus, ad vniuersam nobilitatem Germaniæ: qui sume offensurus est Romam, ductis in publicum, impijs artibus & violentibus potestatibus eius. Vale, & ora pro me Vuittembergæ. Vigilia Praxedis. Anno M. D. XX.

F. Martinus Lutherus.

SVO GEORGIO SPAlatino viro bono & docto in Christo charissimo.

Defendit se aduersus quorundam criminationes, de scholasticorum motu, asperius à se pro cõcione exagitato. Deinde Lipsensem asinum contra se de utraq; specie rudisse, pluraq; rudere uelle comminatum: Eislebium cogitare nuptias: Philippo maius stipendium decernendum.

Salutem.

SAlutem. Miror ita te in me sæuire: & alijs de me scribentibus adeo credere, mi Spalatine: meus sermo ita habuit, vt non de presenti, sed de futura fortuitaq; aliqua seditione, vtranque partem informaret, quid quisq; sequeretur. Nam præsentem ego apertis verbis declamaui, esse puerilem quandam commotionem, quam iam tum extinctam sedatamq; arbitrabar. Huius testes esse oportet, quotquot verum dicere volent: nullam partem, neutram causam neq; tetigi neq; indicaui vel vna syllaba: imo dixi, me non causam: sed generaliter cuiuscunq; seditionis pericula dicturum. Tu nunc vide, an sim mentitus, hanc rem agi Dæmonum insidijs: nunc quid faciam?

Scribo, sicut uoluisti, Doltzio & Principi. Satis mihi displicent quorundam ad te date litere, quicquid sit culparum. Ego nostram partem in una re non possum tueri, quod uulgum commouerint: sed ignoscendum puto imprudentiæ, præsertim agnoscentibus errorem. Ego in hunc usq; diem, rem ut puerilem contempsi, contempturus, nisi tu ita tonares: sed uide, ne me frustra excites ad scribendum Principi, & in tali causa. Vale.

Lipsensis Asinus in me nouum rugitum blasphemijs refertum edidit, de utraq; specie communionis editurus & contra vernaculam meam de Papatu editionem.

tionem. Vuittemberg: Magister Eislebius uxorem ducturit, ut fama est: Philippus nescio quid famatur facturus. Vellem homini stipendium auctum: ne sit necesse eum alia sequi, pro re familiari. Anno M.D. XX. Die Mariæ Magdalenæ.

F. Martinus Lutherus
August:

SVO IN DOMINO CHArissimo Magistro, Georgio Spalatino, Christi seruo.

Vt supplicationes duas Principi dare uelit.

IHESVS.

185.

SAlutem. Mitto hic quod agas, mi Georgi, in salutem animæ tuæ: uir pauper est, qui multis intercessoribus à me obtinuit, ut hanc eius supplicationem per te Principi conarer offerre: nolui quicquam immutare de eius sermone: ne, si simplicitatem eius mutarem, simul energiam tollerem.

Cura ergo, ut officium Christianum præstes: ne homo cum uxore et liberis tanta patiatur, spoliatus & ui pulsus ab omnibus suis. Res indignissima est, si ita comperta fuerit. Interim profugus est Vuittember-

gæ in paupertate. Mitto & Landmanninnę supplicationem: qua spero rei finem futurum: si Princeps acceptauerit. Vale in Domino. Vuittembergæ die S. Laurentij. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus. August:

SVO IN DOMINO, CHArissimo Georgio Spalatino Magistro, Christi seruo suoque Patrono.

Eccium Misnæ esse non credit: & Lochauensi ecclesiæ alium decernit Pastorem.

IHESVS.

186.

SAlutem. Nos Eccium Misnæ esse nullo pacto credimus: sed uel fabulis suis illi nos iterum tentant: uel Romæ scripta sunt uerba ad te missa. Quod ex eo liquere potest, quod scribit, se sperare moderandam esse bullam: quæ Misnæ moderari non posset.

Scripsisti olim sæpius, vt parrochum Lochanū reuocarem: & pro alio sacerdotio Principi commendarē: iam interuenit Magister Franciscus Northusensis idoneus satis: licet tibi aliquando asperior uisus esset, quod facile debes obliuisci. Si adhuc ita res pendet: po-

det: poteris mihi significare. Eloquens est & coram aula loqui verbum potens, & omnino qualem ego optarem Lochæ esse & prope nos. Agitur enim ut concionaturo ei apud exteros prouideatur. Tu quam poteris responde citius, ac vale. Vuittembergæ Vigilia assumptio: Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus
August:

ERVDITO ET PIO VIRO, Domino Iohanni Lango, Theologo syncero August: vicario medio Erffurd: suo in Domino maiori.

Ratione reddita, tum uehementiæ, tum editionis libelli sui, monet Langum, ne temere se damnet: & Philippo Catharinam Crappin uxorem duci nunciat.

IHESVS.

187.

SAlutem. Sit ne libellus meus, quem tu classicum vocas, mi Pater, tam atrox & ferox: tu uideris & alij omnes. Libertate et impetu fateor plenus est: multis tamen placet: nec aulæ nostræ penitus displicet. Ego de me in his rebus nihil statuere possum: forte ego præcursor sum Philippi: cui exemplo Heliæ ui-

am parem in ſpiritu & uirtute, conturbaturus Iſrael et Achabitas: hoc vnum habe, in mea manu non fuiſſe editionem eius. Iam enim excuſus multiplicatuſq; in 4000. exemplarium diſtrahebatur: nec tanti damni autorem eſſe licuit noſtrum Lotterum. Oratione itaque opus erit, ſi quid peccatum eſt.

Nos hic perſuaſi ſumus, Papatum eſſe ueri & germani illius Antichriſti ſedem: in cuius deceptionem et nequitiam ob ſalutem animarum nobis omnia licere arbitramur. Ego pro me confiteor Papæ à me nullam deberi obedientiam: niſi eam quam, τῷ γνησίῳ ἀντιχρίστῳ debeo. Cætera tu cogita: nec temere nos iudices: eſt quod nos in hac ſententia concludat.

Philippo ducitur Catharina Crappin: quod me autore agi clamant: ego homini, ſi qua ſunt, optima facio, nihil moratus uniuerſorum clamorem: Deus bene vortat. Odi ego ex corde hominem illum peccati et filium perditionis cum uniuerſo ſuo imperio, quo aliud non niſi peccatum & hypocriſis alitur. Vale in Domino ex Vuittemberga. Anno M.D.XX. Die S. Agapiti.

Tuus

F. Martinus Lutherus.

VIRO

VIRO AMICO DOMINO Georgio Spalatino, seruo Christi, suo in Domino.

Vt de Landmanninnæ causa respondeat hortatur: literas eius Nurmbergam perlatas ait: alteram libelli editionem fore locupletiorem: Elogion & literas corrigenda mittere: & quæ sint Cardinali S. Georgij, cuius supra fol: 272. facta mentio (eũ enim hic per S. crucem intelligi probabile est, cum causa sit, eadem) respondenda ostendit.

IHESVS.

188.

SAlutem. Primum Landmanninnæ uiduæ nihil respondetur, mi Spalatine, nisi dura (ut audio) improperia: ut nihil promouerit ista supplicatio: respondes si potes quid agatur. Literas tuas Nurmbergã ferendas curaui. Additiones ad libellũ addentur secundaria editione, quam Lotterus præsumit, quæ & locupletabitur. Elogion & literas ecce mitto corrigẽda.

Argumentum literarum ad S. Crucem tale est: quandoquidem eius fama eximia est in orbe: rogare uolui, ut causæ componendæ se faceret, qua posset industria, sequestrum: me quauis pacis conditiones etiam offerre, excepta palinodia, & infamia hæreseos, & libertate docendi verbi: Censuras autem & vim non timeri à me, quando iam in media Germania tu-

tus esse queam: simul ut caueant, ne uno extincto multos suscitent: hostibus (Deo propitio) parem me fore & ingenio & eruditione. Vale & pro me ora. Vuitembergæ, anno M. D. X X. Vigilia Bartholomei.

Magistrum Fran: Guntherum tibi commendo: & has literas curabis Principi reddendas.

Martinus Lutherus August:

SVO IN CHRISTO CHArissimo Domino, Georgio Spalatino, Lochæ Christi seruo.

Magistrum Franciscum Guntherum Northausiensem illi commendat: & ut aulicæ consuetudinis eum admoueat: item, ut quæ misit scripta, politius limentur, orat.

IHESVS.

189.

SAlutem. Mitto ad te Magistrum Franciscum Guntherum, mi Spalatine, paratum facere quæ scribis: tu autem mone & instrue hominem latius. Est enim ignarus rei aulicę: docibilis tamen, quantum cognoui ingenium. Venisse ad te meas literas cum Elogio & aliis credo: tu quæso cura, ut diligente lima expolias omnia: eram enim nescio qua animi molestia pressus, dum scriberem illa: monstrabo & aliis amicis antequã euulgentur. Vale. M. D. X X. die Bartholomei.

Martinus Lutherus August:

ERVDITO PIOQVE VIRO, Domino Georgio Spalatino, à sacris P. Saxoniæ suo in Domino charissimo.

Denuo, ut M. Franciscum de aulicis moribus erudiat petit: opuscula quædam excusa mittit: & quo die sit celebraturus nuptias Eislebius, significat.

IHESVS.

190.

SAlute. De lectionibus mutandis alias scribemus: Subi sponsus sponsam se habere assueuerit. De Parroho Lochensi Francisco spero omnia felicia fore; modo tu sis institutor hominis, quod ad aulicos mores pertinet, placidus & facilis. Sororis suæ opinionem istam pessimam non nouimus: erit tamen separata.

Mitto Elogia excusa, & literas ad Franciscum Siccingerum, & ad Carolum Imperatorem: de captiuitate ecclesiæ parum excusum est, videbimus tamen. Vale in Domino Vigilia Egidij. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus August:

Nuptiarum Eislebensium dies est feria secunda proxima post natiuitatis Mariæ: tu cura ergo promissa fideliter.

OPTIMO

EPIST. LVTHERI

OPTIMO VIRO, D. MAGIstro Georgio Spalatino: &c. suo in Christo Patrono.

Rogat, ut Principi pro ferina suo nomine gratias agat: Staupitium cum successore suo adfuturum nunciat: Miltitio de se comprimendo consilium petenti, à patribus sui ordinis Eislebiæ nullum datum: literas Antuerpia sibi allatas: Langum Dresdensem, Melchiorem Mirrisch Gundensem, adire prioratū.

IHESVS.

191.

SAlutem. Primum omnium uide, mi Spalatine, vt pro me gratias agas illustrissimo Principi, qui me ferinis saginat, cum sim monachus. Cæterum hodie ueniet R. P. Staupitius: & cum eo nouus successor eius M. Vuenceslaus. Heri enim nostri redierunt. Carolus Miltitius scripsit ad me has literas: qui in consessu Patrum publico orationem habuit, Italica pronunciatione uestitam: petens consilium super me compescendo. Frustra enim Rosam à se allatam uidet: id quod & uerbis obscure indicauit. Patres respondisse ferunt, sese nihil habere mecum, nec consiliū nosse: de qua tamen re plenius hodie audiemus. Comites eundem tractarunt magnifice.

Mitto literas ex Antuerpia datas à Priore loci eiusdem,

eiusdem, ut uideas de me quid agatur. Langus noster (quod miror) Dresden: Prior fit, Melchior Mirisch Gundensis: nescio an spiritu [a] fortitudinis acti sint: adeo turbata sunt omnia ad nouum regnum noui Vicarij. Literas à Patre Iacobo Vogt accepisse te credo. Vale, Prima Septembris. Anno M. D. XX.

[a] Vertiginis.

F. Martinus Lutherus
August:

ERVDITO ET PIO VIRO, Georgio Spalatino, Magistro, Principis Saxoniæ à sacris, suo in Christo amico.

Cur tardius scribat ostendit. Vbi denuo de concione sua aduersus seditiosos, iudicia desiderat æquiora. Lipsensium taxat maleuolentiam, ut qui sub aliena persona nocere studeant. Impetum suum in pontificem iustum esse defendit. Alueldio non uult respondere: neq; ne augendo Philippi stipendio scribere.

IHESVS.

192.

SAlutem. Diu non scripsi, expectans dum resideret in te, quem amici suscitauerunt tumultum. Nec satis placet Amsdorffij nimia in alteram partem affectio. Nunquam passi sunt studentes, qualia ciues: id

cc quod

quod illi parum curant, sua tantum incommoda sentientes: sed de ijs satis: omnes de meis conuitijs loquuntur, sed illorum nemo rationem habet. Ego sane parum moueor: si mei nominis concidat autoritas. Si quælibet increpatio conuitium est: nemo Prophetis criminantior est. Sed sic nostro sæculo sumus dessueti audire ueritatem contrariam nobis.

Lipsenses male uexat inuidia, & sub persona Alueldij ludunt suas tragœdias: dabit eis Dominus aliquando suam mercedem. Classicum meum etsi nullis forte probabitur: mihi tamen probari necesse est, ad inuadendam antichristi Romani tyrannidem, totius orbis animas perdentem. Acutissimum est & uehementissimum: quo simul languidulos illos conuiciatores, spero, faciam obstupescere. Alueldio non respondebitur: sed occasione eius dabitur in lucem, quo magis uiperæ irritentur.

De stipendio Philippi nihil scribo ad Principem: si tu non satis fueris. Quæ antea in eam scripsi, feci, vt homini nulla esset occasio migrandi unquã à nobis: si hoc fieri non potest, fiat Domini uoluntas: denique, ut uxore ducta diutius uiueret, egi propter Euangelij incrementum: si nec hoc fieri potest: fiat quod potest. Timeo eum hoc uitæ genere, non diu superstitem. Ego quod possum, pro uerbo conor: forte indignus sum

ſum: qui promoueam aliquid. Vellem & ego, ſi Deo placeret, à docendo & prædicando abſolui: pene me tædium cepit, videns parum fructus & gratitudinis erga Deum naſci: forte culpa tota mea eſt. Vale, & pro me ora. Die natiuitatis Marianæ.
Anno M. D. XX.
Martinus Lutherus Auguſt:

ERVDITISSIMO ET INTEgro uiro, Magiſtro, Georgio Spalatino, à ſacris Principalibus &c. ſuo in Domino maiori.

Literas eius ſibi redditas ait: Miltitij poſtulata in conuentu Eisleben ſi, & quid Patrum ad ſe legatione, impetrarit, exponit: de Hutteni conatibus aduerſus pontificum tyrannidem, deq; eius rei cauſis: pro ferina, Eislebij nuptijs ornandis donata Principi gratias agere iubet: & ut eidem à uenenis caueant hortatur.

IHESVS.

193.

SAlutem. Literas tuas ex Aldenburgo datas, heri accepi, mi Spalatine: ſed poſteriores ex Butſtet prius acceperam. Nihil actum eſt de me in Eisleben: niſi quod Carolus Miltitius cōſilio petito à Patribus tandem obtinuit, vt R. P. Staupitius & nouellus vicarius Vuenceslaus ad me profecturi, orarent me:

ut literas priuatim ad Ro: pontificem scriberem, contestans, nihil me in personam suam unquam fuisse molitum: sperans hoc consilio rem bene habituram.

Etsi hoc apud me nihil facit, nec apud Patres: tamen mos geretur homini, forte per hoc suæ quoque causæ consulturo. Scribam itaq; id quod res est, nihil unquam in me fuisse, quod in personam pontificis raperetur: quid enim & facilius & verius scribere possum? Cæterum sedem ipsam & ne atrocius tractem inter scribendum, cauendum erit mihi: aspergetur tamen sale suo.

Hutten literas ad me dedit ingenti spiritu æstuantes in Rom: pontificem: scribens se iam & literis, & armis in tyrannidem sacerdotalem ruere: motus, quod pontifex sicas & uenenum ei intentarit: ac Episcopo Moguntino mandarit, captum & uinctum Romam mittere. O dignam (inquit) cæco pontifice dementiam. Videbis exemplar, ubi recepero ab Henrico Stromero: is enim petiuit uidere.

Malorum causæ accedit, quod Episcopus Moguntinus per conciones mandauit, Hutteni nomine expresso, libros eius contra Romanum pontificem neq; legi neq; emi, sub excommunicationis sententia: adiecto in fine, eandem sententiam de similibus

libris,

libris, ubi meos occulte taxat. Verum si & me ita nominatim tractauerit: iungam Hutteno & meum spiritum: ita me excusaturus, ut Episcopum Moguntinum non sim lætificaturus: forte finem tyrannidi suæ ipsi sibi accelerant hoc consilio.

Ad me redeo, non fuerunt sex Doctores apud me, sed duo tantum Vicarij Staupitz & Vuenceslaus cum aliquot fratribus: quibus omnibus causa mea non displicet: displicet autem Roma: Nuptias Eislebenn magnifice ornauit illustriss: Princeps ceruo donato. Quare gratias pro nobis agas magnificas.

Illud quod petis ex Euangelio: omni habenti dabitur & abundabit: non habenti autem auferetur & illud, quod habet (seu ut alius Euangelista dicit) quod uidetur habere: arbitror ab Augustino recte tractatum esse, scilicet hoc generale quoddam epiphonema: quo Dominus doceat, eis, qui sunt in gratia, & donis acceptis recte utuntur, assidue augescere, etiam acceptis ijs, quæ in alios dispergenda erant: contra decrescere assidue, qui abutuntur. Spiritus enim dona quieta esse non possunt. Aut enim lucro, aut damno sunt possessori, cum sint res viuę: id quod in corporalibus non fit.

Sic in Apocal: dicitur: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Ita Iudæis ablatum est re-

 gnum,

gnum, auferturq; quotidie: & datum est, daturq; genti facienti fructus eius: vt idem Dominus dixit. Idem negotij quoq; assidue inter quoslibet pios & impios agitur: & semper Hebrei spoliant Aegyptios: & alius edificat, alius inhabitat: sicut in Lege Mosi prædixit.

Tu hæc boni consule, & vale in Domino. Cura autem, ne & Principi nostro pateat accessus passim: ne & ipsum petat veneno aliquis. Nihil non tentabunt Romanenses: nec potest satis Huttenus me monere: adeo mihi de veneno timet. Vuittembergæ. Vndecima Septembris. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus.

ERVDITISSIMO ET INTEGRO viro, Magistro Georgio, Spalatino: à sacris principalibus, suo in Domino maiori.

De literis utrinq; mißis & earum argumentis: de purgatione sui ad pontificem dilata: de ratione quadam sui librorumq; suorum seruandi contra Eccij aduersariorumq; furores sibi non probata, sed alia uia Euangelij propagandi monstrata: deq; spe adsciscendæ Italiæ: de captiuitate Ecclesiæ: de Carlstadij in papatum animo: de contemptu & periculis Eccij apud Lipsenses: de interdicto Moguntinensis aduersus Hutteni & aliorum libros in Papam editos, & de impetu in eundem Hutteni: item de Adriani in se iniurijs.

IHESVS.

IHESVS.

194.

SAlutem. Multas ex te literas accepi, mi Spalatine: miror que nondum ad te peruenisse eas: quibus respondi tuis ex Butstet datis. Nihil enim aliud posteriores quam illæ petierunt, scilicet de missis patribus ad me ex Eisleben: sed adhuc spero interim ad te venisse. Carolus enim petijt, vt priuatim Romano pontifici scriberem: expurgans, non esse personam suam à me taxatam: id nondum feci, iam nō facturus: postquam Eccius Lipsiæ bullas ac diras in me paratas habere auditus est. Adhuc ignoratum, quid moliatur.

Multis uisum est, ut Principem nostrum rogarem, quo edictum imperiale mihi impetraret: ne quis nisi scriptura conuictum, damnaret: aut libellos meos inhiberet: tu uideris an sit consultum: ego segnius id curo, quod indigne feram libellos meos adeo multiplicari: optem que eos in uniuersum semel concidere: quod sint confusanei & impoliti: quanquam res ipsas cupiam omnibus esse cognitas. Sed non omnes aurum è luto colligere possunt: nec est opus, cum abundent literę meliores & sacri libri: hoc magis cuperem, si uiuos libros, hoc est, concionatores possemus vel multiplicare, vel tutos facere: qui eadem uulgo traderent: de qua re mitto tibi ea, quæ ex Italia mihi missa sunt.

Si Prin-

Si Princeps noster hic vellet: credo vix queat sesse magis dignum opus facere. Si enim Italiæ quoque uulgus ea caperet: robustius forte nostra causa staret. Quis scit an illos Deus suscitet: & principem nostrũ hoc nomine nobis seruet, ut per eum suo uerbo cooperetur. Vide ergo, quid hic queas pro Christi causa promouere. Is, qui è Venetijs scribit, frater est Lazari Spengler: qui è Nurmberga ad me misit exemplar istud.

Liber de captiuitate ecclesiæ sabbato exibit: & ad te mittetur. Carlstadius & ipse iacta alea in pontificem Rom: cornua sumit. Hac hora mihi refertur Eccium Lipsiæ & male tutum & contemptum haberi: multisq; diplomatibus passim affixis irrideri: longeq; aliam faciem & mentem Lipsiæ eum inuenire, quam sperasset: non est enim, qualis ante annum: deniq; hospitio mutato in monasterio prædicatorum diuertitur: iactatur palam eum non euasurum insidias, nec reuersurum Ingolstadium. Nollem eum occidi: quanquam optem eius consilia irrita fieri. Dominus faciat, quod bonum est in oculis suis.

Noua apud nos nulla, nisi bellum prussinum. Episcopus Moguntinus libellos Hutteni, & qui contra Papam editi, publice mandat inhiberi, prouocaturus malum in caput suum. Huttenus ingenti spiritu accingitur in

gitur in Ro: pontificem armis & ingenio rem ten-tans. Adrianus noster nescio qua furia raptus in me grauiter insanit, forte occasionem quærens disceden-di. Nihil homini feci: conciones meas insectatur, pa-ratus me docere Euangelium: qui Moisen suum non intelligit: varie interpretamur eius vesaniam: sed si-ne, tempus hæc reuelabit. Vale in Domino. Vigilia Francisci. Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus
August:

FRATER MARTINVS LV-therus August: ad Conradum Saum, concio-natorem in Brackenheim.

Amorem Verbi ei gratulatus, ad fortitudinem & constantiam adhortatur: ne procellis exortis, statione sua cedat.

195.

SAlutem. Insigni te mihi elogio commendauit hic Magister Heilingen, Conrade pietate & eruditio-ne perspecta: nec parum me lætificauit, quòd tuo cordi constanter insidere testabatur puram illam & synceram Christi doctrinam: cui strenue resistunt so-phistę, armis & insidijs, & quibus modis possunt, mi-

nistrante Satana: quem harum in eis turbarum esse ducem quis non uidet?

Non enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra spirituales nequitias, in cœlestibus harum tenebrarum rectores. Constantes ergo simus: & uicissim nostri quoque Ducis audiamus classicum: quo insonat, estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente: & accipietis regnum æternum. Neq; enim nobiscum pugnat Satan iste, sed cum Christo, qui pugnat in nobis: qui maior est quam is, qui in mundo est. Noua bella eligit sibi Dominus, ait Debora, Iudicum 7. & nos quoque non nostra, sed Domini bella bellamus.

Confortare ergo, & esto robustus: si Deus pro nobis, quis contra nos? Dices, quid ista? nempe quod futurum est, vt audias (Eccio Legato) Romanum pontificem durissima Bulla in Lutherum, libellosq; eius esse grassatum, ac omnes, qui adhærent & sequuntur.

Agit modo Lipsiæ, miserum hoc Satanæ organum, bullam suam ebuccinans ingenti Pompa & gloria. Ego quid futurum sit adhuc ignoro: nec vt sciam solicitus sum: certus quod is, qui in cœlo sedet, omnium curam gerens, ab æterno præuidit huius

rei ortum,

rei ortum, progressum & finem, quem expecto: quocunque sors cæciderit, me non mouebit. Quia non, nisi ipsius optima uoluntate cadet, quocunque cadet: qui vt errare non potest, ita placere nulli non debet. Nolite ergo soliciti esse: scit Pater vester quibus indigeatis, antequam rogetis eum: folium arboris non cadit in terram sine eius voluntate: quanto minus nos nusquam cademus, nisi quo ille nos uolet cadere.

His visum est te adhortari mecum: ut, si Spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum non dimittas: sed teneas quod habes: ne alius accipiat coronam tuam. Parum est, nos pro verbo mori, aut perire: cum ipsum incarnatum pro nobis prius mortuum sit: resurgemus cum eo, cum quo perimus: & qui transiuimus quo ipsum transiuit, simul eò etiam perueniemus, quo ipsum peruenit: & cum eo manebimus in æternum. Vide itaque ne vocationem tuam tam sanctam, vilem habeas: sed gratus in ea per omne malum perseueres. Veniet & non tardabit: qui eruet nos ab omni malo. Vale in Domino Ihesu Christo, qui confortet & seruet Spiritum, & intelligentiam nostram, Amen. Vuittembergæ, Calendis Octobris. Anno M. D. X X.

Martinus Lutherus.

EPIST. LVTHERI SVO IN DOMINO CHA-rissimo Georgio Spalatino, viro pio & erudito, à sacris principalibus Saxonię, in aula imperatoria agenti.

Bullam ab Eccio allatam ait se inuasurum, sine tamen nominis pontificij taxatione: Principi nihil mouendum censet: exemplaria Bullæ cognoscenda mittit: pontificem à se Antichristum deprehensum mire gaudet: de imperatore spem nullam superesse, Erasmo teste, dicit: Lichtenbergã congressurus cum Miltitio proficiscitur: appellationemq; denuo renouabit.

IHESVS.

196.

SAlutem. Venit tandem bulla ista Romana per Eccium allata: de qua nostri scribunt ad Principem plura: ego eam contemno: & iam inuado tanquam impiam & mendacem, omnibusq; modis Eccianam. Vides in ea damnari Christum ipsum: deinde nihil afferri causæ: tandem me uocari non ad audientiam, sed ad palinodiam: ut scias eos plenos esse furore, cęcitate & amentia, qui nihil uideant neq; cogitent: agam tamen adhuc presso nomine Papæ, tanquam in effictam & mentitam bullam: quanquam credo ueram & propriam esse eorum. O utinam Carolus uir esset: & pro Christo hos Satanas aggrederetur.

Ego sane mihi nil metuo: fiat, quod uoluntas Dei volet.

volet. Nec quid Principi faciendum sit scio: nisi quod dissimulari mihi hic optimum uidetur. Nam & Lipsię & ubiq; tam bulla quam Eccius contemptissimi sunt: unde hoc suspicor, ne autoritatem sibi acquirat, nimia forte nostra cura aut solicitudine: quæ in seipsa facile corruens quiescet. Mitto exemplar eius, ut uideas monstra Romana. Quæ si dominentur, actum est de fide & Ecclesia.

Gaudeo tamen toto corde mihi pro optima causa inferri mala: neq; dignus sum tam sancta vexatione. Iam multo liberior sum, certus tandem factus, Papam esse Antichristum, & Satanæ sedem manifeste inuentam: tantum seruet Deus suos, ne seducantur eius impijssima specie. Erasmus scribit aulam imperatoris esse mendicotyrannis occupatam, vt nulla in Carolo spes esse possit: nec mirum, nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non est salus. *Papa Antichristus.*

Ego hac hora Lichtenbergam vado, Carolo Miltitio iterum mei copiam facturus: sicut Princeps ordinauit: quanquam inuito Præceptore, nescio quanta metuente. Vale, & ora pro me. Ego appellationem meam innouabo: & consilio nostrorum agam, quæ agenda sunt: quanquam mallem Bullæ processum ire

 in me,

in me: sed aliorum quoque ratio habenda est. Vuittembergæ, Anno M. D. X X. Die X I I I. Octobris.

Martinus Lutherus
August:

ERVDITIONE ET PIETATE insigni uiro, Domino Georgio Spalatino, à sacris, ducis Saxoniæ Electoris, suo in Domino.

Spalatinum tandem uidere, quantum sit hominibus fidendum, gaudet: Antibullam latinam, sequi uernaculam dicit: tum principes quosdam cum Sophistis immani in se odio ferri, Emserum etiam libello furioso. Germanis ad Euangelij causam suscipiendam communiter uocatis: priuatim literas cum Antibulla ad ducem Georgium & Mersburgensem mittet. Adrianum in se contumeliosum dimittendum censet. Bullam ab Eccio oblatam neque Erffurdenses neque Episcopus Mersenburgensis receperunt. Et ut Eccius Erffurdiæ & Lipsiæ sit acceptus.

IHESVS.

197.

SAlutem. Et ego miror, quid intercedat, ut literas meas non accipias, mi Spalatine. Bis enim scripsi: & nihil ad te peruenisse sentio. Gaudeo te aliquando uidere uanas spes Germanorum, ut discas non confidere in principibus: & desinas pendere in iudicio hominum:

minum: qui mea siue laudant siue damnant. Euan-gelium si esset tale, quod potentatibus mundi, aut propagaretur aut seruaretur: non illud piscatoribus Deus demandasset.

Non est, mi Spalatine, Principum & istius sæculi pontificum, tueri uerbum Dei: nec ea gratia ullorum peto præsidium: cum potius oporteat eos assistere sibi aduersus Dominum et aduersus Christum eius. Quod ago, ideo potius ago, ut ipsi suo in me officio uerbum Dei demereantur: & salui fiant per illud. Horum autem me miseret, qui audierunt & cognouerũt. Nam ij non possunt sine pernicie æterna ipsum negare, deserere & dissimulare: inter quos ne multi amicorum nobiscum inueniantur timendum est: & pro spiritu fortitudinis orandum.

Arduum est omnibus pontificibus & principibus dissentire: sed alia euadendi inferni & iræ diuinæ, non est reliqua uia. Proinde uide, ne, qui in mea offendantur acerbitate, tales sint: qui verbi causam vilem habeant, & nescio quid humani cogitent. Qui enim pro dignitate rem æstimat: nihil mirum si exclamaret & rumperetur. Ego, nisi tu sic urgeres, rem totam Deo committerem, ne plura, quam feci, facerem: cum sciam solius eius consilio & opere rem agi oportere.

Edidi

Edidi Latinam Antibullam, quam mitto: cuditur & eadem vernacula: in quibus, oro, ne te moueant, qui indigne ferunt, in imperia moderata debacchari. Moderata imperia, non sunt Romani pontificis imperia: quibus Christus extinguitur, & abnegatio fidei mandatur. Ego præ mera indignitate rei breuis esse coactus sum. Ita me Satanica ista bulla excruciat: penecp in totum obticuissem. Quis enim Satan vnquam tam impudenter ab initio mundi locutus est in Deum? sed quid dicam? vincit me magnitudo horrendissimarum blasphemiarum istius bullæ: & id nemo obseruat: prorsus persuasus sum, extremum diem adesse in limine: multis & potentibus argumentis, Antichristi regnum finiri incipit.

Dux Georgius totus in me insanit cum suis sophistis & Episcopo Mersburgen: video seditionem portendi per istam bullam incomponibilem: id quod decet officium Romanæ curiæ. Emser edidit in me furias suas sub nomine Thomæ Rheidini Todisci: Romæcp excudi curauit: & nunc Lipsię ijs omnibus laus est insaniisse incredibili furia.

Non scribam priuatim ad Principes: sed publica schedula appellationem innouabo, inuocaturus ad adhæsionem quoslibet Germaniæ magnos et paruos: & rei indignitatem expositurus: deinde conscientiam

cuiuscp

cuiusq; conuenturus: ne impijs istis monstris in hora mortis suæ obædiuisse conuincatur.

Cum Episcopo Moguntino nihil agam, sed ducem Georgium & Episcopum Mersburgen: compellam, literis & uernacula (cum edita fuerit) Antibulla: non quod sperem, præfractos illos spiritus posse mitescere: sed ut meam conscientiam redimam, dum eis suum periculum aperuero. Impossibile est enim saluos fieri: qui huic bullæ aut fauerunt, aut non repugnauerunt. Cætera Dominus uiderit & uos.

De Adriano nostro eadem retulit nobis Egranus: sed & mihi factus est hostis, causans quod docuerim, opera bona nihil valere, sed solam fidem: uixque coercitus est à publica mei infamia: deniq; insultauit mihi, atq; adeo prouocauit homo indoctissimus, in re theologica: inutilis est prorsus ac cito dimittendus. Lipsiam iuit forte cum Eccio pacturus. Fiat voluntas Domini.

Erffurdien: Academia requisita ab Eccio imperiosissime, non admisit bullam, causans illegitime insinuatam. Babenberg: Episcopus eundem simili casu recusauit. Adolescentes Erffurdiæ armati Eccium obsederunt: & bullas excusas frustillatim in aquam iecerunt, &c. nunc vere est bulla: senatus ad hæc dissimulat: Moguntina curia nihil audet. Qua autem glo-

ria Lipsiæ sit exceptus Eccius credo te nosse, inuisus pene omnibus, præter Principem & Episcopum. Tu fac, quod spiritus tibi dixerit: ac uale, Vuittembergæ, quarta Nouembris. Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus

August:

SVO CHARISSIMO GEorgio Spalatino, uiro bono & docto, Christi seruo.

Epitomen Siluestri edere, Alueldensi pecori stimulos adhibere, & tyrannidem pontificiam publice accusare instituit: Euangeliorum enarrationem excudi dicit: seq; literas iuuandæ reipub. causa ad Principem mittere.

IHESVS.

198.

SAlutem. Mitto litteras Nurmbergen: mi Spalatine, cum Siluestrina ἐπιτομῇ quam ipse epitoma vocat, homo grecò barbarus & latinococus: tu statim remitte: excudetur, mox in laudem & gloriam omniũ hostium veritatis, cum adnotationibus meis. Jch meine sie sein zu Rhom alle toll / töricht / wütend / vnsinnig / narren / stock / stein / helle vnd teufel worden. Nunc vide quid è Roma sit sperandum: quæ hunc tartarum exire in Ecclesiam permittit. Vincunt

cunt me vere portenta ista, magnitudine stulticiæ suæ.

In asinum Aluelden: inuehar sic: ut pontificis Romani non immemor sim, neutri gratificaturus: sic postulat argumenti necessitas: prodenda tandem sunt Antichristi mysteria. Ita enim seipsa urgent & latere amplius nolunt.

Est animus publicam schedam edere ad Carolum & totius Germanię nobilitatem, aduersus Rom: curiæ tyrannidem & nequitiam. Enarrationes epistolarum & Euangeliorum sub prælum parantur. Scribo illustriss: Principi pro Repub. iuuanda: tu in idem officij pariter quæso incumbe. Nisi enim fiat, futurum est vt mox esuriemus, aut nimium pretiose pascamur. Vale, & pro me ora. Vuittembergæ. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus August:

AD GEORIVM Spalatinum.

Vehementiam suam, aduersus Episcopi Misnensis schedulam, de qua cum eo Spalatinus expostulasse, & nescio quæ pericula denunciasse uidetur, multa alacritate, oratione longa, argumentis & exemplis compluribus defendit: non obscure significans quam causam sustineat, quæq; illius sit conditio & natura.

 IHESVS.

IHESVS.

199.

SAlutem. Bone Deus, quam tu, mi Spalatine, es concitatus, vt longe me ipſum & alios ſuperare uideâris: ſcripſi tibi & antea, ne præſumeres rem iſtam, tuo, meo, aut ullius hominum iudicio ceptam aut geſtam: ſi ex Deo eſt, longe, contra, extra, ſupra, infra tuum & meum captum finietur.

Atq; vt iterum ſcias, nollem huius rei vel pilum meo aut tuo fato geri: neque aliud unquam timui in hac re, quam nequando mihi relictus ea ſcriberem, quæ humano ſenſui placent. Metuendumq; tibi eſt, ne multo plus ſapias, æque ut mihi, ne nimio deſipiam. Diſplicet (fateor) hominibus nimia ſtulticia: ſed longe magis diſplicet Deo nimia ſapientia. Stulta enim elegit, ut ſapientia confundat.

Non uides, quod patientia mea, qua Emſero, Eccioq; ad quinq; aut ſex plauſtra maledictorum non reſpondi, fuerit unica cauſa: qua inflati iſti ſchedularij auderent quaſi tam inſulſis & ridiculis nugis uellicare.

Deinde hoc noſti, quam nihil curarim ſermonem meum Lipſiæ publico edicto tolli & opprimi: quam ibi contempſi, ſuſpitionem, infamiam, iniuriam, maliciam: ſcilicet his audacibus etiam permittendum fuit,

fuit, vt his furijs adderent famosos libellos: eosque non modo refertissimos mendacijs, sed & blasphemos in ueritatem Euangelicam? In hos lupos etiam latrare prohibes?

Testis est mihi Dominus, quam me cohibui, ne hanc maledicam & impotentissimam schedulam, nomine Episcopi nõ reuerenter haberem: dicturus alioqui, quæ cerebra ista oportuisset audire: quod & faciam, ubi agnita editione sese tueri ceperint. Impactos teneo: & tam contra iura, Euangelium, & communem sensum grassatos non omittam, quin futuro scripto tractem: ut intelligant, quid pepercerim eorum seu ruditati seu maliciæ.

Non satis legisti schedulam, ut uideo, qua contra me (si nõ sunt omnibus asinis rudiores) nihil est uenenatius, pestilentius, malignius, mendacius scriptum, imo non in me, sed in verbum Dei. Quod si ob hanc rem exulandum est, aut locus mutandus, aliudue patiundum: scis, quam ego id incommodi contemno.

Obsecro te, si de Euangelio recte sentis: noli putare, rem eius posse sine tumultu, scandalo, seditione agi. Tu ex gladio non facies plumam, nec ex bello pacem: uerbum Dei gladius est, bellum est, ruina est, scandalum est, perditio est, uenenum est, & (ut Amos ait) sicut ursus in uia & Leæna in Silua, sic occurrit

filijs Ephraim. Longe vehementius in Emser, Eccium, Tetzel scripsi, & nihil es conquestus. Quid si etiam officialis aut adeo episcopus non agnoscat editionem?

Maiori periculo ipsi scribunt, quam ego: qui Euangelij, iurium, rationis naturalis & omnis sensus adeo sunt obliti: vt ne id quidem curarint, ne me non damnarent, necq; vocatum, neque monitum, neque edoctum; eacq; egerunt, quæ nulla ratione à me sibi fieri paterentur: quæ nec feci, saltem episcopo & officiali.

Prodeant sane, si libet: &, si obliti fuerint decorum Episcopalis personæ, aut etiam officialis, ne dubites, ego adductis scripturis sui decori pulchre eos memores reddam. Non possum timere præcipitem & indoctam, istam inuidiam: sic Deus me rapit. Qui uiderit, quid faciat per me: cum mihi sim certus, nihil horum ex me quæsitum, aut petitum: sed omnia alieno furore mihi extorqueri.

Bono esto annimo: nec in ea, quæ patent, intende. Fides est argumentum non apparentium rerum: cur ergo tu secundum apparentes iudicas? Aliud agitur, mi Spalatine, & aliud uidetur in isto negotio. Ego nihil quæro: est qui quærat. Stet ergo siue

go siue cadat: ego nihil lucror, aut amitto. Habes meam sententiam.

Sed nec nostris adeo displicent, quæ scripsi, atque tibi: nec Dominus præpositus ipse aliud, quam rabulis istis à me recte factum, ducit. Si omnia excipienda sunt, quæ Episcoporum nomine prodeunt: obsecro, quanta regnabit tyrannis? Nec est mihi dubium, Episcopum Misnensem huius schedulæ tam non esse authorem: quam firmiter spero non agnosciturum. Quod si quam maxime faciat, præsumo his admonitum prudentius & doctius deinceps acturum.

Non tamen negare possum, me esse vehementiorem, quam oporteat: quod cum illi non ignorent, canem irritare non debuerunt. Quam sit difficile calori & stylo temperare, vel ex teipso discere potes. Hoc enim est, cur in publico versari semper indignatus sum: quoque magis indignor, magis contra votum inuoluor.

Idque non nisi atrocissimis criminibus, in me & verbum Dei grassantibus: quibus fit, vt si nec calore, nec stylo raperer: tamen indignitate rei ad arma queat moueri vel saxeus animus: quanto magis ego, qui & calidus sum, & stylum habeo

non

non penitus obtusum. His monstris vltra modestiæ decorum feror.

Quumque & ego miror, vnde ista nata sit religio noua, vt quicquid in aduersarium dicitur, conuitium appelletur: de Christo, quid sentis? An conuitiator fuit? quando Iudeos appellat generationem adulteram, & peruersam, progeniem viperarum, Hypocritas, Filios diaboli: deinde Paulus, Canes, uaniloquos, seductores, indoctos: qui Actorum 13. sic inuehitur in Pseudoprophetam, ut uideri possit insanus, dicens: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice ueritatis. Cur non hic Paulus modeste potius blanditur, ut conuertat, quam sic tonat? Nec potest sane conscientia ueritatis esse patiens in præfractos & indomitos hostes ueritatis.

Sed iam satis nugarum. Video ab omnibus in me peti modestiam, maxime ab hostibus, qui minime tamen omnium eam prestant: ego si immodestior sum, simplex tamen & apertus sum, quo illis me puto prestare: cum non nisi insidiosissime cōmententur. Vale, & noli timere. Vuittembergæ. Anno M. D. XX.

F. Martinus Lutherus.

Scribis inter cætera, consilia tua fuisse spreta: & non recordaris, quod scripsi, tarde tua consilia uenisse, iam pene absolutis libellis.

AD GE-

AD GEORGIVM SPALATINVM.

De Staupitij cuiusdam fraude & perfidia.

200.

GVntherus Staupitius inuentus est omnium nostrum, suoq; ipsius iudicio, sese ingenti excessu nos lusisse; accessit mihi hoc iusculum: & tædium facit agendi in similibus causis. Quis enim crederet ullum tam audacem esse, præsertim talem, tam propinquum: qui tam crasse & impudenter nostram fidem falleret? Sed excusationi locum dedimus, quod ignorauerit vtriusq; partis pretium. Itaq; expectamus illustrissimi Principis cassationem: quando & nos cassauimus omnia iam duplici iure & nomine.

ERVDITO ET BONO VIRO D. Magistro Georgio Spalatino à sacris & literis principalibus Saxoniæ, suo in Domino.

Articulos, à Bulla damnatos, defendendos suscipit: Spalatinum hortatur, ut liberius solito eos germanice uertat: rogatq; cum id operis Fabiano Feilitsch dedicare constituerit, quo nomine appellandus sit, indicet: parentes suos cum sororibus Philippi nuptias cohonestasse dicit: ad hæc exemplar literarum principis petit: reliqua cum libello de libertate Christiana promittit.

 Salutem.

SAlutem. Dedi literas ad te, in Grimmam eunti nuncio, mi Spalatine: nunc veniente V. Patre Iacobo, alias do, forte venturas citius quam illas. Articulos singulos damnatos à Bulla mox aggrediens suscipio defendendos singulos, sicut scripsisti: & à me peti intelligo. Cæterum, nisi tu multa libertate vernaculo redditurus es, atq; maiore, quam hactenus reddidisti: mihi prouinciam istam relinque. Figuras enim & argutias sententiarum & disputationũ nulla prorsus reddit interpretatio, nisi sit libera: vt taceam, spiritũ autoris quã referre sit laboriosum. Non quod dubitem te id posse, cum sis mire facilis in reddendo, sed quod paulo captiuiorem te, & nullam integrã sententiã mutare te audentem video, id quod necessariũ est.

Visum est autem id Libelli sub nomine Fabiani Feilitsch edere, viri nobis mire commendati. Quare tu fac, titulum aulicum eius mihi quantocius indices, & latine & Germanice. Et Germanica tu vteris: ego vtranq; nosse volo, pro iudicio ad latinam formandam: ita ego præibo, tu strenue sequeris. Parentes mei cum sororibus nuptias honorarunt Philippi, aliis
a
adiunctis honestissimis viris ad [a] imo & eruditissimis.

Rogo iterum, vt exemplum responsionis Principis habere mereamur. Illi enim ne secundo quidem

legen-

legendum tradere volunt. Cætera in literis prioribus, cum libello de libertate Christiana accipies. Vale, & ora pro me. Vuittembergæ, Vigilia Andreæ. Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus August:

AD GEORGIVM Spalatinum.

Ius Canonicum à se exustum scribit: concionatorem Eilenbergensem ante sibi ab eo commendatum, rogat, ut in suam fidem recipiat: &, quam petit, dimißionem à Principe ei impetret.

IHESVS.

202.

SAlutem. Anno M.D.XX. decima Decembris. hora nona exusti sunt Vuittembergæ ad orientalem portam, iuxta S. Crucem omnes libri Papæ, Decretum, Decretales, Sext: Clementini Extrauagant, & Bulla nouissima Leonis X. Item summa Angelica, Chrysoprassus Eccij, & alia eiusdem autoris, Emseri, & quædam alia, quæ adiecta per alios sunt: vt uideant incendiarij Papistæ non esse magnarum uirium libros exurere, quos confutare non possunt. Hæc erunt noua.

Cæterum quod pro concionatore Eilenburgensi

rogasti, vt faciam: nunc ecce facio. Petit enim ut per te, ex Principe illustrissimo impetrem, ut ei apud suos maiores obtineat licentiam octo annorum agendi, vbi uelit, forte in studio attento, quod iam multis annis uarie iactatus eorum mandatis, dignum sit aliquando quiete ad tempus frui pro suo commodo. Hoc nunc feci, & facio, rogans, ut & tu facias. En habes quod voluisti. Vale. Anno M. D. X X. Vuittembergæ. 10. Decembris.

Martinus Lutherus.

PIO ET ERVDITO VIRO, mino Georgio Spalatino, à sacris principalibus, suo in Domino charissimo.

Hutteni libellum Principi reddendum mittit: Papatum subuerti posse censet: ex Adelmanni literis refert, ni Bauariæ Principes intercessissent, ab Augustano episcopo actionem aduersus Eccium institutam fuisse: item de Parrhisiensium iudicio de articulis in Bulla damnatis. Quibus addit quæ Moguntinus & monachi aduersus se ausi sint.

IHESVS.

203.

SAlutem. En Hutteni librum ad me per Crotum, vt uides, missum, mi Spalatine: Principi curabis suum

reddi

reddi exemplar: ego meum teneo. Deus bone, quis finis harum nouitatum? Papatum hactenus inuictum incipio talem habere, qui conuelli etiam possit ultra omnium spem: aut vltima dies instat. Credo ad te iam dudum peruenisse exempla literarum, quæ repetijsti.

Scribit B: Adelmannus Episcopum August: impulsu Eccij fuisse processurum aduersus ipsum et alios: nisi duces Bauariæ pro eo interuenissent. Ita furit inquietus iste homo. Scribit idem se ex homine digno fide accepisse, Parrhisien: theologos omnes articulos in Bulla damnatos censuisse christianissimos, præter duos quos disputabiles haberent: idem ex inferioribus partibus accepimus. Det Dominus ita esse & fore.

Galerus Moguntinus mea publico edicto inhibuit Magdeburgi. Halberstadij eadem exusserunt, itidem Minores Cottbusenses. Asinus Alueld: iterum in me scripsit: sed contemno, nec legere volo. Tu vale & pro me ora Dominum. Anno M.D.XX. octaua conceptionis.

Martinus Lutherus
August:

EPIST. LVTHERI

SVO CHARISSIMO IOhanni Lango, Fratri Augustiniano, Christiano Erffurdiensi Ecclesiastæ.

Mart. Luth.

Respondet, non probari sibi barbaricam istam digreßionem: hortatur ut in comitijs pro Euangelio pugnet: se interea abditum conscripturum postillas, & uersurum nouum Testamentum in patriam linguam: tandem commendat se illius precibus.

204.

NOn probo egressum istum tumultuosum: cum potuissent & pacificè & amicè ab inuicem separari. Tu in comitijs futurus, uide, ut Euangelij partes foueas, defendas: ego hic latebo usque ad Pascha: interim Postillas conscribam, nouum Testamentum uernacula donaturus: quam rem
* lant nostri: in qua & te audio laborare: perge ut cæpisti. Vtinam oppida singula interpretem suum haberent: & solus hic liber omnium lingua, manu, oculis, auribus, cordibus uersaretur. Cætera ex Vuittembergensibus audito. Ego corpore bene habeo, & bene curor: sed peccatis & tentationibus quoque bene pulsor. Ora pro me, ac bene uale. Ex Eremo 4. feria post Luciæ. Anno M.D.XX.

T. Martinus Lutherus.

AD

AD GEORGIVM Spalatinum.

Rogatus, si à Cæsare rationem doctrinæ suæ poscatur, quid sit facturus, respondet, se rebus omnibus posthabitis, adfuturum: & libere, quæ docuerit, confessurum, unum duntaxat deprecari, ne Cæsar initia regni sui Lutheri sanguine polluat: sed, ut is honor gregi pontificio habeatur.

IHESVS.

205.

SAlutem. Et ex Alstet exemplaria literarum, & ex Kindelbrucken hodie accepi literas tuas, quibus responderi petis à me, quid nam facturus sim, si uocatus fuero à Cæsare Carolo, citra discrimen Euangelij, & salutis publicæ, quod videas aduersarios omnia moliri ad maturandum id negotij.

Ego uero, si vocatus fuero, quantum per me stabit, vel ægrotus aduehar, si sanus venire non possum. Neque enim dubitari fas est, à Domino me uocari: si Cæsar uocat. Porro si ui rem gesserint: sicut uerisimile est (necp enim ut doceri uelint, me uocandum curant) Domino commendanda est causa. Idem enim uiuit & regnat, qui tres pueros in fornace regis Babylonis Seruauit.

Quod si seruare nolit, parua res est caput meum,

si ad

ſſi ad Chriſtum comparetur: qui ſumma ignominia, & omnium ſcandalo, multorumq; pernitie occiſus eſt. Nam hic nullius diſcriminis, nullius ſalutis ratio habenda eſt: curandum potius contra, ne Euangelium quod ſemel cepimus, in ludibrio impiorum relinquamus: cauſamq; demus aduerſarijs gloriandi aduerſum nos, quod confiteri non audeamus, quæ docuimus: & ſanguinem pro eo fundere metuamus: quam noſtram ignauiam, & illorum iactantiam Chriſtus miſericors auertat, Amen.

Proinde etſi ita fieri oporteat, ut reges terræ, & principes conueniant in unum: & cum gentibus & populis fremant aduerſus aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius: tamen eodem Pſalmo docet Spiritus, beatos fore, qui confidunt in eo. Nec ſolum hoc, uerum et irridebit Dominus et ſubſannabit illos. Noſtrum certe diffinire non eſt, ex uita ne an ex morte mea plus minuſue periculi ſit orturum Euangelio, & publicę ſaluti. Scis, quod ueritas Dei petra ſcandali eſt, poſita in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.

Noſtræ autem nunc curæ, id unicum eſt officium reliquum, ut oremus Dominum, ne Caroli imperium in meo aut illius ſanguine, pro impietate tuenda, primas operas cruentet: mallemq; me (quod ſæpius

pius dixi) in solis Romanistarum manibus perire;ne "
ille cum suis in hanc causam inuolueretur. Scis quæ "
miseria Sigismundum Imperatorem post occisum "
Huss consecuta sit:ut nihil deinde prosperum habue- "
rit: sine prole obierit: & filius etiam filiæ,postea La- "
dislaus perierit:& in generatione vna deletum sit no- "
men eius: vxor vero Barbara infamia reginarum euaserit: & alia,quæ te nosse credo. Si tamen ita fieri oportet,vt & ego non modo pontificibus,sed & gentibus tradar: fiat voluntas Domini,Amen.

En habes meum consilium & animum: omnia, de me præsumas præter fugam & palinodiam: fugere ipse nolo: recantare multo minus. Ita me confortet Dominus Ihesus. Neutrum enim sine periculo pietatis & multorum salutis facere possem. Remitto exemplaria, missurus suo tempore literas ad Principem, sicut exemplari præscripsisti. Arbitratus sum hactenus omnia mea per aliorum manus ad aulam istam quam primum perferri: ideo nunc accipe quanta sunt excusa. Nam vernacula iam iuxra latinam excuditur.

Vale & esto robustus in Domino. Vuittembergæ,
Die S. Thomæ martyris(ut creditur à multis)
Anno M.D.XX.

Martinus Lutherus.

VIRO DOCTO ET PROBO
Georgio Spalatino, à sacris principalibus,
Lochæ, suo in Christo
maiori.

Kembergensium causam, sicut & Landmanninnæ illi commendat: &, ut modum inquirendorum hæreticorum remittat, monet.

IHESVS.

206.

SAlutem. Mittit hic Senatus Kembergen: supplicationem ad Principem, mi Spalatine, qua queritur, opprimi per census iniquissimos: in qua re & tuum officium peto, quandoquidem potes sine periculo. Quod si illustriss: Princeps nollet toti sese negotio immergere (quod nec opus est) ut subito & vi rem mutet: saltem id impetrari adiuua: vt intelligant homines illi sese in hoc habere Principis fauorem & consensum.

Miserrime enim populus exugitur illic usura ista pessima: pessimoque peccandi exemplo, magis indies augetur. Nam & sacerdotia & officia cultus diuini, tum fraternitates quasdam sacrilegis his censibus & impijs rapinis aluntur: quæ minime omnium oportuit.

tuit. Deo & voluntati eius ſcias te ſeruire propijſſima religione, quicquid tu ipſe in hoc feceris, & per Principem fieri obtinueris.

Vidua iſta reuertitur, cuius domum ipſe luſtraui: & uidi non fruſtra moueri Dominos Canonicos: eſt aliquid quòd ſperatur ibi. Modum inquirendorum hæreticorum Heſſus noſter miſſurus erat Croto in Italiam, ſi remiſiſſes. Tu interim uale: ſum occupatiſſimus, ſimul tentationibus obrutiſſimus, Vuittembergæ. Die S. Silueſtri.
Anno M. D. XX.

Martinus Lutherus
Auguſt:

ANNVS CHRISTI. M. D. XXI.

AD D. IOHANNEM STAVPITIUM, Eremitarum S. Augustini Vicarium,

Grauißimæ cuiusdam sententiæ memoria repetita, de rerum motarum mole & periculis, deq; animorum magnitudine subiungit: Libros à se pontificios exustos mire delectatur: Emserum hortatu ducis Georgij in se scribere ait: de Cæsaris consilijs incertus, quod is priores literas reuocauit. Hijs addit, Huttenum insectaturum pontificem: suos libros in diuersis locis exustos: & Murnerum quoq; contra se scripturum.

IHESVS.

207.

SAlutem. Cùm Augustæ essemus reuerendissime Pater, inter cætera quæ de hac mea causa tractabamus, dicebas ad me, MEMOR ESTO FRATER TE ISTA IN NOMINE DOMINI NOSTRI IHESV CHRISTI INCEPISSE: quod verbum non à te, sed per te mihi dictum accepi: & memori ualde mente repositum teneo.

Tuo itaq; nunc te verbo isto peto, memor esto & tu

& tu, hoc te verbum ad me dixisse. Hactenus lusum est in ista re: serius instat: et, sicut tu dixisti, nisi Deus hoc perficiat, impossibile est perfici: plane in manu Dei iam sunt ista potentissime, ut negare nemo queat. Quis hic consulit? quid cogitet homo? tumultus egregie tumultuatur, ut nisi extremo die sedari mihi posse non uideatur. Tantum est animi ex utraque parte.

Non est Papatus sicut heri & nudius tertius: etiamsi excommunicet & exurat libellos, occidatque meipsum: omnino aliquid portenti prę foribus est. Quam felix fuisset Papa, si medijs bonis componendæ pacis potius, quam ui & turbinibus perdendi Lutheri rem aggressus fuisset. Exussi libros Papæ & Bullam, primum trepidus & orans, sed nunc lætior quam ullo alio totius uitæ meæ facto: pestilentiores enim sunt quam credebam.

Scribit in me vernacula Emser Lipsiæ, ductu furentis in me ducis Georgij: qui in aula impijssime contra me agere proposuit, spirans minarum & cædis.

Vocatus fui à Cæsare literis ad Principem datis: sed & hic recusauit, & ille mox alijs literis priores reuocauit. Quid futurum sit, Deus nouit. Vicarius noster Vuenceslaus Nurmbergam iuit. Teschius est Grimmis, abijsse fertur: Deus seruet eum. Apud nos

florent omnia ſicut hactenus. Huttenus Bullam poſtulauit ſalſiſſimis notis in Papam: & uaria in hanc rem meditatur.

Mea ter arſerunt, Louanij, Coloniæ, Moguntiæ: ſed Moguntiæ cum magno contemptu, atque adeo periculo comburentium. Thomas Murnar quoq; in me ſcripſit furens. Nam Barſotum illum aſinum Lipſenſem, nihil moror. Vale mi Pater, pro uerbo Dei ac me ora: ego fluctibus his rapior & uoluor. Vuittembergæ, die Felicis. Anno M.D.XXI.

Martinus Lutherus
August:

AD VVENCESLAVM LINCUM, Eremitarum S. Auguſtini Vicarium.

Scribendi officium intermiſſum excuſat: nulla ſibi ad magiſtratus ciuiles opus eſſe excuſatione oſtendit: Cæſaris ſententiam de ſe uocando mutatam dicit: reliqua ſunt de Emſero, & rebus ferè priuatis.

IHESVS.

208.

SAlutem. Ex Mersburg tuas literas R. Pater accepi: quomodo autem potui ſcribere, cum neſcirem, quo te raperet ſpiritus Dei? De eo, quod ſcripſiſti, vt,

libello

libello edito tester me nihil contra principatum prophanum scripsisse, miratus sum ualde: cum in contrarium uniuersa mea scripta uergant: sed quis omnium obstruat ora: cum mea legere nolint plurimi, una hac causa, quod audierint, non posse mea legi, & reprehendi, aut non credi. Quid hic faciam impudentibus?

Vocatus eram à Cæsare: & nunc reuocata est eadem uocatio. Emser in me scribit: occurram bestiæ illi. Agit enim iussu ducis Georgij sui furentis. De Teschio malum audiuimus. Apud nos omnia, ut fuerunt. Ego meos centenarios aureorum accepi: & Priorem lætificaui in argento, fortiusq; in Domino.

Tu uale, & ora pro verbo, videns rem tumultuosissimo tumultu tumultuantem: forte hæc est inundatio illa prædicta anno 24. futura. Vuittembergæ. Te salutat Philippus. Die Felicis. Anno M. D. XXI.

T. Martinus Lutherus.

AD GEORGIVM SPALATINVM.

De libellis & literis quibusdam hinc isthinc missis & acceptis: de Assertione Germanice edenda: de Emsero & Murnero: de Schuuerdfegero, cui lectionem iuris petit: de Misnen: & Mersburgens: Episcopi conatibus.

IHESVS.

IHESVS.

209.

SAlutem. Credo ad te peruenisse aut mox peruentura, mi Spalatine, quæ cum assertionibus articulorum ad te dedi per Taubenheimum: interim tuas ad Stromerum literas legimus. Vernacula Assertio sub typis formatur, cuius gustum mitto: melior est quam sit latina. Emser in me scribit Lipsiæ magno animo: Murnerum contemno.

Præterea defuncto præposito, & alienato à nobis Vuolffgango, quin & Torgensem Doctorem lectione iuris exonerandum audiens, rogo intercessor & mediator bonus esto, pro Iohanne Schuuerdfeger: qui si lectionem iuris ciuilis, cui par esse etiam Philippo nostro uidetur, obtinere posset: forte ratione uitæ mutata, è Clero laicus fieret, quod & magis homini conueniret.

Hæc scribo suasu multorum bonorum: tu fac quod spirauerit spiritus. Definitum aiunt apud episcopos Misnenses & Mersburgenses Bullam exequi: fiat uoluntas Domini. Alia non sunt apud nos: tu quotidie nouis rebus obrueris. Vale in Christo Domino nostro, Amen. Vuittembergæ. Anno M. D. XXI. Die S. Agnetis Marty:

Martinus Luth. August:

AD

AD ILLVSTRISSIMVM Principem, D. Fridericum ducem Saxoniæ, S. Romani imperij Principem electorem & Archimarſchallum, &c. epiſtola ad dietam imperialem Vuormatiæ.

Vocatus ad comitia à Cæſare, per Electorem Fridericum, multa reuerentia & conditionibus æquißimis ſe præſto futurum pollicetur.

IHESVS.

210.

ILluſtriſſime Princeps. Domine Clementiſſime, Veſtræ electoriæ gratiæ mea & oratio & humilia officia perpetuo ſunt obedienter expoſita. Gratioſiſſime Domine, electoralis gratiæ veſtræ, gratioſam notificationem, quæ Romanæ cæſareæ & catholicæ regiæ maieſtatis, domini mei longe gratioſiſſimi, & mens & deliberatio in mea ſit cauſa, vndecunque plane humili gratitudine & voluptate intellexi. Pro qua gratia, vt Cęſareę maieſtati, ita electorali gratiæ veſtræ, gratias quam humillimas ago: & ex corde gaudeo, Cæſaream maieſtatem hanc cauſam, quæ, Chriſto teſte, Dei, Chriſtiani orbis, Eccleſiæ catholicæ, & totius Germanicæ nationis, & non vnius & priuati eſt hominis peculiariter, multo minus mea

proprie, ad suam Cæsaream maiestatem suscipere uelle.

Itaque non minus iam, quam hactenus semper pro mea multiplici oblatione & protestatione, et præsertim ea, quæ typis excusa prodijt in publicum, cuius exemplum siue copiam electorali gratiæ uestræ trans mitto, suppliciter offero, me omnia & facturum & omissurum: quæ cum Deo & Christiana dignitate facere potero: vel quæ facienda & omittenda honestis, certis & sufficientibus causis & rationibus sacrosanctæ diuinæ scripturæ docebor.

Quamobrem cum omni subiectione obsecro, vt electoralis uestra gratia erga Ro: Cæsaream maiestatem pro me suppliciter oret: vt me sufficienti securitate, & libero securo conductu, contra omnem uim, quam mihi timendam insigniter habeo, gratiose prouideat: & curet ut hæc causa à probis, eruditis, prudentibus, non suspectis & pijs Christianis uiris, spiritualibus & secularibus, in Biblijs bene fundatis, & intelligentiam & discrimen diuinarum & humanarum legum & præceptorum habentibus & scientibus cognoscatur: simulq; illis committat, vt diligenter me audiant: & propter Deum nullam vim contra me, donec parum Christianus & iniquus & impius inueniar, proponi permittat.

Atq;

Atque vt seculare caput sanctæ Christianæ Ecclesiæ det operam, vt mei aduersarij, Romanæ sedis defensores, interea desistant à suo insano & impio proposito, contra me, cum exustione meorum librorum, & ab impijs consilijs & conatibus furiosis, quibus meo corpori, dignitati, honori, saluti, vitæ & felicitati, quanquam me neque audito neque conuicto, malitiose & furenter insidiantur.

Et, si vicissim pro defendenda magis diuina Euangelica veritate, quam mea propria nihili & indigna persona quidquam factum esset, aut in posterum cogerer vel impellerer facere, me propter huiusmodi necessariam defensionem, clementer excusatum, & in gratiosa defensione et commissione ad defendendum verbum Dei habeat: et utercp mei gratiosissimi Domini sitis: sicut ego de præfata serenissima S. Cæsarea maiestate et uestra electorali gratia mihi, et hanc et omnes alias Christianas imperiales et principales uirtutes et gratias, ut de Dominis meis gratiosissimis cōfidenter polliceor et promitto.

Cæterum quod ad me attinet, paratissimus sum in humili obedientia, si sufficiens securamentum & liberum conductum, ultro citrocp iterum ad meam securitatem adsecutus fuero, ad proxime futurum con-

uentum imperialem Vuormatiæ habendum, coram æquis, doctis, probis, & non suspectis iudicibus comparere: & cum adiutorio Dei omnipotentis, me ita exhibere & excusare: ut omnes in ueritate experiantur, me hactenus nihil ex temeraria, indeliberata, & inordinata voluntate, aut propter temporalem & secularem honorem & vtilitatem: sed quicquid scripsi & docui, secundum meam conscientiam, iuramentum & obligationem, ut indignum doctorem sanctæ scripturæ, ad laudem & gloriam Dei, ad salutem & felicitatem Ecclesiæ Catholicæ, bonumque & commodum totius Germanicæ nationis, ad euulsionem periculosarum abusionum & superstitionum, & ad liberationem totius Christianæ Reipublicæ, ex tot infinitis, innumerabilibus, impijs & damnabilibus tyrannicis dedecoribus, probris, grauaminibus & blasphemijs, proposuisse & fecisse.

Electoralis gratia uestra dignetur una cum Ro: Cęsarea maiestate Christianum oculum & respectum habere ad tam multis modis oneratum statum totius Christianitatis. Quod pro Cæsarea maiestate & electorali gratia uestra, ultra diuinam liberalitatem & gratiam, meis miseris orationibus erga Deum orare semper, ut miser & subiectus Capellanus, in omni humilitate sum & obligatus & paratus. Datum Vuittem-

Vuittembergæ. Die Conuersionis S. Pauli. Anno M. D. XXI.

Electoralis gratiæ
vestræ
obediens & suplex
Capellanus

Martinus Lutherus.

REVERENDO ET OPTIMO uiro, Iohanni Staupitio S. T. Magistro August: Eremitæ suo in Domino maiori.

Grauiter hominem accusat abnegati Christi, quod aduersarium illius Antichristum iudicem in causa Euangelij ceperit, post editam ab eo bullam: & aperte reuocatione ipsi opus esse ostendit: exemplis ubiq; contrarijs cum aliorum, tum suo, additis.

211.

SAlutem. Miror literas & libellos meos R. P. ad te nondum peruenisse, quantum ex tuis literis capio: ego sane alijs predicans, reprobus fio: adeo me rapiunt à me ipso conuersationes hominum. Quo spiritu autem adhuc tractem uerbum Dei, uides ex ijs, quæ mitto. Vuormaciæ nihil contra me adhuc actum: etsi

miro furore Papistæ moliatur mihi mala. Spalatinus scribit tantum fauoris Euangelio esse istic, ut me inauditum & inconuictum damnari non speret.

Emser Lipsiæ fronte deposita in me scripsit libellum solo uno mendacio refertum à principio usq; in finem: cogor huic portento respondere propter D. Georg: qui illius insania inflatur.

Non inuitus audio, & te peti à Leone: ut & tu crucem, quam sic prædicasti, in exemplum erigas mundo. Non enim uellem tuo respõso contentum esse lupum illum, quod plura ei tribueris, quam æquum sit. Sic enim ea interpretabitur, quasi in totum neges, me & omnia mea: postquam eum iudicem te passurum professus es. Vnde si te Christus dilexerit, coget te ad reuocationem huius scripti: cum in ista bulla damnarit omne, quicquid de misericordia Dei hactenus & docuisti & sapuisti.

Quod cum non ignoraris: uideris mihi non sine Christi offensione, eum pro iudice aduocare: quem uides hostili furore Christi aduersarium in uerbum gratiæ debacchari. Id enim tuum fuisset asserere: & eũ huius impietatis redarguere. Non enim hic tempus timendi, sed clamãdi: ubi Dominus noster Ihesus Christus damnatur, exuitur & blasphematur. Vnde quantum tu me ad humilitatem exhortaris: tantum ego te ad su-

ad superbiam exhortor. Tibi adest nimia humilitas, sicut mihi nimia superbia.

Verum seria res est: Christum videmus pati. Quod si hactenus tacendum & humiliandum fuit: nunc tamen, quando per totum orbem ipse optimus saluator, qui sese pro nobis dedit, ludibrium iactatur: obsecro non certabimus pro eo? non obijciemus ceruicem? mi Pater, grandius est periculum quam credant multi. Hic incipit currere Euangelium: qui me confessus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eum coram Patre meo: qui me erubuerit, erubescam & ego eum.

Inueniar sane superbus, auarus, adulter, homicida, antipapa, & omnium vitiorum reus: modo impij silentij non arguar, dum Dominus patitur et dicit, perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam: & considerabam ad dextram, & non erat, qui cognosceret me. Spero enim ea confessione absoluendum ab omnibus peccatis meis. Vnde & cornua erexi, in hoc idolum Romanum & verum antichristum cum fiducia. Non est verbum pacis, sed verbum gladij, verbum Christi. Sed quid ego sus Mineruam?

Fidentius

Fidentius hæc ad te scribo, quod ualde timeo, ne inter Christum & Papam medius hæreas: quos uides tamen summa contentione contrarios esse. Oremus autē ut Dominus Ihesus spiritu oris sui destruat hunc filium perditionis propediem. Quod si tu non uis se- qui: sine me ire & rapi: non tacebo (per Christi gra- tiam) portento huic sua portenta.

Vere nonnihil me contristauit ista tua, submissio & alium quendam mihi exhibuit quam Staupitium illum gratiæ & crucis præconem. Quod si ante bullæ istius noticiam & Christi ignominiam sic fe- cisses: nihil contristasses.

Huttenus & multi alij fortiter scribunt pro me: & parantur indies cantica, quæ Babylonem istam pa- rum delectabunt. Princeps noster, ut prudenter & fi- deliter, ita & constanter agit: cuius iussu assertiones istas, utraq; lingua edo.

Salutat te Philippus & auctiorem tibi spiritum imprecatur. Saluta quæso D. Luduuicū medicum: qui doctissime ad me scripsit. Non erat ocium scriben- di ad ipsum: cum tria prela solus ego occupare cogar. Vale in Domino & ora pro me. Vuittembergæ. Die S. Apoloniæ. Anno M. D. XXI.

Filius T. Martinus
Lutherus.

SVO

SVO IN DOMINO MAGIstro Georgio Spalatino, Christi seruo.

Salse ridet creationem pontificiam, subita duorum Cardinalium morte nunciata: Staupitij nomen ad Saltzburgensem à pontifice delatum refert: concilium florentinum, & Articulos confessuris solandis, sub prælo esse: Boemum quendam conatum demonstrare, D. Petrum non fuisse Romæ, sed non satisfecisse: & alia quædam, de eius gentis erga uerbum studio. Postremo Mœrlini causam commendat.

IHESVS.

212.

SAlutem. Mera Christi audacia, qui Cardinalem tantum in medijs audeat comitijs occidere: non veritus creatorem neque creaturam. Scribit itidem in Hungaria subito perijsse similem creaturam Vuenceslaus noster.

Romanus Pontifex Staupitium nostrum accusauit ad Cardinalem Saltzburgensem, ut mecum habentem: ille respondit, nescio an euellatur. Concilium illud bellum Florentinum edetur: & articuli pro confessuris solandis, etsi præla sint occupatissima. Pransus sum cum Duce Bugslao Pomerano: qui & sermonem meum auscultauit hodie in Parochia.

E Bohemia iuuenis eruditus ad me dedit libellum: probare conatus S. Petrum nunquam uenisse

aut fuisse Romam. 18. coniecturis: sed non euincit. Miserunt præceptorium meum & Orationem Dominicam versa in Bohemicam linguam excusa typis suis: & valde promouent verbum inter suos.

Cætera ex Hieronymo nostro. Vale, & causam Mœrlin commendatam habe. Epecto etiam responsum Principis pro questore Pelitzen: Vuittembergæ. Dominica Quadragesima. Anno M. D. X X I.

Petentem Parrochiam Vuesthausensem.

Martinus Lutherus
August:

AD GEORGIVM SPALATINVM.

Indigne fert, neq; literas suas perlatas, neq; quaterniones esse missos: mittit et pollicetur ipse reliquos: Emsero, non etiã Murnero, respondebit: Psalterium suum Basileæ imprimi non probat: Mersburgensem episcopum suos libros combußisse refert: Adriano Hebræo, & Petro Burckardi, medico professori, quærit successores: mittit confitentium institutiones: quo loco Emseri liber Magdeburgi, & quis honos pontifici Vuittembergæ sit habitus, exponit.

IHESVS.

213.

SAlutem. Spero uenisse tandem ad te & literas & libellos, mi Spalatine. Miror autem quid intercedat obstaculi, quo minus iam diu acceperis: cum iam binas

binas à te interim acceperim literas, et de acceptis nulla mentio. Iam Hutteno quoqꝫ quas scripsi copiosissimas quis uentus abstulit? Quid moliar deinceps in scribendis & mittendis, nescio; sex quaterniones iam antea ad te volare iussi, raptos è prælo madidos: sed claudicasse eos uideo: reliquos mitto, missurus quos absoluet typus.

EMSER virus suum in gratiam ducis Georgij tandem euomuit: cogor homini respõdere solũ ob mendacia impudentissima. Murnero nondũ possum: & qui omnibus possem? Psalterium meum Basileæ excudit Adam Petrus, quod nollem. Episcopus Mersburgensis exussit meos libros, homo sanctus Papæ seruus.

Mattheus Adrianus licentiam discedendi petijt, cui dedimus statim. Itaqꝫ liberati sumus ab homine isto: vtinam Aurogallus ei succedere mereatur. Preterea auditum est Principem nostrũ in locum D. Petri Burckhardi medici, peregrinum quendam substiturũ esse: cum M. Augustinus Schurff, iam diu solicitauerit, et nos pro eo: cur non è nostro gremio potius accipitur? uel D. Stephanum Vuildum nouellum generũ antiqui quæstoris, si Augustino preces nostræ non impetrauerint, dignũ esset substitui: quod dico, ut suggeras si opus sit, & potes, personas nostras idoneas.

Mitto confitentium institutiones quas, petijsti. Magdeburgi libellus Emseri in publico infamiæ loco affixus est, cum titulo: Talis liber tali loco dignus: addunt additam virgam, quæ pœnam eius significaret. Cæterum Lipsiæ regnat Emser: & multa potest & audet: vt qui finem statim sui sit facturus, more hominum istius generis.

Iuuentus nostra his diebus bacchanalibus nimis ludicre Papam personatum circumuexerunt sublimem & pompaticum: tandem in foro ad torrentem proiecturis similes, fugitiuum cum Cardinalibus, Episcopis, familijsque suis, in diuersas partes oppidi disperserunt, & insecuti sunt: festiuo ualde & arguto inuento. Dignus enim hostis Christi, hoc ludibrio, qui summos reges imo Christum ludificatur. Exculitur iam ea fabula versibus eruditis. D. Hieronymum credo tibi adesse hodie. Vale: Dominica Inuocauit. Vuittembergæ. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus August:

AD GEORGIVM Spalatinum.

Ex libellis suis, quosdam mittit, quosdam pollicetur: crimen mordacis depellit: libris suis locum esse apud Misnens: & Mersburgens: incendiarios negat: amicorum hortatu Emsero respondet: enarrationem Magnificat instituit: postillas ad nondinas Francofurt: exituras: Erasmi axiomata edita stomachatur. Si quis motus extiterit, id malum sine sua culpa futurum.

IHESVS.

IHESVS.

214.

SAlutem. Assertionem vernaculam antea, vsque ad literam L. misi: supersunt L. M. N. quos mitto: ultimus finietur Sabbatho. Miror tam tarde reddi meas literas. De Confessionibus editum libellum ad te fert Scotus Bibliopola.

Vide autem ne & tu illis credas, qui me in scriptis meis arguunt mordacitatis nimiæ. Ii enim hoc arguunt, ut nomē meū polluant, cū aliud nō possint: potissimum autem eos experior tales esse, qui non legunt, sed aliorum relata sequuntur: deinde uitia morderi assueti non sunt. Ego mihi nondum conscius sum tantæ, quantæ illi accusant furiæ. de ijs satis. Apud Mersburgenses & Misnenses nihil prodest liber, confessuris datus: plaustra librorum meorum exurunt. Ita insaniunt sancticuli illi.

Rahdinum Emser esse nondum dissuaseris, mi Spalatine: sunt & nobis argumenta. Quod autem illi respondeo, amicorum, non meum est consilium: ego eam contempseram bestiam: sed illis omnino visum est stulto respondere.

Accingor iam cantico Mariano dicando iuniori Principi: ut tandem libello ipso respondeam, literis suis nouissimis & gratiosis ad me datis. Postillæ, quas

uocant, absolutæ epistolis & Euangeliis aduentuali=
bus, exibunt his nundinis Franckofordiensibus, pro
gustu aliquo: vt videam quid iudicent de eo opere
homines.

Non minus nos male habent excusa axiomata
illa Erasmi & Principis nostri responsa Lipsiæ: & ne=
scio vbi ista curata sunt ignorantibus nobis, atq; adeo
mirantibus, unde exemplaria habuerint: nostra penes
nos sunt. Nihil est ergo quod nos in hac re accuses
molestissime ferentes eas editiones: quæ & nobis me=
tu & iactantia suspectos faciunt.

Olim Erasmus scripsit, nihil esse spei in Carolo
sophistis & papistis obsesso. Dominus ipse uerbi sui
& autor & tutor est solus: placet tamen interim eo=
rum furorem differri diuino consilio: qui si perrupe=
rit: omnes fore diuinant Bohemicæ similem seditio=
nem, in nostros quoq; clericos grassaturam. Ego sine
culpa sum, qui hoc molitus fui, ut nobilitas Germanię
nō ferro, sed consiliis & edictis (quod facile possunt)
Romanistis illis modum poneret. Nam contra im=
bellem uulgum Cleri idem est, ac contra fœminas &
pueros bellare.

Sed metuo ut furor Romanistarum patiatur se
edictis & consiliis compescere: & ista insaniendi per=
tinacia ultro sibi malum accersat. De succentore ianu=
ensi

ensi tibi Amsdorffius scribit iucunda. Vale, & pro me ora. Saluta aulicos nostros. Vuittembergæ, penultima Februarij. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus
August:

ILLVSTRISSIMO PRINcipi & Domino, D. Friderico imperij electori, Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Domino suo clementissimo.

Principi monenti ut à contentionibus ad theologiæ studia placidiora redeat, respondet, nihil optatius sibi contingere posse: si modo liceat: uerum cum per aduersarios impetu continenti oppugnetur, Nehemiæ exemplo altera manu gladium, altera calamum tenendum. Velle se igitur, quod ab hostibus concedatur ocium, scribendis postillis (quas uocant) in ipsius gratiam totum tribuere.

IHESVS.

215.

GRatiam & pacem à Domino nostro Ihesu Christo. Quod hactenus celsitudinis tuę uotis, Princeps illustrissime et clementissime, respõdere nõ potuerim: atq; de die in diem magis causis sese mutuo gignen tibus differre coactus fuerim: nescio cui referre debeã acceptũ: iudicasti tu optimo quidẽ cõsilio, ut post habitis

habitis rixosis, mordacibus & turbulentis scriptionibus, quibus iam tertium annum perdidi, sacris & placidis studijs inseruirem: & iuxta Psalterij elucidandi laborem, enarrationes Epistolarũ & Euangeliorum, quas vulgo postillas uocant, pro vulgo pastorum & populorum elaborarem: ratus hac ratione fore, vt mole horum operum occupatus, uel inuitis aduersarijs, pacem haberem.

Sic enim est ingenium tuum, secundum nomen tuum pacificum: ut non obscuris nec raris argumentis mihi declararis, quam molesto feras animo contentiones illas & quæstiones, de lana (quod aiunt) caprina (liceat enim mihi sic contemnere, magnifica illa quæstus Ecclesiastici certamina, & cum Propheta Bethauen è Bethel facere) sed & ipsemet non facile dixerim, quam inuitus his turbis iactatus, & à meis studijs auulsus fuerim: ut carni & sanguini meo non potuerim penitus imperare: quin importunas istas improborum procacitates, asperius quam pro religione, modestia tractarem. In qua re, ut non deprecor culpam: ita mihi ueniam non negari spero ab vllo: qui saltem perpenderit, quantos Leones Moab, quantos Rabsaces Assyriorum, quantos denique extremæ virulentiæ Semeios, vnus ego tam diu sustinere compulsus fuerim, mei & multorũ iactura, quibus in verbo Dei prodesse potuissem.

Sic

Sic tamen in his procellis fluctuauit animus meus, vt nunquam desponderit spem potiundæ aliquando pacis, quo morem tuæ celsitudini gererem: per quam Euangelio Christi, quod dubitari non potest, non parum contulit misericordia Dei.

At cum uideam nunc, spem meam fuisse merum hominis cogitatum: et quotidie alto huic mari magno altius inuoluar, reptilibus innumeris, animalibus magnis cum paruis mutuas uires & operas iungentibus simul: uideo spei mei tentatione, Satanam aliud nihil quæsiuisse, quam ut sensu uanitatis meæ distentus, tandem in totum ab instituto meo alienus fierem: & ante migrandū esset in Babylonem, quam meæ Hierusalem presidium & uictum prouiderem. Tam astuta est nequitia illius.

Hoc considerans, recordatus sum sancti illius uiri Nehemiæ, &, relictis ociosis contemplationibus, Esræ scribæ doctissimi, de pace desperare cœpi: vltro citroqȝ me parans, ad pacis & belli studia, una manu gladiū apprehendens, Arabibus meis repugnaturus, & altera murum ædificaturus. Ne si alteri tantum operi me impendero, neutrum impleuero. Quando & Hieronymus dicit, tantum ecclesię officere, qui aduersarijs non resistit: quantum in altera parte ædificat.

Et Apostolus mandat, ut episcopus non solum

 potens

potens ſit exhortari in doctrina ſana, ſed & contra-
dicentes redarguere. Non quod me epiſcopum eſſe
arbitrer, cum deſint & opes & infula, quibus hodie
conſtat Epiſcopus: ſed quod officiũ uerbi qui implet,
Epiſcopi officium implet, quem oportet eſſe ambi-
dextrum Eliud, & pinguiſſimum Aeglon ſiniſtra bel-
lace, temporiq; belli parata, infixo pugione occidere.
Et ego in medijs gladijs, bullis, tubis & claſſicis Papi-
ſtarum, fruſtra me terrentibus, animoſus cõtemptor,
per Dei gratiam, pacis operi accingor: & enarratio-
nes à tua Celſitudine petitas, in manus accipio. Quid
enim non poſſim in eo, qui me confortat? Si uires
meas metiri uelim, ne uni quidem Pſalterio me trade- *Pſalterium.*
rem, etiam ſepties Lutherus: tantum exigit is liber,
ingenij, eruditionis, diligentiæ, ſpiritus & gratiæ; vt
taceam geminæ contionis munus. Nam de alijs occu-
pationibus extra verbi miniſterium nihil dico.

Vereor autem ne hoc operis longe ſit futurum
ſpe inferius. Cum enim nihil ſit ſanctius in omnium
corde, Euangelij opinione; idque merito, cuius maie-
ſtas inæſtimabilis digne eſt adoranda: expectabitur
forte à multis digna Euangelio enarratio, & è mon-
tium partu mus tandem fiet: & concepto ardore ſti-
pulam pariam. Non de eloquentia & latini ſermonis
elegantia dico. Nam harum rerum ut ſum imperitus:
ita

sta peritis prorsus non hæc laboro:sed de uulgo & ijs in quorum naribus spiritus est,qui excelsi reputantur apud Deum, ut Esaias dicit: quorum mihi iudicium, vtcunq; sordide loquantur, formidabile est,in primis tuũ illustrissime Princeps, qui sacris literis non modo incomporabili studio et faues & inhias:sed ita formatus es,ut nulli Theologo, uel ter maximo, non queas negotium facessere: si quæstiones duntaxat mouere incipias:tantum abest ut Romanenses fucis & nugis Bullarũ suarum tibi imponãt, aut impijs supersticionum legibus irretire queant:quo tamẽ crasso ludibrio, nullum Episcopum non penitus dementant hodie.

Satis autem fecero,si purissimo & simplicissimo Euangelij sensu, vtcunq; patefacto,insulsis & ineptis glossematibus quorundam occurrero: & pro fabulis & somnijs, saltem sola verba Dei sui, à sordibus humanis purgata,audire populus potuerit.Præter puritatem enim & synceritatem sensus Euangelij, humiliori & populari captui attemperati nihil promitto: sed an & hoc impleuero, aliorum esto iudicium:certe opiniones & quæstiones ad rem nihil pertinentes ex me nemo discet.

Suscipe ergo illustrissime Princeps, obsequium istud meum,non tua dignitate,sed tua clementia pensandum:& Euangelio Christi,sicut facis, Fridericum,

pium, magnū, Saxonem, ducem, electorem, nobis in Christi fauore diu serua. Valeat T. C. in Christo, Amen. Vuittembergæ. Anno M.D.XXI. Die 3. Martij. Martinus Lutherus August:

AD GEORGIVM Spalatinum.

De diuersis libellis suis, partim editis, partim edendis: similiter de hostibus diuersis, sed quos omnes contemnit: de Mersburgensis Episcopi auaritia & hypocrisi sanguinaria: deniq; de rabie concionantium aduersus se.

IHESVS.

216.

SAlutem. Calendis Martijs absoluta vernacula Assertio est, mi Spalatine: sed quando ad te perueniet? hodie simul postillæ prægustus, ut vides: tam tarde tibi redduntur nostra. In Emserum responsio nascitur. Mariano cantico accingor, ut antea scripsi. Misi quaterniones uernaculæ Assertionis intercisim: nunc reliquos mitto. Louanij nascitur mihi (ut factus sum certior) Latomus, & sophistarum turba hostis. Duos Italos quoque scripsisse audio, Murner tres libros? Quid ista? Ne Hercules quidem contra duos. Verum culices sunt elephanti ista monstra.

Episco-

Epiſcopum Miſnenſem male habet, æs Schmidbergi & Fabiani mihi legatum: miſſo nuper clanculū exploratore quopiam, ſciſcitatus eſt, uere ne Fabianus duo mihi millia aureorum legaſſet. Mersburgenſis humilis ſuperbiæ & ſanctæ auaritiæ Epiſcopus pergit in obſequio, quod Deo præſtat, occidendo Chriſtum & uerbum eius. Nunquam credo ſic furioſe in vllum hominem de ſuggeſtis clamatum: ſicut in me clamatur per Minores & prædicatores: quod mire quam gaudeam. Sic enim ſeipſos & vulgo produnt: & reuelantur cogitationes cordium, poſito contradictionis ſigno. Noua nulla alia. Tu ergo vale & Deum pro me ora. Vuittembergæ, 6. Martij.

Anno M. D. X X I.

Martinus Lutherus
August:

SVO IOHANNI LANGO Theologo Eremitano Erffurdiæ in Domino chariſſimo.

Qua de cauſa ſcribat exponit: de ſcriptis ſuis quædam mittit: Emſero reſponſionem inſtituit: cum pluribus ſibi hoſtibus, etſi occupatiſsimo, depugnandum dicit: amicos ſuo nomine ſaluere iubet: libros ſuos ab Epiſcopis Miſnenſ: Merſburgenſ: concremari ait.

IHESVS.

SAlutem. Has etsi occupatissimus scribo, mi Pater, solum, solum, vt tuas præoccuparem querelas, quod nihil ad te scribam, nullo alio prorsus vrgente argumento: mitto simul nugas meas. In Emserum nascitur mihi responsio.

Murnar tres effudit in me libros: duo Itali quoque in me scripsisse feruntur: quorum nihil hactenus uidi. Sed & Louanienses sub prælo habent, quod me petat. Tot ego petor vnus hidris: & prouerbium cogor euertere, Ne Hercules quidem contra duos: cum ego cõtra decem. Gemina concio uirum exigit: Psalterium tres uiros: Postilla non minus, & præter hæc tot hostes, ut opuscula succisiua & epistolas familiares, tum colloquia, & ministeria fraterna omittam, Nam ab ordinis & Papæ legibus solutus sum & excommunicatus autoritate Bullæ: quod gaudeo & amplector: nisi quod uestem & locum non relinquo.

Crotum & Ionam uide, ut officiosissime salutes: curetisq; ut pro uerbi ministerio oretis fortiter. Multa millia enim mactat Satan animarum per hanc Satanissimam Bullam. Episcopus Misnensis plaustra librorum nostrorum congessit & exussit: itidem sanc-

cticulus

cticulus illis Mersburgensis superbissimæ & auarissimæ humilitatis Episcopus. Bene vale in Christo. Vuittembergæ. Philippus vos salutat, sexta Martij. Anno M. D. X X I.

Martinus Lutherus.

Aleander nuncius Apostaticus agit summis uiribus Vuormatiæ, ut imperiali censura feriar: sed nondum promouit quicquam.

AD VVENCESLAVM LINcum Eremitarum S. Augustini Vicarium generalem.

Breui responsurus Catharino, libellos aliquot remunerando pharmacopolæ mittit: postillam aduentus absolutam, sed non editam ait: quo statu sit religionis cõtrouersia Principem sibi scripsisse: Bullam & Emseri librum pari honore affectum esse scribit.

IHESVS.

218

DEus bone, quanta farrago insulsissimi istius Thomistę Catharini. Respondebo ei paucis, ad summum quatuor quaternionibus. Libellos istos vernaculos meo nomine dabis Apothecario Stephano Hoffen: et gratias agas oro, pro munere ad me misso.

Scripsissem

Scripsissem ei, sed occupatus uix ista dedi. Tibi alio nuncio Psalterium misi: iam ijs vernaculis libris non eges.

Absoluta est Postilla per aduentum: sed noluit edere calcographus timens anteuerti lucrum. Princeps è Vuormatia scripsit ad me, ut intelligam, non esse adhuc rem in nido papistarum. Bulla Lipsiæ affixa stercore contaminata & lacerata est: idem Torgæ: sed & Doblim idem factum cum subscriptione. Das Nehst ist hie / die Vogel sind ausgeflogen. Emseri liber Magdeburgæ fixus in publico palo, quod Sack seu den Pranger vocant, appensis hinc & hinc duabus virgis seu scopis, adiecto titulo: Hic locus tali libro dignus. Præterea nihil noui apud nos. Tu ora pro me: 7. Martij. Anno M. D. X X I.

Martinus Lutherus
August:

AD GEORGIVM
Spalatinum.

Michaelem quendam commendat: addit quis honos à diuersis oppidis, principibus, & regibus Bullæ sit habitus: Catharinum nouum hostem pro dignitate excipiet: comites duos à Stolberg studiorum causa Vuittembergam uenisse nunciat: item imagines à Luca pictore mitti & antithesin Christi & Papæ parari.

IHESVS.

IHESVS.

219.

SAlutem. Hic iuuenis Michael Creutzen bonæ indolis, mi Spalatine, & tua & mea opera uti uoluit ad Principem nostrum Clementissimum, pro sacerdotio quodam postulando: cui, ut non debui, ita nec uolui officium denegare. Tu ergo curabis belle, vt tuo & meo (si quid sum) nomine promoueatur. Tu enim in aula, esse & ualere, merito crederis.

Cæterum apud nos nulla noua, nisi quod indies bulla fit contemptior. Nam Lipsiæ, quid ei acciderit, scripsi antea. Dicitur & Torgę fuisse affixa, sed clam, & mox lacerata. In Dœblin affixa mox cõstercorata & lacerata est: asscriptis his verbis: Das Nehst ist hie / die Vogel sind ausgeflogen.

Dux Saxoniæ Henricus, Fribergæ eam cum suis detestatur fortiter: dedi ad eum literas: sic enim desiderare mihi inde scribebatur. Rex Daciæ etiam persequitur Papistas, mandato dato Vniuersitati suæ, ne mea damnarent. Ita retulit, quem illuc dedimus, D. Martinus reuersus ut promoueretur, rediturus illuc.

Emseri libro quid Magdeburgi acciderit scripsi antea. Venit tandem è Norimberga Ambrosius Catharinus, proh Deum quam insulsus & stolidus Thomista, ut nos aliquando tædio pene enecet:

Breuiter ei respondebo & italicæ bestiæ bilem mo-
uebo.

Duo comites Stolbergenses ad nos studij gratia venerunt. Tu vale, & pro me ora. Has effigies iussit Lucas à me subscribi, & ad te mitti: tu eas curabis. Iam paratur Antithesis figurata Christi, & Papæ: bonus & pro laicis liber. Vuittembergæ, 7. Martij. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus
August:

SVO IN DOMINO GEORgio Spalatino, Christi discipulo viro, bono & docto.

De reuocatione admonitus, quid facturus sit ostendit. Ipsum uero iubet, ut quos poterit ab hoc impiorum concilio deterreat. Quantum M. Morlino adhuc numerandum pro scriptis literis sit, percunctatur. Aurogallo petit lectionem hebraicam. Magnificat sub prælo esse dicit.

IHESVS.

220.

SAlutem. Articulos reuocandos, mi Spalatine, & res gerendas à me præscriptas, accepi. Tu ne dubites nihil me reuocaturum: postquam uideo, non alio

eos niti argumento, quam quod contra ritum & consuetudines Ecclesiæ (quam fingunt) scripserim. Respondebo ergo Carolo Imperatori, solius palinodiæ causa uocatum me, non uenturum: quandoquidem idem sit, ac si iam illuc uenissem & huc rediissem. Possem enim & hic reuocare: si reuocandum esset solum.

Cæterum si me ad occidendum deinceps uocare uelit: & hac responsione imperij hostem me habuerit: offeram me uenturum. Neq; enim fugiam (Christo propitio) verbumue in acie reliquam. Certissimum autem habeo, illos non quieturos sanguinarios, donec occiderint me: quanquam hoc cupiam ne in meo sanguine rei fiant, nisi Papistæ: si modo potero. Plane rursum facti sumus gentes: quales ante Christum fuimus. Adeo Antichristus iste astutissimus regna, secula, in manu sua captiua tenet. Fiat uoluntas Domini.

Tu interim suade quibus potes, ut scelerato malignantium concilio non participent. M. Iodocus Morlin tres florenos D. Hieronymo pro scribarum pretio dedisse se dicit: daturus & alia, si opus fuerit: modo sciat quantum adhuc addendum sit: qanquam inops & pauper satis sit.

De Hebraica lectione sępius tractauimus: & nostro iudicio Aurogallus huic professioni idoneus est:

quem Principi illuſtriſſimo poteris ſubindicare. Aliæ apud nos non ſunt. Canticum Magnificat ſub prælo naſcitur: neſcio quando abſoluetur. Vale in Domino, & ſaluta ſalutandos. Vuittembergæ feria 3. poſt Iudica, quo die tuas poſteriores accepi.

Anno M. D. XXI

Martinus Lutherus
August:

Mandatum autem Cæſaris
nondum uidi.

SVO IN DOMINO MAGIſtro Georgio Spalatino, à ſacris Saxoniæ ducis in Chriſto.

Aduentum ſuum ad comitia nunciat: exemplum literarum Cæſaris mittit: & ut de hoſpitio ſibi proſpiciat, orat.

IHESVS.

221.

SAlutem. Venimus, mi Spalatine, etſi nō uno morbo me Sathan impedire molitus ſit. Tota enim hac via ab Iſennaco uſque huc langui, & adhuc langueo, incognitis mihi ante hac modis. Sed & mandatū Caroli eſſe in terrorem mei euulgatum intelligo. Verum
» Chriſtus uiuit: & intrabimus Vuormaciam inuitis omnibus portis inferni & potentatibus aeris. Mitto exempla-

exemplaria literarum Cæsaris. Alias literas non est visum scribere: nisi primū præsens videro quid agendum sit: ne forte inflemus Satanam, quem potius terrere & cōtemnere propositum est. Dispone ergo hospitium. Vale, Franckfordiæ. Anno M. D. X X I.

Martinus Lutherus.

VENERABILI IN CHRISTO Fratri D. Nicolao Hausmanno, seruo Christi fideli in niueo monte, suo in Domino charissimo.

Roganti, quid sibi faciendum censeat, episcopatu Zuuiccauiensi oblato, respondet, ipsius esse iudicij: se hoc monere, ut quo die eius ecclesiæ susceperit administrationem, eodem sciat se factum esse pontificiæ turbæ hostem: aut Dei filium abnegasse. 222.

SAlutem. Accepi literas tuas, charissime Nicolae, quibus significas te vocari ad Cygneam pasturā: petisque consolationem à me homuncione. Tu nosti quam sint hæc tempora periculosa, & plane tempus illud fugæ, de quo Christus prædixit. Est enim tempus, in quo doctrinam sanam non sustinent, & lupi pastores facti sunt: ut nulla nobis sit consolatio, nisi ut oremus Dominū, quo vel fugere possimus & nos,

uel ſtare in his diebus malis. Quotidie magis experior quam late & intime regnet Satan: ut horror ſit mihi intendere in faciem Eccleſiæ: deinde eò mihi proceſſit perſuaſio, ut niſi aduerſus Papæ & Epiſcoporum pugnent ſtatuta & mandata ſummis uiribus, per uitam & mortem nemo, poſſit ſaluus fieri. Mira forte & noua hæc tibi? ſed ſic eſt chariſſime Nicolae. Si non cupis: conſolationis meę capax non eris. Inuenimus nos prorſus Papam cum ſuis eſſe aduerſarium Chriſti: ut prædicare nemo, poſſit niſi qui curet oues illi ſubducere, & eum uelut lupum abigere. Quod crimen, tu ſcis, quantis uociferationibus hodie iactetur eſſe Schima, hæreſis & infinitum malum: ſed quid faciamus? Alia non eſt ratio ſalutis hoc perditionis tempore.

Proinde mi Nicolae, Cum meum conſilium, ſi malum ſit, conſultori peſſimum eſſe oporteat: ego plane te liberi arbitrij eſſe hic permitto: tui periculo ſino agere. Si paſturam aſſumis: Papæ & Epiſcoporum hoſtem te facies, illorum decretis reſignans. Si non repugnaueris: Chriſti hoſtis eius. Non ſtat Chriſti fides, cum illorum laqueis & fallacijs. In omnibus his tibi nihil pręiudico: ſicut ſic mihi cõſultum uelim, conſulo: tutius erat, aut non petere conſilium, aut hoc datum piè & benignè ferre. Non habeo (Deum te-

ſtor) aliud, in quo optime uale. Vuittembergæ. Vndecimo Calendas Aprilis. Anno M. D. XXI.

Tuus Martinus Lutherus
August:

AD DOMINVM, CAROLVM V. Auſtrium, Imperatorem, Cæſarem Auguſtum, epiſtola, poſt abitionem ex conuentu imperiali Vuormatiæ.

Acta Vuormatienſia ab initio repetit: ſuam confeßionem inſerit: & hanc ne malitiam fuiſſe ſuſpicetur imperator, ſuppliciter rogat. Deinde agit gratias pro data fide publica. Poſtremo orat, ne patiatur, ſe aduerſariorum ui & tyrannide opprimi.

223.

GRatiam & pacem cum omni ſubiectione ſui, in Chriſto Iheſu Domino noſtro. Sereniſſime & inuictiſſime Imperator, idem Domino clementiſſime, cum ſacra tua maieſtas me publica fide, liberoq; conductu euocaſſet Vuormatiam, exploratura animum meum, ſuper libellis nomine meo editis: & ego cum omni humilitate coram S. Maieſtate tua vniuerſoq; ordine imperij comparuiſſem, obædiens per omnia: proponi

proponi mihi mandauit S. Maiestas tua: in primis, an libellos prædictos agnoscerem tanquam meos? & an reuocare eos, uel in eis perseuerare paratus essem, nec ne?

Ego uero, ubi meos esse agnouissem (modo nullius uel aduersarij uel scioli ingenio & arte quidquam in eis inuersum aut mutatum esset) indicaui cum reuerentia & submissione multa, eum mihi esse animum, quod cum libellos meos claris & apertis sacris scripturis munijssem, mihi non esse integrum, neq; æquum, neque ullo modo committendum, ut uerbum Dei negarem &: libellos meos eo pacto reuocarem: rogans humiliter, ne S. Maiestas tua me ad huiusmodi reuocationem adigi pateretur ullo modo: sed hoc potius curaret, ut libelli mei, siue per seipsam, siue per alios, etiam cuiuscunq; ordinis uel minimos (si quis posset) perlustrare: & errores, quos inesse causantur, literis diuinis scilicet euangelicis & propheticis, redarguere dignaretur: offerens me Christiana promptitudine, si redargutus & reuictus de errore fuissem, omnia me reuocaturum: & primum futurũ, qui libellos meos igni traderem, & pedibus concul-carem.

Postulatum est autem & exactum à me super hæc omnia, vt simpliciter & plane responderem: paratus essem

essem reuocare, nec ne? Tum ego iterum, quam potui humillime respondi: quando conscientia mea literis diuinis, quas adduxi in libellis meis, conclusa esset: nulla modo possem citra meliorem eruditionem quidquam reuocare.

Tum aliquot electores Principes, aliiq; imperii ordines, mecum egerunt, ut libellos meos S. Maiestatis & imperialium ordinum cognitioni & iudicio submitterem: quod & D. Cancellarius Badensis & D. Doctor Peutingerus apud me laborauerunt: obtuli me denuo, ut prius, modo per literas diuinas, aut euidenti ratione docerer.

Tandem actum est, ut aliquot excerptos articulos uniuersalis concilii iudicio concederem & concrederem. Ego, uero qui semper & omnibus studiis humiliter paratus fui omnia facere & pati, quæ mihi essent possibilia, hoc unum non potui obtinere, Christianissimum plane uotum, ut verbum Dei mihi liberum & illigatum permaneret: & libellos meos S. Maiestatis tuæ, ordinibusq; Imperii ea ratione submitterem, siue etiam concilii determinationi concrederem, ne quid aduersus Euangelium Dei, & à me submitteretur, & ab illis definiretur. Hic fuit controuersiæ totius cardo.

Nam Deus, qui scrutator cordium est, testis mihi

erit, esse me promptissimum obedire S. Maiestati tuæ, siue per uitam, siue per mortem, siue per gloriam, siue per ignobilitatem, siue per lucrum, siue per damnum. Sic enim me sæpius obtuli, & adhuc offero: prorsus nihil excipiens, præterquam verbum Dei: in quo non solum uiuit homo, ut Christus Matth. 4. docet: sed & angeli desiderant prospicere, 1. Pet. 1. Quod cum sit super omnia: debet in omnibus liberrimum & illigatum haberi, vt Paulus docet. Et in humano arbitrio nunquam positum est, ipsum submittere & in periculum subijcere: quantalibet magnitudine, multitudine, doctrina, sanctitateque præpolleant homines: adeo, vt S. Paulus audeat Gal. 1. exclamare & ingeminare: Si nos aut Angelus de cœlo aliud vobis euangelisauerit, anathema sit. Et Dauid: nolite confidere in Principus, in filijs hominum in quibus non est salus. Nec sibi ipsi quisquam sese submittere potest, dicente Salomone: Stultus est, qui confidit in corde suo. Et Iere. 17. Maledictus, qui confidit in homine.

Cæterum in rebus temporalibus, quibus cum verbo Dei & eternis bonis nihil est cõmune, mutuam inuicem debemus fidem: quod illarum submissio, periculum & amissio nihil officiat saluti: quando & seruatas tandem relinqui oportet. At in verbo Dei & æternis bonis id periculi Deus non patitur, vt homo

hominí

homini illud submittat. Sibi enim soli submitti omnes & omnia intendit, vt qui solus gloriam veritatis habet, & veritas ipsa est: omnis autem homo mendax & vanus: ut Paulus Ro. 3. egregie tractat: nec id iniuria. Nam ea fides & submissio proprie est vera illa latria & adoratio Dei, vt S. Augustinus Enchiridij 1. docet, quæ nulli creaturæ debeat exhiberi. Ideo enim S. Paulus nec angelos, nec seipsum, ac sine dubio nullum sanctorum siue in cœlo, siue in terra hac fide dignum censet, imo maledicit: necq; illi tolerarent, nedum expeterent. Sic enim fidere homini in rebus salutis æternæ, est creaturam in propriam soli creatori debitam gloriam ponere.

Quare quam humillime supplico S. Maiestati tuæ, ne hoc præiudicium verbi Dei existimet è mala suspitione natum: necq; inclementius interpretetur. Ex prædictis enim scripturis mihi partum est: quibus omnis creatura merito cedit. Maior est, inquit Augustinus, huius scripturæ autoritas, quam totius humani ingenij capacitas. Nam opinionem & fidem meam erga S. Maiestatem tuam synceriter probam, poterit S. Maiestas tua ex eo cognoscere facile, quod sub fide publica S. Maiestati tuæ obedientissimus comparui: nihil ueritus, quod scirem libellos per aduersarios meos exustos: & interim edictū aduersus me & libel-

los meos sub nomine S. Cæsareæ Maiestatis tuæ publice multisq; locis affixum esse. Quæ res non immerito pauperculum hunc monachum terruissent & retraxissent:nisi de Deo optimo maximo,S. Maiestate tua & ordinibus imperij optima quaq; præsumpsissem:quæ & præsumo adhuc.

Quum ergo nulla uia potuerim impetrare libellorum meorũ è literis diuinis refutationem:coactusq; sim irreuictus discedere: totaq; ut dixi,controuersia in eo fuerit, quod articulos erroneos, quos in libellis meis iactant,per scripturas sanctas non placuit reuincere, nec spem facere aut promittere,aliquando fore, vt libellorum meorum examen & cognitio per uerbum Dei peragеretur: nihilominus S.Maiestati tuæ gratias ago quam humilime, quòd fidem publicam & Vuormatiæ strenue seruarit: seruandamq; usq; ad securam meam mansionem spoponderit.

Denuo S.Maiestatem tuam per Christum obsecrans, ne patiatur me per aduersarios opprimi, vim pati & damnari: cum toties me iam obtulerim, sicut christianum & obedientem hominem decet. Paratissimus enim sum adhuc sub fide S. Maiestatis tuæ coram iudicibus non suspectis,eruditis,liberis,tam prophanis quam ecclesiasticis sisti: quo per S. Maiestatem tuam, per imperij ordines,per concilia,per Doctores,

ctores, siue quicunque possit ac velit docere, libellosque meos & dogmata omnibus libentissime submittere, examen & iudicium sustinere & acceptare: nulla re prorsus excepta, nisi solo verbo Dei, aperto, claro, & liberrimo: quod merito omnibus superius, et omnium hominum iudex permanere debet.

Hæc non mea solius causa, qui nullius sum pretij, sed totius Ecclesię nomine suppliciter oro: quæ ratio & mouit, vt has literas post tergum remitterem. Ex toto enim corde S. Maiestati tuæ, toti imperio & nobilissimæ nationi Germanicæ quam optime vellem consultum, & in gratia Dei omnes seruari felices. Nec hactenus aliud quæsiui quam gloriam Dei, & communem omnium salutem, nihil quod mihi vtile esset considerans, etiamnũ, siue aduersarij me condemnent, siue minus. Si enim Dominus meus pro inimicis suis in cruce orauit: quanto magis ego pro S. Maiestate tua, pro imperio toto, & charissimis meis maioribus, totaque patria Germania, de quibus non nisi optime spero, fretus hac fiducia mea exhibitione, * cum gaudio & fiducia in Christo solicitus esse, orare, & obsecrare debeo.

His me S. Maiestati tuæ commendo sub vmbram alarum: quam Dominus Deus nobis salutariter & feliciter dirigat, & seruet, Amen.

Datum Friburgi, Dominica Cantate. Anno M. D. XXI. Sereniss: maiestatis tuæ.

Deditissimus precator

Martinus Lutherus.

AD STATVS ROMANI imperij Vuormatiæ congregatos.

Eodem argumento est, cum epistola præcedente ad Cæsarem, nisi quod, mutatis personis, rogat, ut se Cæsareæ maiestati commendet, ne qua ui opprimatur. Nullius enim cognitionem, modo intelligat & æque iudicet, recusat.

224.

GRatiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro Ihesu Christo, Amen. Illustrissimi sacri Romani imperij Electores, cæterique Principes ac domini clementissimi, posteaquam Cæsarea Maiestas, concessa mihi atque libere seruata publica fide, Vuormatiam me conuocasset, vt ibi declarationem meorum scriptorum, qui sub meo nomine in publicum emissi fuerant, audiret: ego me, vt obsequentissimum diuini verbi ministrum coram Cęsarea Maiestate cæterisque sacri Romani imperij ordinibus obseruanter exhibui.

Primum itaque Cæsarea maiestas ex me perquiri iussit: num pręfatos Libros agnoscã? deinde, vtrum iam eos retractare, an vero in illorum sententia persistere

ſiſtere velim? Ceterum cum profeſſus fuiſſem, me librorũ, quos ipſe ſcripſiſſem, ſi à maleuolis hominibus non deprauati, neq; alia quacunq; ratione in fraudem meam immutati eſſent, aſſertorem fore: ſumma cum obſeruantia reſpondi, libros meos apertiſſimis, & maxime perſpicuis teſtimonijs ſacræ ſcripturæ confirmatos eſſe. Graue igitur mihi & iniquũ, atq; adeo impoſſibile uideri retractandis meis ſcriptis diuinum verbum abnegare.

Itaq; ſupplici uoce precatus ſum à Cæſarea Maieſtate, ne ad eiuſmodi retractationem adigi me pateretur: ſed potius, ut ſua Maieſtas, aut alij quantumuis mediocres homines, qui ad hoc negotium pares eſſent futuri, libros et ſcripta mea inſpicerent: atque errata in ijs deprehenſa, propheticis & euangelicis ſcripturis redarguerent. Quod ſi falſi dogmatis conuiciſſent, pio animo recepi, me errores omnes reuocaturum eſſe: primumq; fore, qui pedibus conculcatos omnes libros in ignem miſſurus eſſet.

Ad hæc poſtulatum eſt, vt clarum & certum reſponſum darem, an palinodiam canere? vel ita firmiter in propoſito perdurare uelim? Hic iterum Cæſareæ maieſtati atq; illuſtriſſimis ueſtris dominationibus obedienter reſpondi: conſcientiam meam uerbo Dei, quo in confirmandis meis utar, ita obſtrictam ac

ueluti

ueluti captiuam detineri, ut ea illæsa Retractationem nullo modo suscipere queam, nisi hoc idem sacræ scripturæ testimonio me edocuissent.

His peractis, mihi quidam ex electoribus principibus, ac statibus sacri imperij persuadere conati sunt, vt mea scripta censuræ & iudicio cæsareæ maiestatis & reliquorum ordinum sacri imperij Romani subijcere velim & debeam: id quod etiam Cancellarius Badensis, & Doctor Peutingerus Augustanus postea mecum egerunt: his iterum, vt antea, me hoc nequaquam subterfugiturum esse dixi: modo vt certis & illustribus rationibus, ex verbo Dei petitis, me conuictum adhoc informarent.

Postremo, cum à me contendissent, vt saltem articulos aliquot ex libris meis decerptos, iudicio synodi cōmitterem: & ego me, vt alias semper, obsequentē ac paratum ad peragenda atq; omittenda, quæcunq; in potestate mea sita essent, ostendissem: tandem summa controuersiæ in hunc veluti articulum concurrebat, vt nulla ratione hanc æqissimam conditionem impetrare potuerim, quod videlicet verbum Dei liberum, ac minime iudicijs humanis adstrictum permaneret: deinde, vt mea scripta Cæsareæ Maiestatis atq; ordinum S. Imperij Rom: seu futuræ alicuius synodi sententijs atq; decretis ea lege subijcerentur: ne quid

quid contra sacrosanctum Dei verbum à me concessum, aut ab ipsis constitutum, atque diiudicatum videretur.

Testis enim mihi Deus est, qui omnium corda scrutatur, me ceteris in rebus omnibus, siue suscipiendis siue omittendis, ex animo cupere cæsareæ Maiestati debitam obedientiam præstare. Nulla enim habita ratione vel vitæ vel necis, gloriæ vel ignominiæ, commodi aut incommodi, talibus conditionibus alias sæpe me astrinxi, & iam nunc me astringo: neque hic vllam exceptionem nisi verbum Dei, præualere cupio. In hoc enim non solum hominis æterna vita, sed etiam angelorum perpetua gaudia & lætitiæ consistunt. Huius autoritatem supra omnia ita vehi necesse est: vt prorsus nulli rei alligatum esse videatur. Neque in alicuius hominis potestate situm est, vt flectere hoc pro arbitrio, uel seipsum huic anteferre possit: quantumuis opinione doctrinę & uitæ sanctimonia excellat.

Hinc est, quod diuus Paulus ad Galatas 1. bis exclamat, dicens: si aut nos ipsi, aut angelus è cœlo prędicauerit uobis Euangelium, præter id quod accepistis, anathema sit. Et Psal. 147. Nolite, inquit Propheta, confidere in principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus: imo ne quidem in seipsum

n n quisquam

quiſquam ſpem aut fiduciam ponere debet, dicente Salomone: qui confidit in cor ſuum, ſtultus. Et Iere. 17. maledictus, qui confidit in homine.

In corporalibus negotijs cum non agitur de verbo Dei, aut bonis æternis, æquum eſt, ut animus noſter alterius fiducia nitatur: ſiquidem error & iactura talium rerum, quæ alioqui nobis ſunt relinquendę, nihil obſit æternæ ſaluti: verum in rebus diuinis & æternis ferre non poteſt nec uult Deus, ut in uno uel pluribus hominibus, ſed in ſola ipſius bonitate corda noſtra acquieſcant: ut qui ſolus hanc gloriam & nomen uſurpare debet, quod verax, imo & veritas ipſa ſit: homines uero cuncti mendaces ſunt & vani: id quod etiam S. Paulus in Epiſtola ad Romanos præclare docet, & merito quidem, cũ illa fiducia, atq; hic aſſenſus, Auguſtino teſte, uera ſit adoratio, & proprius cultus Dei, nulli prorſus creaturæ tribuendus.

Hinc eſt quod S. Paulus, neq; angelum de cœlo, neq; ſeipſum, & proculdubio neminem quoq; ſanctorum, ſiue in cœlo ſiue in terris, dignnũ hac latria, hoc eſt, cordis fiducia, uult reputari: imo etiam tales execratur. Neq; etiam quiſquam ſanctus eſt, qui honorem iſtum ferret: multo minus expeteret unquam. Collocare enim fiduciam cordis in hominem, quid obſecro aliud eſſe poteſt, quam ex creaturis idola con

ficere,

ficere, & substituere ea in locum Dei creatoris.

Proinde uestras illustrissimas dominationes deditissime rogatas uolo, ne hanc meam excusationem acerbius, aut suspitione cuiusdem diffidentiæ, sed magis ex autoritate diuini uerbi supra à me allegati, estimare, & suscipere uelint: cui merito nos omnes subijcere debemus. Quæ enim mea sit obseruantia atque singularis expectatio de uestris dominationibus, uel hinc æstimari potest, quod ad præscriptum & publicam fidem S. Cæsareæ maiestis atq; uestrarum dominationum coram obedienter comparere uoluerim: tametsi mei libri paulo ante ab aduersarijs in ignem coniecti fuissent: & multis in locis publicum edictum contra me & scripta mea sub nomine Cæsareæ Maiestatis promulgatū fuisset. Quæ res profecto me miserum existentem monachū ab instituto reprimere debuisset: nisi animus meus adeo firmā spem insignis cuiusdam clementiæ ac bonitatis, primū in Deo, deinde in Cęsarea Maiestate, atq; illustrissimis uestris dominationib. fixā habuisset, & in hunc usq; diem haberet.

Neq; tamen impetrari ullo modo à me potuit, ut scripta mea, uerbo Dei confirmata, uoluerim abnegare, donec tandem istinc ita discedere sim coactus: neq; quidquam nobis in controuersia relinqueretur, nisi quod erroneos articulos, quos in meis libris causa

bantur esse, noluerint scripturis diuinis conuincere aut explicare: imo ne quidem permittere uel consentire, uel promittendo saltem spem aliquam facere quisquam voluit, quod inspectio & iudicium de meis libris iuxta regulam diuini uerbi fieri deberet.

Itaque S. Cæsareæ Maiestati, atque illustrissimis vestris Dominationibus pro exhibita benenolentia & firmo præsidio publicæ fidei Vuormatiæ mihi concessæ, et vsqꝫ ad priuatam munitionem clementer seruatæ, quam deditissime gratias ago.

Deinde vestras dominationes propter gloriam Dei iam iterum obtestor, vt benignis precibus me apud cæsaream Maiestatem commendare, atqꝫ efficere velint: ne cæsarea Maiestas me toties ad iudiciũ sacræ scripturæ pie & simpliciter prouocantem ab inimicis violari, infestari, persequi aut damnari sinat. Ego enim, si concesserit mihi cæsarea Maiestas publicę fidei securitatem, adhuc offero, me eadem obseruantia corã doctis iudicibus, cuiuscunqꝫ tandem siue ecclesiastici siue politici ordinis fuerint, modo ne suspecti & aduersæ parti plus æquo fauentes sint, ei affuturum.

Deinde cæsaream Maiestatem sacri Romani imperij Rom: status, concilia, Doctores, & quosuis alios, qui saniorem mihi doctrinæ rationem monstrare velint

re velint aut possint, auditurum: doctrinam & scripta mea sententijs omnium subijcere, censuram atque iudicium de ijs libenter admissurum esse. Neque hic quidquam nisi syncerum, manifestum & sacrosanctũ Dei verbum excipi volo: cuius autoritas ubiq; eminere, & iudicia omnium hominum merito gubernare debet.

Non solum igitur mei causa, qui qualicunq; sim fortuna, nihil referet, oro, sed propter publicam salutem totius nominis Christiani: quæ me res potissimum impulit, vt hasce literas ex itinere post meum discessum remittere voluerim. Cupio enim ex animo: vt hac in parte Cæsareę Maiestati, sacro imperio Romano, & vniuersæ Germanicæ nationi consuleretur, atq; ita feliciter sub gratia Dei omnipotentis conseruaretur. Neq; enim unquam ulla priuata commoda, sed tantum gloriam nominis diuini, & communem ecclesiæ Christi salutem quæsiui: & adhuc quæro: vt maxime ab aduersarijs meis condemner. Si enim Christus Dominus & Deus meus pro suis inimicis in cruce rogare dignatus est: quanto magis me pro Cæsarea Maiestate, uestrisq; illustrissimis dominationibus, pro sacri imperij Romani statibus, atq; uniuersa Germanorum natione, charissimis meis Dominis & magistratibus, de quorum clementia & bonitate

 (præsertim

(præſertim cum me viciſſim quoq; in tantum ſubmiſerim) adeo firmam ſpem in animo conceptam habeo, cura affici, pia ad Deum uota facere, atq; orare, conuenit.

His itaq; me illuſtriſſimis ueſtris Dominationibus ſumma obſeruantia commendo: & precor Deum optimum maximum, ut eaſdem veſtras dominationes ad communem ſalutem & conſolationem noſtrā clementer conſeruare uelit, Amen.

Datum Fridburgi, Dominica Cantate. Anno M.D. XXI.

Illuſtriſſimar: Dominationum ueſtrarū obſequentiſſimus uerbi Dei miniſter

Martinus Lutherus.

MANIBVS MAGISTRI SPAlatini Vuormatiæ.

Literas ad Cæſarem & ad ordines imperij per coduceatorem mittit: & amicos quoſdam ſaluere iubet.

IHESVS.

225.

SAlutem. Habes hic literas, quas exegiſti, mi Spalatine: cætera tu curabis. Ernholtum dimiſimus: hodie ad Gronbergium uehimur: alia non ſunt, quæ ſcribam, ſaluta omnes noſtros, præcipue D. Ioachimum

mum & Vlrichum de Pappenheim, etiam nomine Amſdorffij, quos ualedicere nequiuimus abeuntes. Vale in Domino Fridburgi, feria 2. poſt Cantate. mane Anno M. D. X X I.

Martinus Lutherus.

PHILIPPO MELANTHONI, Euangeliſtæ Vuittembergenſis Eccleſiæ, ſuo in Chriſto chariſſimo Fratri.

Seceſſum excuſat: Eccleſiæ ſtatum deplorat: Philippum ut laboranti Eccleſiæ ſubueniat hortatur: edicta aduerſus ſuos libros ſcribi: Cæſarem incitari: Cronebergium renunciaſſe ſtipendium Cæſari: edicti iſtius ſeuerioris executores fore eorum uicinos: aluo daſtrictiore ſe laborare: Saltzburgenſem Ferdinando inuito comitem factum eſſe ad accipiendam ſponſam narrat.

IHESVS.

226.

SAlutem. Tu uero quid interim facis, mi Philippe? an non pro me oras, ut seceſſus iſte, quem inuitus admiſi, operetur aliquid maius in gloriam Dei? atque adeo, quomodo tibi placeat, ſcire cupio. Verebar ego, ne aciem deſerere uiderer: nec tamen patebat uia, qua uolentibus & conſulentibus reſiſterem. Nihil magis opto, quam furoribus aduerſariorum occurrere obiecto iugulo.

Ego

Ego hic ſedens tota die faciem Eccleſiæ ante me conſtituo: & illud uideo Pſalm 88: nunquid uane conſtituiſti omnes filios hominum? Deus, quam horrendum iræ Dei ſpectrum eſt, abominabile illud Romani Antichriſti regnum: ac meam duritiam deteſtor, qui non totus in lachrimas reſoluor, ut & ego fontibus lachrimarum flerem interfectos filios populi mei. Sed non eſt qui ſurgat & teneat Deum, aut opponat ſeſe murum pro domo Iſrael, in hoc die nouiſſimo iræ eius. O dignum regnum Papæ fine & fece ſeculorũ. Deus miſereatur noſtri.

Quare tu uerbi miniſter interim inſta & munito muros & turres Hieruſalem, donec & te inuadant. Vocationem tuam & dona agnoſcis. Ego pro te vnice oro: ſi quid poteſt (ſicut non dubito) oratio mea. Tu ergo mutuum redde: & portemus inuicem onus iſtud. Nos ſoli adhuc ſtamus in acie: te quærent poſt me.

Spalatinus ſcribit edictum tam ſæuum cudi, ut ſub conſcientiæ periculo ſint exploraturi orbem ſuper meis libellis, ut cito interitum ſibi comparent: gaudet Roboam Dreſdenſis, valde anhelus exequi talia: Cæſarem etiam impetitum, ut Regi Daciæ ſcriberet, ne reliquias Lutheranæ Hæreſeos recipiat: & cantant illud, quando morietur & peribit nomen eius?

eius: Hartmannus Cronenbergius renunciauit Cæsari ſtipendium 200. aureum nummum: nolens seruire ei, qui impios iſtos audiat. Fore credo, ut edictum iſtud nuſquam ſæuiat, niſi ſub Roboam iſto, et altero uicino ueſtro: quos gloria uexat inanis. Deus uiuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Dominus percuſſit me in poſteriora graui dolore: tam dura ſunt excrementa, ut multa ui vſq; ad ſudorem extrudere cogar: & quo diutius differo, magis dureſcunt: heri quarto die excreui ſemel: unde nec tota nocte dormiui: nec adhuc pacem habeo. Ora quæſo pro me. Nam intollerabile fiet hoc malum: ſi promoueat ut cœpit.

Cardinalis Salispurgenſis comes iuit Ferdinando ad ſponſam Inſpruckij, vigilia Philippi & Iacobi, id eſt, quarto die receſſus noſtri: dicitur Ferdinando comes is diſplicuiſſe, ſed & Cęſari, ut Spalatinus ſcribit. Sed tu ipſe lege literas eius: fac vt omnia ſcribas, quæ apud uos aguntur: & ut omnia habent: ac vale cum carne tua. Dominica Exaudi. Anno M. D. XXI. in regione auium.

T. Martinus Lutherus.

EPIST. LVTHERI

EXIMIO VIRO DOMINO Iohanni Agricolæ Islebio, amico suo in Christo charissimo.

Eislebij rebus, honeste se cupere, ostendit: captiuitatem suam sibi non probari commemorat: de ministerio uerbi apud Vuittembergenses uult certior fieri: ipsum quoq;, cum sit pars quædam ministrorum, iubet docendis pueris uerbum fideliter propagare.

IHESVS.

227.

SAlutem. Quanquam existimem omnia, quæ ad Philippum & alios dedi, ad te quoq; esse data, mi Iohannes: nisi abcessu meo abcesserit simul communio amicorum, quod auertat Deus: tamen visum est, & mea manu te salutare. Salue igitur, & memor esto verbi huius, non est seruus maior Domino suo. Saluta carnem tuam & costam tuam: Dominus det, ut uteri onus feliciter exponat, Amen.

Ego mirabilis captiuus, qui & uolens & nolens hic sedeo: uolens, quia Dominus ita uult: nolens, quia optem in publico stare pro uerbo: sed dignus nondũ fui. Inuisa Vuittemberga uicinis suis: sed Dominus prospicit, quod tẽpus eius etc. Ibi ridebit eos: modo crediderimus in eum. Scribe ut se contiones habeant, quę cui creditæ sint: ut uel spem, uel metum de uerbo augeam.

Sed

Sed & tu cum in partem uocatus sis docendi uerbi, super pueros: ministerium tuum imple: et ferto, quę ferenda Dominus imponit. Ecce hæc, nonnihil ut scriberem, scripsi. Vale cum omnibus tuis. In regione uolucrum. Dominica Exaudi.

Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

Aureum unum offeres recenter natæ proli: alterum matri puerperę, ut uinum bibat, et lacte abundet. Ego enim præsens fuissem compater omnino.

AD DOMINVM NICOLAVM Amsdorffium, S. Theologiæ Licentiatum.

Literarum tarditatem excusat: de libris & pagellis suis quibus scripserit monstrat: sicut & quo morbo laboret. Ipsum ad constantiam adhortatur, & ut certiorem se faciat, qua fortuna sint usi in itinere: Suos quoq; casus exponit: & ut caueant sibi à uicinis hostibus admonet.

IHESVS.

228.

SAlutem. Scripseram nuper ad uos omnes, mi Amsdorffi: sed cōsule meliore audito discerpsi penitus, quod nōdum esset tutū literas emittere. Nunc de libris

& quaternionibus ſcriptum eſt D. Hieronymo: & his quoq; literis ſcribo Priori ſuper eiſdem. Curabitis curanda. Dominus uiſitat me: ſed ora pro me: quia & ego pro te oro ſemper, vt confortet cor tuum Deus.

Eſto ergo fidens, & oblata occaſione verbum Dei loquere cum fiducia: ſcribe etiam, ut ut in itinere vobis ſucceſſerint omnia: & quid Erffurdiæ audieritis aut videritis. Apud Philippum inuenies, quæ ad me Spalatinus ſcripſit.

Ego die, qua à te auulſus fui, longe itinere nouus eques, feſſus, hora ferme undecima ad manſionem noctis perueni in tenebris. Nunc ſum hic ocioſus, ſicut inter captiuos liber. Cauete vobis à Roboam Dreſdenſi & Benhadat a Damaſceno vobis vicino. Edictum enim ſæuum exiuit contra nos: Dominus autem irridebit eos: in quo vale, & ſaluta ſalutandos omnes. Dominica Exaudi. In regiore aeris.

D. G. a Electore B.

Anno M. D. X X I.

T. Martinus Lutherus.

SVO IN CHRISTO CHARISſimo, Georgio Spalatino, ſeruo Chriſti Aldeburgi fideliſſimo.

Longa

Longa & uaria narratio eorum, quæ sub iter eius, ad comitia Vuormaciensia, acciderunt, apud se, apud aduersarios, Erfurdiæ, Gothæ, Hirsfeldij (cuius loci Abbatis hospitalitatem mire prædicat) Isennaci, deniq; ad arcem Altenstein: ubi captus est, fratre uno itineris comite fuga sibi consulente: per quam captiuitatem etsi in libertatem uendicatus est: mallet tamen inter docendum à Duce Georgio interfici.

IHESVS.

229.

SAlutem. Literas tuas & Gerbellij & Sapidi accepi Dominica Exaudi, mi Spalatine: & quod nondum ad te scripsi, consulto factum est, ne recens fama captiuitatis meæ, causa cuiquam esset intercipiendi literas. Hic uaria de me narrantur: inualescit tamen opinio me esse ab amicis captum è Francia missis. Cras tempus datæ fidei Cæsaris expirat. Quod illos scribis tam rigido edicto sæuituros etiam in conscientias explorandas, doleo, non pro me: sed quod malum in caput suum imprudentes illi accersunt: & tanto odio sese onerare pergunt. O quanta odia suscitabit impudens ista uiolentia: sed sine, tempus uisitationis eorum fortassis instat.

Nihil adhuc è Vuittemberga, aut aliunde à nostris accepi: Erfurdiæ iuuentus nocte sacerdotum aliquot domus læserat (quo tempore nos Isennacum uenimus) indignata, quod Decanus Seuerianus papista magnus,

Tumultus studiosorum Erfurdiensium contra sacrificuos.

magnus, magiſtrum Draconem bonæ opininionis uirum è choro publice apprehenſa ſyndone traxerit: prætexens eſſe excommunicatum, quod mihi Erfurdiam ingredienti ueniſſet obuiam cum cæteris. Interim metuunt maiora: ſenatus diſſimulat: male audiunt ſacerdotes illic, & artificum iuuentus cum iuuentute literata conſpirare dicitur. Prope eſt ut Prouerbio prophetico fortaſſe ſatisfaciant, quo dictum eſt: Erfurdia Praga.

Heri mihi narratum eſt, Gotthæ eſſe male acceptum quendã ſacerdotem, quod res, neſcio quas, emerint pro redditibus Eccleſiæ augendis, & prætexta libertate eccleſiaſtica, onera (quæ uocant) & tributa, pendere recuſarint. Videmus populum amplius neq; poſſe, neq; uelle (ſicut & Eraſmus ſcribit in ſua bule) iugum Papę & papiſtarum ferre: nec tamen ceſſamus urgere & aggrauere iſtum, cum reuelante omnia luce iam & nomen & opinionem amiſerimus: ſpecieſq; illa pietatis amplius non poſſit valere, neq; regnare, ſicut hactenus regnauit. Hactenus omnia & ui auximus, & ui oppreſſimus: ſed an ultra opprimi queant, experiemur.

Sermo de confeßione auriculari. Ego ocioſus hic & crapuloſus ſedeo tota die: Bibliam, Græcam & Hebræam lego. Scribam ſermonẽ vernaculum de cõfeſſionis auricularis libertate: Pſalterium

terium etiam prosequar, & Postillas: ubi è Vuittem-berga accepero, quibus opus habeo, inter quæ & ma-gnificat inchoatum expecto.

Non credas, quanta nos humanitate Abbas Hirs-feldius exceperit: Cancellariũ & quæstorem obuiam misit miliario magno: tum ipse ad castrum suum multis equitibus nos excipiens in oppidum comes fuit: senatus intra portas nos excepit: in monasterio suo nos pauit laute, & in cubili suo me locauit: mane quinta sermonẽ facere cogerunt, frustra me causante, ne forte sua regalia amitteret: si hoc factum Cæsariani cœperint interpretari læsam fidem datam, cum mihi inhiberent, ne in uia prædicarem: ego tamen non consensisse me dicebam, ut uerbum Dei alligaretur: quod & uerum est. Humanitas Abbatis Hirsfeldij erga Lutherum.

Et Isennaci prędicaui, sed timido Parrocho, & Notario testibusq; pręsentib. corã me protestante, humiliter tamẽ excusante necessitatẽ hanc ob metũ tyrannorum suorũ. Ita et Vuormacię forte audies per hęc à me solutã fidem: sed nõ est soluta. In mea enim potestate nõ erat ea conditio, ut verbũ Dei esset alligatum: nec pepigi in eam: et si pepigissem, quia contra Deum fuisset, seruanda non fuisset. Ita deniq; altera die nos ad syluam usque prosequutns est: & Cancellario adiuncto in Bercka nos iterum pauit omnes.

Tandem

Tandem ab Iſennacenſibus peditibus obuijs excepti intrauimus ueſperi Iſennacum, mane ſocijs omnibus cum Hieronymo abeuntibus: ego ad carnem meam trans ſyluam profectus (nam pene regionem occupant) ab illiſꝗ ſoluens, vbi ad Vualterhauſen tendimus, paulo poſt arcem Altenſtein captus ſum: Amſdorffio id neceſſario ſciente, me eſſe alicui capiendum: ſed locum ignorat cuſtodiæ meæ.

Captiuitas Lutheri.

Frater meus equites in tempore uidens à curru ſe ſubtraxit, & inſalutatus Vualterhauſen pedeſtris veſperi ueniſſe dicitur. Ita ſum hic exutus ueſtibus meis, & equeſtribus indutus, comam & barbam nutriens, ut tu me difficile noſſes, cum ipſe me iam dudum non nouerim. Iam in Chriſtiana libertate ago, abſolutus ab omnibus tyranni iſtius legibus: quanquã mallem, ut illi porcus Dreſden: publicę prædicantẽ dignus eſſet interficere: ſi Deo placeret, ut pro uerbo eius paterer: fiat uoluntas Domini. Vale & ora pro me saluta ὅλην τὴν αὔλην ὑμῶν. Datum in monte 1. Feria tertia poſt Exaudi. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

FRAG.

FRAGMENTVM EPISTOlæ D. Mart. Lutheri scriptæ ad Philippum Melanchtonem ex Pathmo Anno M.D. XXI. Repertum in bibliotheca. Georgij Spalatini.

De tumultu Erfurdiæ excitato.

230.

AVdio Erfurdiæ in sacerdotum domus uim fieri: quod miror permitti & dissimulari à senatu, tum taceri à Lango nostro. Nam etsi bonum est incessabiles illos impios coerceri: modus tamen iste Euangelio nostro parit & infamiam & iustam repulsam. Scriberem Lango: sed nondum possum. Vehementer enim me offendit ista gratia hominum in nos.

Ex qua liquido uidemus nondum esse nos dignos coram Deo uerbi sui ministros: & Satanam in nostra studia ludere & ridere. O quam metuo ne ficus illa sit parabolica: quæ ante diem iudicij prædicitur Matthei 21. producere tantum, nec ad fructum peruenire: ueritas est quidem: folia & uerba tamen sunt, dum non ita facimus sicut docemus.

PHILIPPO MELANTHONI, Theologo, Ecclesiæ Vuittembergensis Doctori, in Christo fratri charissimo.

De suis rebus, quid aduersarijs, quid Ecclesiæ uel iam absolutum mittat, uel institutum paret, qua sit cōditione, qua spe reditus, deniq; qua cura pro ministerio uerbi: de amicorum, ut eorum aduersis & secundis adficiatur, ut libellos desideret, ut poematis & studiorum successu delectetur, subinde admonens, ut læti, fortes, & uocationis suæ memores sint, nec de Pastoris absentia querantur: de aduersariorum quorundam silentio, uasibus, & in uniuersum omnium periculis.

IHESVS.

231.

SAlutem. Quid his literis iamdudum signatis scripserim, oblitus sum, mi Philippe: tamen ad tuas istas respondere denuo volui. Ad Iacobum Latomum inuitus respondeo, quod iam animum composuerim quietis studijs: & uideo tamen necessarium, vt ego ipse respondeam: accedit tædium legendi eius tam prolixi & male scripti. Statueram enarrationes Epistolarum & Euangeliorum uernacula donare: sed vos non misistis postillas istic excusas.

Psal. 68. Exurgat Deus & dißipentur.

Mitto Psalmum istis ferijs cantatum: quem si voletis, & ociosi fuerint typi, imprimere, inscriptum cui

cui volueritis, potestis: hunc enim præ otio carens libris laboraui: sin aliter visum, communicare amicis & Christanno Aurifabro legendum, aut Amsdorffio dabis.

Faueo D. Lupino felicem ex ista vita egressum: in qua vtinam & nos non viueremus. Tanta est ira Dei: quam quotidie magis ac magis speculor ociosus, vt dubitem, an præter infantes aliquem seruet adultum à Satanę isto regno. Adeo nos dereliquit Deus noster. Commouit me tamen eius decessus non parum, videns illud Isaiæ: Iustus perit, & non est qui cogitet: & viri misericordiæ tolluntur, & nemo considerat.

Vellem scire quis ille Franciscus Faber Silesius sit, heroicum caput. Nam ludus in Emseranum caprum satis indicat autores suos primarios. Passionale antitheton mire placet: Iohan: Schuuerfeger: in ea opera video tibi succenturiatū. Sermonem de confessione anteuertit Oecolampadius noster, edito libro de confessionis facilitate, satis libero: futurus & ipse Antichristo & suis militibus noua vexatio. Quem, nisi sperassem à Spalatino ad vos missum vel mittendū, vna cum epistolis Hutteni adiunctum ad pileos istos & Galeritas vpupas Vuormaciæ scriptis, misissem ipse: tamē & ipse aliquid addam, si possum in eandem vernacule.

Cameracen: nouus maritus mihi mirabilis, qui nihil metuat, atq; adeo sic festinarit in tumultu isto: regat eum Dominus & misceat ei oblectamenta lactucis suis: quod & sine precibus meis fiet. Displicet mihi, tuam methodum, quatenus excusa est, non una uenisse. Opto scire quis regnet suggestum meum: an Amsdorffius adhuc stertat & ocietur. Dominus seruet & augeat id, quod scribis de literariæ rei felicitate, Amen.

Præpositus Cameracensis primus maritus ex sacerdotibus.

De me plane nolo uos quicquam esse solicitos: si personam spectes: omnia bene habent: nisi quod animi molestia nondum cessit: & prior Spiritus ac fidei infirmitas perseuerat ἡ δὲ ἀναχώρεσις μοῦ prorsus nihil: & qui in tractando uerbo nunquam mea uoluntate uersatus sum, ita cum magna cordis pace exclusus sum. Atq; hæc ita habent, quod ad me pertinet.

Cæterum pro uerbi gloria, & aliorum, & mea mutua cōfirmatione malle me inter carbones uiuos ardere: quam solus semiuiuus, atq; vtinam non mortuus, putere. Verum quis scit, & an eo cōsilio plus promouere uelit Christus, non in hac tantum, sed in omnibus causis? Toties de fide & spe rerum non apparentium locuti sumus: age semel uel in modico eius doctrinæ periculum faciamus: quando id uocante Deo non nobis tentantibus ita contingit. Ego etiam si peream:

eam:nihil peribit Euangelio:in quo tu nunc me superas, & succedis Helisæus Heliam duplo spiritu: quem tibi Dominus Ihesus impartiat clementer, Amen.

Proinde uide ne contristemini:sed canticum Domini in nocte mandatū canite: concinam & ego: tantū pro uerbo soliciti simus. Qui ignorat, ignoret: qui perit pereat, dum nostrum officium illis non defuisse queri possint. Sinite Lipsenses gloriari: quia hæc est hora eorum: nos exire oportet de terra nostra, de cognatione nostra, de domo Patris nostri, & mutuo ad tempus separari in terram, quam ignoramus: interim illi suum N. N. adorent & iactent. Iacobo Flemmichen satis est te videre, & uis ne nemio felix sit, omnia quæ uellet uidens.

Non deposui spem ad uos redeundi: sic tamen vt faciat Deus, quod bonum est in oculis suis. Si Papa omnes aggredietur qui, mecum sentiunt: sine tumultu non erit Germania: & quo citius id tentauerit: hoc citius & ipse & sui peribunt, et ego reuertar. Deus suscitat spiritus multorum atq; adeo & vulgi corda, ut mihi uerisimile non sit, posse rem istam ui cōpesci: aut si compesci ceperit, decuplo maior erit. Habet Germania multos Karsthansen.

Murner tacet: quid Caper ille facturus sit nescio, fortassis secundus Ortuuinus futurus. Vnum non

credo tibi, nempe quod ſcribis uos errare ſine paſto-re. Hoc enim eſſet omnium triſtiſſimum & acerbiſſi-mum auditu. Donec enim tu, Amſdorffius, & alij ad-eſtis: ſine paſtore non eſtis. Noli ſic loqui ne Deus iraſcatur & ingrati inueniamur. O vtinam omnes ec-cleſiæ ſaltem collegitatæ haberent quartam ueſtri partem in uerbo uerbiq; miniſtris. Agite gratias Do-mino, qui illuminauit vos. Ecce verboſus fui.

Fertur Galerita Moguntinus hoſtes in ſe iuratos habere 1800: & D. Schifer febri graui laborare: alij mortuum dicunt. Cecidit Epiſcopus quidam, hoc eſt, perijt Vuormaciæ, inſigniter Luthero infenſus. Plura non habeo, cum ſim eremita, anachorita, uereq; mo-nachus: ſed neq; raſura neque veſte: equitem uideres, ac ipſe vix agnoſceres.

Dic Amſdorffio etiam paſtorem Hirsfeldenſem optimum virum, fama uolante, duxiſſe vxorem: ne vos ſoli habeatis præpoſitum veſtrum neogamum: Deinde, vt ferat, illum ſibi eſſe in Petri Lupini locum prærogatum. O filij Adam. Sed bene quod integer & liber eius ſpiritus cauſa ei eſt tanti damni: illi contra alius ſpiritus tanti lucri cauſa. Occulta ſunt noſtra me-rita: ſed diſtributa. Premia tandem manifeſtant conſi-lia cordium. Pro præpoſito Cameracen: metuo ne ex-pellatur: atq; tum duplo egeat ventre, & quotquot

inde

inde ventres processerint; sed fidem si habet. Dominus viuit pastor omnium, per quem nec ales esurit.

Tu eum salutabis & hortaberis: & te quoque volo cum omnibus gaudere & gloriari: in qua re mihi non dicam quam gratificemini, ac Deo quoque placebitis: Satanam & Satanæ squamas vretis. Tristitia vestra mihi malum maximum: gaudium vestrum & meum est. Atque ita in Domino valete: cui me commendate, vt confido: & ego quantum possum vestri non sum immemor. Seruate Ecclesiam Domini in quo vos posuit spiritus sanctus Episcopos, non Episcoporum simulachra.

Omnes ex nomine meo salutabis: estis enim multi: M. Eisleben non salutabis, nec das fette Flemmichen: Illis enim scribo: Iohan Schuuertfeger, Petrum Suauen, & totam Ecclesiam tuam domescicam, Henricum Zuphaniensem, & omnes Fratres: Priori scripsi: M. Lucam & Christannum D. Esschausen & quotquot occurrint. En tibi Papyrium pro necessitate pudendum. Iterum vale. Inter volucres de ramis suaue cantantes, Deumque totis viribus laudantes die ac noctu. Dominica Trinitatis.

Anno M. D. X X I.

μαςτίνοσ ὁ σοσ.

AD

EPIST. LVTHERI
AD GEORGIVM SPALAtinum Christi seruum, & à sacris Principis electoris Saxoniæ.

Et literas & opuscula quædam, tum sua, tum aliorum mittit: Emserum in se insultare dicit: Hutteni consilia improbat: ad Principem scribit: Cæsaris de se uocando sententiam mutatam dolet: uocatum se ait ad congressum & colloquium Marchionis: argentum legatum, sibi redditum: iuniorem Principem ad se literas dedisse: anne postillas Principi dicare debeat, quærit.

IHESVS.

232.

SAlutem. Mitto Hutteni literas ad me datas, cum Bulla alijsq; eiusdem opusculis, mi Spalatine, & omnia quæ uides, literas quoq; Buceri, quarum unæ mihi redditæ sunt læsæ, ut cernis, forte attritu quodã nunciorum. Assertio mea latina ad te missa prius aliquot quaternionibus, nunc tota uenit cum supplemento: tu ne iudices eam asperam: vernacula erit planior & simplicior. Necesse fuit latinis stomachis aliquid interspargere salsamenti. Emser in me surrexit: Dominus consiliarius mihi esto.

Quid Huttenus petat, uides. Nollem ui & cæde pro Euangelio certari: ita scripsi ad hominem. Verbo uictus est mundus, uerbo seruata est ecclesia: etiam uerbo reparabitur: sed & Antichristus, ut sine manu cepit,

cepit, ita sine manu conteretur per verbum. Mitto etiam epistolam meam ad Principem. Cum dolore legi nouissimas Caroli literas reuocatorias prioris instituti: quid quæso illic spei esse potest, quum sic & sapiant & scribant? fiat volutas Domini.

Fui hodie visus Marchioni Brandenburgensi, & socijs principibus, vocatus & collocutus: videre enim hominem voluerunt. Centenariũ aureorum mihi delegatum accepi per Taubenheimum: sed & Schartus 50. dedit, vt ego metuere incipiam, ne Deus hic præmiet: sed protestatus sum, me nolle sic satiari ab eo: aut statim reddam & profundam. Quid enim mihi & tantæ pecuniæ? P. Priori dedi medium: & hominem lætum feci.

Princeps iunior secundo ad me scripsit gratiose, indicans patrui sui Principis nostri Electoris responsum super mea causa. Enarrationes epistolarũ & euangeliorum typis datæ sunt: has sub nostri Principis nomine exire iubebo: nisi tu aliud consulueris. Nam tres sexterniones excusi sunt, primo adhuc dilato.

Doctor Henningus præpositus decumbit, desperata resurgendi virtute: item Tilo denen patitur: Dominus consulat eis. Alia non sunt nisi solita. Vale, Vuittembergæ. Die S. Marcelli Papæ, Martyris. Anno M.D.XXI. Martinus Luth. Aug:

EPISTO. LVTHERI AD GEORGIVM SPALA- tinum, Vuormaciæ, à secretis Principis Electoris Friderici.

Libellos quosdam excudendos tradit: postillas desiderat: de Latomo, de Oecolampadio, de suis occupationibus, & ualetudine, de obitu Schiferi, & cur ad recentiores iunioris Principis literas non responderit.

IHESVS.

233.

SAlutem. Et literas tuas nouissimas, & libellum Oecolampadij antea accepi, cnm omnibus alijs, mi Spalatine: & nunc, quia per te commodissime fieri putatur, mitto quæ uides, Magnificat completum, & libellum ex sermone natum de confessione, Francisco Siccingen inscriptum, excudendum, si uideatur, quam primum. Nam Psalmum 21. antea misi completum ad typos suos.

Tu ergo curabis illo ferri & ista: nisi quicquam videatur mutandum. Nam Psalm. 19. ipse nondum constitui, an copulatum malim, an separatim proprium libellum: reliquum missurus, vbi resciero, quid per uos illic consulatur. Nam nunc in manibus laboratum, nondum elaboratum, nuncius relinquere coactus est.

Postillas nondum accepi: erratum est per illum, cui com-

cui commiseram: scripsi interim, quod si inuenire non poterunt: tu curabis vt exemplar breuioris postillæ habeam, si habes vna cum indice epistolarum & euangeliorũ. Ego interim epistolam meam vernacula absolui Dominicę natiuitatis copiosiore enarratione. Latomo etiam respondendum est à me: qui gloriatur in Domino Papa. Miror autem Oecolampadij spiritum, non tam, quod in idem mecum inciderit argumentum: quam quod tam liber, confidens & Christianus est: Dominus eum seruet & augeat, Amen.

Ego hic otiosissimus & negotiosissimus sum: hebraica & græca disco: & sine intermissione scribo. Tractat me vir loci huius ultra meritum longe. Nondum me deseruit malum: quin auctum est, quo Vuormaciæ laborabam: durissima patior excrementa, vt nunquam in vita, vt remedium desperarim. Dominus ita me visitat, ne sim sine crucis reliquijs, benedictus, Amen.

Miror quid moretur imperiale edictum: excusas legi meas literas ad ordines imperij datas in recessu meo, sed mendosas. Hic dicitur D. Schiferum obijsse, relictis Carolo 100 0000. aureorũ. Audacem Christum, qui hos montes auri nihil vereatur: sed vtinam cognoscant aliquando: quoniam ipse Dominus Deus noster.

Iuniori Principi nouissimis literis non respondi, quod non patebat locus: nec puto necessarium: ne multiplicatis literis & loci secretum prodatur occasione quapiam. Tu fac vt pro me ores: hac vna re opus mihi est, cæteris omnibus abundatis. Quicquid de me fit in publico nihil moror: ego in quiete tandem sedeo. Vale in Domino, & saluta quos licet. Ex insula Pathmos 10. Iunij.
Anno M. D. X X I.

Henricus nescius.

D. PHILPPO MELANTHONI, seruo Christi fideli, Vuittembergensis Ecclesiæ Euangelistæ.

Quid in Philippi literis desideret: & obiter de ualetudine sua: item quæ scribenda susceperit: ad hæc quid sentiat de potestatis ciuilis institutione, ostendit. Cuius quæstionis summa est, præcepto uel consilio diuino esse eam institutam, scriptura probari non posse: attamen non prohibitam, sed & approbatam & commendatam. Deinde reprehendit desiderium sui: & quod edicto aulico deterriti desputationes de confessione non absoluissent.

IHESVS.

234.

DIsplicuerunt mihi literæ tuę duplici nomine: primum quod impatientius te ferre crucem intelligo, ni-

go, ni-

go, nimiumque indulges affectibus, ac teneres tuo more: deinde quod me extollis nimis, & erras vehementer, dum tanta mihi tribuis, quasi pro causa Dei adeo sim solicitus. Confundit ac discrutiat me tua egregia ista suspitio mei: cum ego hic insensatus & induratus sedeam in otio, proh dolor parum orans, nihil gemens pro Ecclesia Dei: quin carnis meæ indomitæ vror magnis ignibus: summa, qui feruere spiritu debeo, ferueo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia: ac nescio, an, quia vos non oratis pro me, Deus à me auersus sit: tu iam in locum meum succedis, donis Dei grauior & gratior.

Octo iam dies sunt quod nihil scribo, neque oro, neque studeo, partim tentationibus carnis, partim alia molestia vexatus. Si res melior non erit: omnino Erfurdiam ingrediar publico titulo: ibi me uidebis, vel ego te: medicos enim uel chirurgos consulam. Non est enim quod feram amplius id mali, cum decem vulnera magna facilius ferre possem, quam modicum hoc læsionis iudicium. Forte & ideo me molestat Dominus, ut ex ista eremo me in publicum rapiat. E MSER'O ego non respondebo: respondeat qui visus fuerit tibi idoneus, vel Amsdorffius: nisi is dignior sit, quam ut cum hoc stercore committatur.

Tuam in asinos Parrhisienses Apologiam, cum

illorum insania statui vernacule dare adiectis annotationibus. Valde uellem Oecolampadij de confessione librum apud uos itidem vernaculum fieri: ut rumpantur papistæ.

Ego postillas in euangelia vernacula tracto: statim missurus ad incudem, ubi denarium attigero. Quando sic florent res uestræ: me plane non habetis opus. Atq; tibi quoque indignor, quod tantis te laboribus oneras, nec audis ut parcas tibi: ideo te sensus tuus ducit singulariter. Toties hoc inclamo: sed toties surdo fabulam narro.

De gladij iure sic sentio, ut prius: nam tu mihi uideris petere, aut mandatum, aut concilium ex Euangelio super hac re: in quo tecum plane sentio, neque præceptum neq; consilium esse eiusmodi ius in Euangelio: neq; conueniebat ullo modo: cum Euangelium sit lex uoluntariorum & liberorum, quibus nihil cum gladio aut gladij iure.

Sed nec prohibitum est eius ius, imo confirmatum & commendatum: quod prorsus de nulla permissarum rerum legimus. Nam & iniuria & externe ceremoniæ neque præceptæ neque consultæ sunt in Euangelio, sed neque ulla temporalium rerum cura: atque non conueniebat de ijs disponere Euangelio,

gelio, quod solum spiritum in sua libertate disponit: sed nunquid ideo ius non est utendi illis: imo nonne necessitas huius vitæ requirit eiusmodi ius & vsum.

Tua ratio pulchre faceret aliquid: si omnes obedirent Euangelio. Ablato enim gladio (cum necesse sit malos plures esse) quam diu stabit Ecclesia Dei in hoc seculo: cum nullus neque uitæ, necq; rerũ usu, præ malorum licentia, potiri queat: sed tu rationibus & inconuenientijs non uis urgeri, sed scripturis. Dixi antea neque præceptum neque consultum esse gladium, sicut necq; multa alia; esse tamen commendatum & confirmatum: sicut ius matrimonij, quod itidem nihil ad Euangelium pertinet.

Habes enim Iohannem Baptistam Lucæ 3. qui milites instituit dicens: neminem concutiatis, necq; calumniam faciatis: sed estote contenti stipendijs uestris. Certe nisi ius gladij haberent: prohibere debuit: cum illi quæstionem tuam proprie mouerent, dicentes, quid facere & nos debemus. Hic institutam nõ habes: confirmatam tamen habes militiam. Nonne cogitas, multo difficilius esse tibi quid respondeas satis, hunc locum cõtra te adducentibus, quam quid tibi respondeatur. Paulus 1. Timoth. 2. iubet orare pro his,

pro his, qui in sublimitate constituti sunt, exemplo Ieremiæ pro rege Babyloniorum orare iubentis: & non iubet orare contra sublimitates tanquam rem uel prohibitam, uel nullius iuris existentem.

At illi Ethnici erant, inquis: sed non orabat vt fideles fierent, sed vt essent & subsisterent in pace. Non mihi persuadebis posse orationem iuberi ab Apostolis & Prophetis, pro ijs rebus, quæ tantum permissæ & ferendæ sunt, vt subsistant & quieta sint: alioqui pro raptoribus, & ut tu interpretaris, tyrannis iniquis, ut iniqui sint, orabimus.

Iam Apostolum ad Roma: 13. & 1. Petri 3. non sic à te reijci patior, quasi huc non ualeant, aut tantum subditos erudiant. Non hoc efficies Philippe. Verba Dei sunt & magnum sonantia, ubi dicit: Potestas à Deo est: et ordinationi Dei resistit, potestati resistens: Et minister Dei est. Non inuenies hoc dici de rebus permissis tantum.

Non est minister Dei, sed hostis: qui iniuriam facit, aut quæcunque ferenda infert: nec est permissio uel res permissa, minister Dei. Aliud longe est, quod aliquoties scribitur, gentem super gentem excitasse bellum, ut regem Babyloniæ contra Tirum in Ezechiele seruum uocans, & spiritum regum Medorum in Ieremia suscitans: & aliud, quod potestas pro pace ordinari

ordinari dicitur, ad Roma: 13. & 1. Timo. 2. Nam hic timori mali operis, honori boni operis constitutam dicit: illic uindicta, & iam facti mali operis ratio habetur.

Iam quid facias, cum Abraham, Dauid, & sanctos, antiquis legibus & gladio usos optime uides? quos uiros euangelicos fuisse certum est: licet pro tempore tantum uterentur. Certe usum rei, qua illi usi sunt laudabiliter, non est pium ab euangelicis uiris negari, ut est ius gladij: præsertim cum in Euangelio, neque sit reuocatum neque prohibitum, sed ut dixi confirmatum, utique in his, qui fideles erāt, militibus Iohannem interrogantibus.

Cum ergo Christus in Euangelio res diuinas & cœlestes instituere debuerit, quid mirum si gladium non instituerit, qui ab humanis creaturis facile ordinari potest: & interim sic eum tractet, ut, nisi Euangelio repugnaret eum à se institui, uellet instituere, dum commendat & confirmat institutum.

Petrus & Iudas etiam potestates & dominationes sperni & maledici ab Antichristo quoque indignantur. At nunquid permissa licentiosa aut iniqua non licet spernere? Honorem & reuerentiam eis uult fieri: sed nunquid idem uult permissis & iniquis?

His locis scripturæ captus, non habeo, quod mihi

respondeam Philippe: & multo minus mihi satisfacies in hanc partem, quam ego in tuam. Tu nullum locum habes, qui uel damnet uel prohibeat, vel ullo modo fugere doceat potestatem: ego tot modis confirmatam, commendatam, honorandam, oratione Deo commendandam habeo: nisi quod ab Euangelio neque imperata, neq; consulta sit: quod nec matrimonium, nec domus, nec disciplina domus aut ciuitatis, aut ulla rerũ corporaliũ administratio & cura.

Tu si quid aliter reuelatum habes, ostende: sed sic ostende, ut prohibitam, fugiendam, aut solum permissam asseras. Christus enim Pilato datam desuper potestatem dixit: Deum autem dare non in malum hoc loco sonare puto. De his satis.

Gratulor Amsdorffio substantia aucto, sed magis feliciter profitenti Apostolũ. Iam saturi estis: sine me regnatis: nec uideo cur me tantopere desideretis: aut quæ necessitas meę operę uobis sit: tu tibi ipsi accersere videris cogitationes, cum felicius habeãt res uestrę, me absente, quam præsente: tu legis, Amsdorffius legit, Ionas legit. Obsecro solis vobis vultis annunciari regnum Dei? nonne & alijs oportet euangelisari? Nõ dabit uestra Antiochia vel Silam uel Paulum, vel Barnabam, in opus aliquod spiritus?

Dico tibi, quanquam libentissime, apud uos sim: tamen

tamē nihil grauarer (quando vos iam abundatis) vel Erffurdiæ, vel Coloniæ, vel alibi, vbi Dominus vellet me ostio verbi dignari. Quam multa quæso messis vbiq;, & nulli operarij: uos autem estis omnes operarij. Ratio certe non nostri, sed fratrum nostrorū vbiq; dispersorum habenda est: ne forte nobis viuamus, id est, diabolo, & non Christo.

Quare vide ne nimio carnem inuicem sapiamus: & magis præsentiam carnis quam spiritus sapiamus. Ego paratus sum ire quo Dominus volet, siue ad vos, siue alio. De reditu meo nihil scio prorsus: scis in cuius manu situm sit.

Scribit mihi Spalatinus, non esse disputatam partem conclusionū de confessione, mandato Principis: q mihi displicet miro modo. Obsecro deinceps semper preuenite inuenta, cōsilia aulę non sequimini: sicut ego hactenus feci: dimidio nō factum esset: si in illius cōsilio pepēdissem. Sunt etiā ibi homines, sicut et nos.

Expostulabo de hoc cum Spalatino. Hæc inflant fidutiam aduersarijs nostris: & timidos nos arguunt. Vale: literas has iamdudum scriptas, ferre quidam promisit: sed fefellit. Orate pro me quæso vos. Peccatis enim immergor in hac solitudine. Ex Eremo mea, die Margarethæ. Anno M. D. X X I.

Martinus Lutherus August:

EPIST. LVTHERI AD NICOLAVM Amſdorffium.

Amſdorffio gratulatur rem familiarem ex ſacerdotio ampliorem factam: rumores de loco, ubi lateat, contemnendos cenſet: qui congreſſurus ſit cum Emſero, cum conſilijs & armis inſtruit; optat inter hebræa diſcentes, & Philippi auditores in theologia eſſe.

IHESVS.

235.

GRatulor te auctum re familiari per ſacerdotium iſtud Schmollenſe, mi Licentiate, & proficiat uobis. Quod uero ſcriba ille famam fecerit, me eſſe in Vuartperg, permitte. Neque enim, vbi ſim, Principes ipſi ſciunt: quanto minus ſcriba ille. Cæterum Erffurdiæ ero propediem, & forte antequam hæ ad te literæ peruenerint, morbi huius gratia: illic publice agam; ſi ſaltem me ferre volent ad tempus.

Philippus ſcripſit, te reſponſurum EMSERO, ſi mihi videretur: ſed metuo, ne indignus ſit te reſponſore: rurſum cum ſit Satana plenus, metuo, ne rideat & cauilletur, ſi quiſquam è iuuenibus ei reſpondeat. Nam ſpiritus, qui in ipſo fuerit, aliud non facit, quam vt captet verba, quę cauilletur, re ipſa neglecta. Quid quid fiat: ſi reſpondebitis ei, hoc cauete, ut cum ipſo nequiſſimo quodam ſpiritu, non cum homine vos lo

qui

qui sciatis. Ipse enim, quid loquatur, nihil intelligit: sed spiritus, qui longo inuidiæ morbo eum in furorem uertit, & solum, ut irritet & cauilletur, loquitur: omnia loquitur.

Proinde simplicissime oportet in eum scribi: & præoccupationibus omnia munire: ne verba vel ansam captet S. vt si non ipse (quod desperandum est) sed tamen quilibet, quantumuis rudis intelligat, eum ad rem nihil dixisse, dum sacerdotes esse probat per inducta Patrum, cum ego scripturas protulissem & postulassem, frustra scilicet eum garrire. Tritt erfür du Heiliger etc. Nam ego in meo libello affirmaui, patribus dici sacerdotes hoc genus hominum quod ipse frustra conatur ostendere. *

Ideo Petri, Item Apocalyp: 5. & 20. cum præcedentibus & circunstantijs. De sunt

& agitandum, insultandumque quædam

Diabolo, vt vnum locum Scripturæ proferat, in quo uerba. appellari eos sacerdotes probetur: ut & antea insultaui in eodem libro: deinde irridendum, quod sacerdotes probari uult per illud, uos estis sal terræ: quasi sal & sacerdos idem sit, quod pueri in scholis nouerunt, qui uocabularium, Ex quo, legunt. Deinde ut eludatur Patrum autoritas clare per Apostolum omnia probat: item per August: dist 9. C noli. Item, Per

illud Hieronymi super Matthæi 23: quod de scripturis autoritatem non habet:eadem facilitate contemnitur,qua probatur.Sed quod Patribus non est credendum vltra,quam sibi credi voluerunt,id est,scripturis solis ab ipsis adductis.

Ideo spiritum istum stultum nondum intelligere argumentum libri sui:cum non, quid Patres dixerint, sed, cur dixerint, disputetur: vt intelligat lector, aliud esse dicere, aliud credere: & nos disputare non de dicere, sed de credere dictis Patrum: adeo longe os istud blasphemum abesse à scopo suo proprio.

Cætera uos videritis: modo nihil dubitetis,spiritum malum ex ipso loqui, tanquam vase suo proprie obsesso: qui solum id agat, vt à proposito discedat,& multis libris multiplicet suas blasphemias.Plane malus spiritus est:sed hoc vnum deest suæ malitiæ, quod stolidum,stupidum & indoctum vas obsidet & occupat: quanquam & ipse, quantumuis nequam, suo furenti impetu satis declaret,quam sit circumscriptus scripturis,& nihil habeat,quod possit pro regno suo in Papensibus digne producere. Idque dolet Satanæ isti.

Quod dico, vt animo contemptore & pacato in eum scribatis, nec irritari vos sinatis, quasi in hominem.

minem. Hoc enim contemptu (sic tamen, vt irrisionibus eum prouocetis & stultitiæ arguatis) incredebiliter irritabitis & cruciabitis superbiam superbissimi Spiritus, vt multo plures sit euomiturus blasphemias, & seipsum proditurus.

Ego, si prius sciuissem eum esse obessum dæmonio, egregie dæmonium exagitassem: quanquam & sic satis exagitaui imprudens: sed vbi latine scripserit, vt promittit, faciam, quod nondum feci. Visus erat Petrus Suauenius idoneus: sed, quia antea, tractatus est à Lipsensibus, non videtur diabolo danda veteris furoris occasio in eum. Quia omnino exemplum hoc cauillator dæmon in eum resuscitaret.

Benedictus Deus, qui nobis eam non solum dedit colluctationem aduersus spiritualia nequitiæ, insuper reuelauit nobis, non esse carnem, aut sanguinem, à quibus oppugnamur in ista causa. Quare fidite & gaudete: ille, qui eiecit Principem huius mundi foras, non timet eiectum, quem contempsit eijciendum: ipse regnat, & regnet in nobis peccatoribus & stultis suis: dum Sathan furit in sapientibus & iustis suis.

Opto esse, vnus in Hebræis discipulus, sed & Philippi in Collossensibus. Gratia Christo, qui inenarrabili dono verbi sui sic nos locupletauit.

Ego

Ego ſic gaudeo de ueſtra abundantia, ut mitiſſime feram abſentiam mei. Video enim me non eſſe opus uobis: ſed uos eſſe opus mihi. Vale & pro me ora. De Gunthero Stupitio auditus uenit ad nos non placens & triſtis: ſed ſpero inanem eſſe. Auertat Dominus id mali à domo iſta, Amen. Ex Eremo mea. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

AD GEORGIVM Spalatinum.

Reſpondet ſe pharmacis datis uſum eſſe: Vuittembergenſium res & acta probari: at diſputationem prohibitam diſplicere: captiuitatis ſuæ locum indicio cuiuſdam ſcribæ patefactum: ſe Erfurdiam, niſi morbus remiſerit, excurſurum: Cæſari merito bellum impendere: Philippi Apologiam aduerſus Louanienſes, mire placere: in Latomum, præter id quod ſub incude ſit, non eſſe quod ſcribat.

IHESVS.

236.

SAlutem. Accepi tandem omnia, mi Spalatine: & medicinam pillularem tentaui iuxta præſcriptũ: & mox quidem laxato uentre excreui ſine ſanguine & uiolentia: ſed nondum bene habet læſa & ſaucia caro ex priſtinis diruptionibus, imo nihil minus do-

lorum

lorum passus sum, quod podicem extruderet vel vehementia pillularum, uel nescio quis casus: expecto adhuc semel omnia.

Placent quæ è Vuittemberga scribis: & gratia Christo, qui pro me alios suscitauit, ut iam nihil me opus habere intelligam: nisi quod Philippus nimio indulgens affectibus, crucem impatientius fert, quam deceat uel discipulum, nedum tantum tantorum magistrum. Tu uide, ut eius curam habeas: ne Princeps illustrissimus eum in re familiari sinat pati penuriam. Displicet mihi inhibitam de Confessione disputationem. Erat enim hoc in papistarum ferociam vtile exemplum, vt scirent quid pauoris per meam absentiam Vuittembergenses incussissent, qui sine me talia auderent.

Scribit Amsdorffius, quendam scribam ducis Iohannis, scripsisse ad Torgensem mulierem, me esse in arce Vuartberg: hinc natum eum rumorem, imo auctum vbiq;. Persuadebit hic rumor, quod ex aula venerit, siue ille vere scierit, siue diuinarit, ut frustra celauerimus hanc rem tanta felicitate. Sic Satan insidiatus rem prodit.

Sed et ex hospite meo intelligo, nimis cõstãter id asseri ubiq;, ut iã celari res nõ possit ãplius: etsi nos adhuc fortiter celamus, indignantes nostrã fidẽ, felicẽ operã,

leuiter frustrari. Cæterum corpore bene ualeo, & animo satis alacris sum: ut frustra sibi Philippus de me somnia fingat. Si morbus non remiserit: Erfurdiam medicis usurus petam.

Carolum impeti bellis, nihil mirum: nihilque unquam habebit prosperum: & cogetur alienæ impietatis pœnam soluere, infelix iuuenis: quod ueritatem Vuormatiæ malis consultoribus in faciem sic repudiarit: & Germaniam inuoluet calamitas sua quoque, quod impietati consensit: Dominus autem suos agnoscet.

Vidi Parrhisiensium Sophistarum Decretum cum Philippi Apologia: & ex corde gaudeo. Non enim sic eos excæcaret Christus, nisi consulere rebus statuisset: & finem tyrannidi illorum facere inciperet. In Latomum nisi antea sub incudem, nihil habeo aliud, quod scribam, eremita tandem uerus. Ideo uale.

In die diuisionis Apostolorum.

Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus August:

DOMINO

DOMINO GEORIO SPALAtino, Christi Discipulo, suo in Domino charissimo.

Erfurdia se peste excludi dicit: neq; referre putat, si ingressus, ad tempus ibi commoretur: spem de Decretalibus factam uult esse ratam: Scholæ institutionem reijcit ad Vuittembergenses: ius pontificium abrogandum censet: nondum integra ualetudine se esse queritur: postillas missas uult Vuittembergæ excudi.

IHESVS.

237.

SAlutem. Ne Erfurdiam concedam, interim pestis interuenit, mi Spalatine. Neq; uideo quid periculi sit, si occasio esset, illic me morari ad tempus. Neque enim ideo Vuittembergam desererem: imo, si alibi etiam docerem, cum ubiq; sit Christus, idem foret ac si Vuittembergæ docerem: quanquam non ambio neq; cathedram neq; suggestum: nec uspiam concedam eo nomine nisi fortiter uocatus. Scio nõ esse doctorem ex Deo, qui sua sponte uenit: hactenus fugi docendi munus: nemo speret me alium sensum habiturum: semper fugiam. Si enim ambiuissem, non in hanc solitudinem consensissem unquam.

Ionas scribit spem bonam de decretalibus papisticis: tu uide, ut perficere spiritus possit, tua opera usus. Sed supra uires meas est, quod petis, ut gymna-

ſij Chriſtiani formam vnus præſcribam: multorum conſilia & iudicia poſtulat hæc res: habes Vuittembergæ abunde, qui poſſint id præſtare.

Optimum foret vt uniuerſum ius Pontificium prorſus excluderetur: tum Principes aliquando animo accepto, iuriſdictionem & cenſuras iſtas penitus antiquarent in ſuis terris. Audendum enim eſt, ſi quid magnum & ſalutare paramus. Nam niſi iuriſdictio iſta ſacrilega abrogetur & iaceat, ius pontificij ueneni quis excludet? Meus hic hoſpes optime cœpit, cenſuras prohibens: ſi Principes nomine ſuo id nollent, diſſimularent tamen id fieri per ſuos præſides & iudices: ut ſic paulatim irreperet in orbem: ne quis ſecundum iura Papæ poſſit vexari: ſed ſecundum mores & ritus regionum omnia componerentur.

Valetudo mea habet, vt leuius egeram, uiolentis & potentibus vexata remedijs: ſed natura digeſtionis nihil mutatur, & ſaucedo perſeuerat: quam ſuſpicor proceſſuram in maius malum, percutiente me Domino, ſecundum ueritatem ſuam.

Quæ hic mitto reliqua poſtillæ, curabis præcedentibus adiungi, & Vuittembergæ excudi præ omnibus. Nam feſtinabo ut denarium euangeliorum abſolutum emittamus pro uno libro: quatuor Dominicas transferam, & reliqua adijciam: quod facio ne liber

ber nimio magnus terreat legentes & ementes: simul ut interim habeatur, quod discatur, in Christo vale, & ora pro me. Ex Eremo Vigilia Petri Vinculati. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

FRAGMENTVM EPISTOlæ, D. Mart. Lutheri, Ad Philippum Melanthonem ex Pathmo scriptæ, Anno M. D. XXI. repertum in Bibliotheca Georgij Spalatini.

Pauca quædam de confeßione: reliqua sunt de uotis & cælibatu: de utraq; sacramenti specie: deniq; de gratia & peccato.

IHESVS.

238.

Nemlich/das jr nur die Sünde wissen müst/vnd lösen künd / die euch gebeicht werden/ Welche aber euch nicht gebeicht werdē/ müst jr nicht wissen noch lösen/das ist zu hoch gefaren lieben Herrn.

Nondum persuadetis idem esse de sacerdotum et monachorum uoto statuendum. Me enim eheumenter mouet, quod sacerdotum ordo à Deo institutus est liber: non autem Monachorū: qui sua sponte statum elegerunt & Deo obtulerunt: quanquam eos, qui ante

annos pubertatis, uel intra sunt, & has fauces ingressi, sine scrupulo exire posse pene definiamn: nisi quod me adhuc remoratur, sententia de ijs, qui iam senuerunt, & diu in hoc statu morati sunt.

Cæterum cum de sacerdotibus, Paulus liberrime definiat, à dęmonibus esse prohibitum eorum matrimonium: & uox Pauli, sit uox maiestatis diuinæ: confidendum in ea esse non dubito: adeo, ut si etiam pepigissent in hanc diaboli prohibitionem dum initiarentur: nunc re cognita cui pacti sint, soluendum pactum esse cum fiducia.

Ista sane diaboli prohibitio diuinis uerbis manifeste traducta, ualde me urget: & factum Episcopi Cameracensis probare cogit. Deus enim nec fallit nec mentitur, dicens hanc diaboli prohibitionem esse. Si autem diaboli est pactum in eam firmatum: firmum esse non debet: cum errore impio aduersus Deum & reprobante ac damnante Deo factum sit. Expresse enim dicit eos spiritus erroris esse, qui pro prohibendi autores sunt.

Quid ergo trepides huic sententiæ diuinæ concedere etiam aduersus portas inferi? Non ita habet iuramentum filiorum Israel factum Gibeonitis. Nam in mandatis habebant, ut pacem offerrent, & oblatam admitterent: tum proselitos & ad ritum suum

conce-

concedentes colligerent. Quæ omnia in Gibeonitis facta sunt: nihil ibi contra Dominum factum est, aut spiritibus erroris consulentibus. Licet enim in principio murmurarent: tamen postea comprobauerun
Huc adde, quod cœlibatu[s] [es]t mere humani statuti, quod homo, qui statuit, soluere potest: ergo & quilibet Christianus potest. Quod dico, si etiam à dæmonibus statutum non esset, sed per bonum hominem. Talem sententiam Dei de monachis cum non habeam: non est tutum idem de ijs asserere. Neque enim ego auderem sequi: quare nec alteri consulere, ut sequatur. Vtinam hoc facere possimus, ne ulterius quisquam monachus fieret, aut intra annos [a] tragisimi resiliret. Scandala etiam uitanda sunt, ubi non est manifesta scriptura pro nobis, quantumuis licita sunt.

[a] triginta.

Quod etiam optimus uir Carlstadius ex Paulo citat: uiduas iuniores uitandas esse, & sexagenariam eligendam esse, utinam concluderet. Facile enim aliquis dicet, Apostolum hoc de futuris statuisse, cum de preteritis definiat damnatas, quia fidem priorem irritam fecerint: atq; sic elusa autoritas illa non erit fidelis petra conscientiarum. Hanc enim quærimus. Iam ista ratio, quod melius est nubere quam uri, seu ut peccatum fornicationis uitetur, matrimonium in

peccato

peccato fidei fractę ineunt, quid est nisi ratio? Scri-
* pturam quærimus & testimoium diuinæ uoluntatis: quis scit si cras uratur, qui hodie uritur?

Nam ego nec sacerdotibus coniugium dederim propter solam ustionem, nisi Paulus prohibitionem erroneam & dæmoniacam & hypocriticam & Deo damnatam uocaret: ut uel sine ustione cogat istum cælibatum, ob solius Dei timorem deserere: tamen in his adhuc utile fuerit latius disputare. Vellem enim & ego monachis & monialibus succurrere, ut nihil aliud æque. Adeo me miseret miserabilium hominum pollutionibus & uredinibus uexatarum iuuenum & puellarum.

De utraque specie Eucharistiæ non arguo ab exemplo, sed à uerbo Christi. Nihil enim arguit illos, unam accipientes, peccasse uel non peccasse: sed hoc mouet, quod Christus neutram exegit: sicut nec necessario Baptismum exigit, si prohibeat aquam ty-
a mutans rannus uel [a] mundus. Sic separat uirum & mulierem persecutionum uiolentia: quos tamen Deus separari prohibet: neque enim consentiunt separari. Ita nec consentiunt pia corda priuari altera specie: qui uero consentiunt et probant, eos papistas nō Christianos esse, & peccare quis negabit?

Cum ergo non exigat necessario: & hic urgeat tyrannus

tyrannus:non uideo quomodo peccent unam accipientes. Quis enim per uim aufferat inuito tyranno? Itaq; adhuc nihil urget nisi ratio, quæ dictat, institutum Christi non teneri: sed scriptura nihil diffinit: sine qua peccatum pronuntiare non possumus. Institutum Christi est, sed liberum permissum, nec incarcerari in totum aut in partem potens.

Quid enim fiat, si contingat id, quod Donato martyri contigit? ut fracto aut effuso calice aliqui non participent: non sit ad manum aliud uinum, & multi similes casus. In summa, quia scriptura non urget hic peccatum esse, peccatum non assero.

Valde autem placet ut institutum Christi integretis. Nam hoc erat quod ante omnia cogitabam solicitare, si ad uos reuersus fuissem. Nos enim iam habemus scientiam tyrannidis huius: & possumus ei resistere: ne cogamur alteram speciem accipere tantum.

Sed & ego amplius non faciam missam priuatam in æternum. Obsecro oremus Dominum ut festinet nobis ampliorem spiritum suum dare. Suspicor enim fore, ut cito uisitet Dominus Germaniam: sicut meretur eius incredulitas, impietas & odium Euangelij. At hæc plaga tum nobis imputabitur, quod he-

retici Deum prouocauerimus, erimusque opprobrium hominum & abiectio plebis: illi vero apprehēdent excusationes in peccatis suis: et iustificabunt semetipsos: vt probet reprobos neque bonitate neque ira bonos fieri: & scandalisabuntur multi. Fiat fiat uoluntas Domini, Amen.

Si gratiæ predicator es: gratiam non fictam sed veram prædica: si vera gratia est, verum non fictum peccatum ferto. Deus non facit saluos ficte peccatores.

Esto peccator & pecca fortiter: sed fortius fide & gaude in Christo: qui uictor est peccati, mortis & mundi: peccandum est quam diu hic sumus. Vita hæc non est habitatio iustitiæ: sed expectamus ait, Petrus, cœlos nouos & terram nouam, in quibus iusticia habitat.

Sufficit quod agnouimus per diuitias gloriæ Dei agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non auellet nos peccatum: etiamsi millies, millies vno die fornicemur aut occidamus. Putas tam paruum esse pretium & redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali agno?

Ora fortiter: es enim fortissimus peccator. Die Petri Apostoli. Anno M.D.XXI.

PHILIP.

PHILPPO MELANTHONI.

Carlstadij disputationes de cælibatu non probat: & de uotis pluribus uerbis disputat.

IHESVS.

259.

SAlutem. Legi Carlstadij nostri duos quaterniones hac hora allatos de cęlibatu: & quanquam nollem locum illum de semine Moloch, immolato, ad profluuium istud naturæ detortum (ridebunt enim aduersarij torturam eius loci, cum luce clarius sit, de filijs & filiabus idolo per ignem lustrandis dictum esse) tamen coatum & diligentiam vehementer probo.

Simul & illud me male habet, quod locus ad Timotheum obscurior est: ut uideatur, non tam de cœlibatu, quam de viduis ecclesię eleemosina alendis præcipere: ne grauetur inquit ecclesia: & has sane turpe sit nubere postea uelle, vbi in ecclesiæ stipe lasciuierint: ex quo non uelit confici, ut iuniores à cælibatu eiecerit. De uiduis enim solis loquitur: & has à stipe ecclesiæ reijcit: si sint iuniores & lasciuæ.

Rursum & hoc mouet in contrarium, quod in prioribus literis scripsit, Paulum videri de futuris cauere, scilicet pręterita nõ facere irrita: vt hic locus de virginitate & cęlibatu prorsus nihil vrgeat. Aliud enim est

viduam defuncto marito et cæteris omnibus destitutam, suscipi ad alimoniam communem; & aliud virginitatem & cælibatum suscipere. Quod ideo dico, quia vellem à vobis nihil prodire, quod obscuris & ambiguis scripturis nitatur: cum à nobis exigatur lux, quæ plus quam solis & omnium stellarum sit, neque sic tamen vident.

Iam quis coget illud: Volo iuniores nubere, ad viduas pertinere: ac nõ potius ad generalem exhortationem omnium adulescentularum, præter illas damnatas viduas: sicut & permiserat, iuniores sicut sorores, &c. Neq; enim dixit, volo iuniores viduas nubere, cum damnarit eas nubere volentes.

Vehementer urget quod damnatas asserit istas viduas iuniores propter fidem irritam factam: quod quomodo dilui possit dextre dubito; certe fidem illã ligasse iuniores sequitur, quantumlibet iuniores sint: si propter eam damnantur. Rursus hoc aliquid est quoq;, quod tale genus uiduarum illud fuerit, quod non personali uoto, sed suffragijs Ecclesiæ communibus eligeretur. Dicit enim, uidua non eligatur: & hic locum habeat potestas reijciendi, quas uisum fuerit, sed electis nulla libertas recedendi.

De uotis. Testimonia uero ueteris legis de soluendis uotis rigidissima, prorsus me nihil mouent: cum impossibile sit

le sit ea uel intelligi uel applicari posse ad uotum istud castitatis: cum nemo ignoret ei populo ea esse data, cui sub maledicti & opprobrij poena communissima non licuit caste uiuere, multo minus uouere.

Et plane hoc mihi obtinui: castitatem sub uoto cadere, nõ posse probari per scripturas ab nec lege nec exemplo. Reliquum est 1. Corinth. 7. in arbitrio hominis illud relinqui: deinde legibus & statutis hominum non posse ordinari, nisi inspirante Satana. Hæc apud me certa sunt: sequatur inde quicquid potest. Periculum igitur est, uouere castitatem: sed ideo non ualere quis asserat? cum potuisset & libere castus uiuere, consilijs & exemplis scripturæ instructus?

Quanquam ego varie cogitans illud aspicio, quod Petrus Acto: 15. libertate spiritus etiam onus legis impossibile à se & omnibus reiecerit, cui tamen fuerat subiectus, nihil causatus nisi impossibilitatem eius: consensitq; ei tota Ecclesia: & ipse postea cum gentibus edebat: sed rursum hoc obstat, quod non autoritate propria: imo de cœlo habuit mandatum, ne quid immundum duceret: id est, legem nõ esse necessariam gentibus: tamen hoc absq; oraculo intulit, nec sibi nec Iudæis esse necessariam: libertatem etiam sibi vendicans lege onerato, per exemplum Gentium.

Rursum cogito, qui filiam Abrahæ colligatam 60. annis in Sabbato curauit: quid si & hic incuruati sint per Satanam, & saltem magna pars uouentium dum nondum probato spiritu uouerint, ex suo uel Satanæ feruore?

Prorsus mihi omnium istarum rerum dilutio aliqua facillima creditur: sed quæ nondum appareat nobis. Si enim Christus præsens esset: non dubito ridicula ista dissolueret: uotaq; irritaret omnia, neminemq; sineret uotorum inuoluntario onere premi: cum sit saluator & Episcopus animarum: ut prope mihi hic libertate spiritus utendum esse uideatur: & perumpendum, quicquid obstiterit, saluti animarum.

Neq; enim ipse hactenus ullo oraculo, ullo signo, vllo testimonio ostendit, sese uouendi hoc placitum habere acceptum: & res plane periculosa sit, hoc sequi, quod illum non constiterit ullo modo probare: maxime cum tot animas perire inuitas & necessario videamus: quibus alias optime poterat consuli: si hoc incerti meriti votum non esset. Nonne hoc est currere in incertum? nonne aerem pugno verberare? Quin ergo reuocamus cursum?

Accedit ad hoc argumentum mihi magnum, quod hoc uotum nunquam est probatum infra 14. annos etiam apud homines: ut scilicet uotũ in totam uitam

uitã ſit illicitum. Quis uero certos facit, quod poſt 14. annos uuquam valeat in totam vitam? Deus tacet: homo neſcit. Miſeros nos, qui ſic in incerta ferimur: & pro certis ea ſequimur: vt hoc etiam argumento temerarium & Deo ingratum eſſe uideatur: qui eſt Deus conſilij & ſcienti, non Deus temeritatis & ignorantiæ aut incertitudinis. Vides quantis vrgear rationibus & tamen ſtatuere in his nondum feliciter poſſum: niſi ꝙ iuuare conatum ueſtrum ualde cupiam.

Porro, ego uota intra 20. annum facta abſq; ſcrupulo reſcidi aliquando & adhuc reſcinderem: quod ſine conſilio & ſcientia facta eſſe nemo non uideat: ſed non niſi eorum uotis id feci: qui nondum ſtatum aut habitum mutarant. Nam de his, qui iam ſacrifices facti ſunt in monaſterijs, licet ante 20. annos uouerint, nihil adhuc tentaui: neſcio quæ nubes pompę huius & opinionis humanæ male me hic uexet.

Dominus Iheſus erudiat & liberet nos per miſericordiam ſuam in libertatem noſtram. Certe nos populus ſumus, cui nulla lex debeat imponi: præſertim in totam uitam, ſed libera omnia relinqui. Quod ſecus ſit, non bono ſpiritu fieri timendum eſt. Ex Eremo. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

SVO

EPIST. LVTHERI SVO GEORGIO Spalatino.

Quid in dialogis ſibi miſsis, & Carolſtadij libris deſideret, oſtendit: delectum haberi uult in ſuis ſcriptis edendis: de Magnificat & Pſalmo. 119. rationem poſtulat; in Catharinum quod ſcripſit iubet reponi: poſtremo de alui adſtrictione conqueritur.

IHESVS.

240.

SAlutem. Ex hoſpite meo accepi dialogos & duos quaterniones Carlſtadij. Bone Deus, noſtri Vuittembergenſes etiã monachis dabunt uxores? At mihi non obtrudent uxorem. Dialogorum autor non ſatis habuit ingenij, ſatis eruditionis. Et utinam Carlſtadij quoq; ſcripta plus lucis haberent: cum & ingenij & eruditionis magna uis in eis ſit. Non eſt animus, vt omnia, quę mitto excudantur. Hinc apologiam Philippi, niſi aliud uideatur, uellem differri: donec otioſa fuerint prœla: idem de Pſalmo, Exurgat, factum oportuit: cum abundent ea, quæ neceſſaria ſunt, & urgant.

Magnificat meum, obſecro, nondum eſt abſolutum? Miror ſic interijſſe Pſalmum 119. quem in fine ſermonis de confeſſione certus ſum me adieciſſe: adeo ut pars eius cũ ultima parte eodem quaternione comprehenderetur, ut etiam neceſſe ſit mutilum eſſe ſermonem de Confeſſione. Reliquam uero partem ſeorſum miſi

Sermo de confeßione.

sum misi cum altero fasce: forte non diligenter quæritis. Quæ hic remitto contra Catharinum, mitte in locum suum: integrum enim habeo eundem.

Duricies digestionis meæ (ut uideo) perpetua erit, semper lenienda remedijs: quarto, imo quinto fere die semel secessum habeo. Mirabilis stomachus. Vale, & ora pro me: atq; caue ne tu quoq; uxorem duxeris: ne incurras in tribulatioem carnis. Die Sixti. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

DOMINO GEORGIO SPALAtino, suo in Domino.

Typographorum negligentiam, sordes, & duritiam grauiter accusat: in Carlstadij disputationibus de cælibatu aptiora et planiora requirit: enarrationem loci ex Euangelio Iohannis mittit: solicitudines de suo exilio illi adimit: his subnectit uenationem, & eius allegorias aliquot: postremo mittit postillas imprimendas.

IHESVS.

241.

SAlutem. Secundum & tertium quaterniones de confessione ex te accepi, mi Spalatine: de qua antea eosdem cum primo quoq; quaternione ex Philippo acceperam: sed mirum est quam me pœniteat & pigeat eius excusionis: vtinam nihil vernaculi misissem.

sem, ita sordide, ita negligenter, ita confuse excudun-tur: ut typorum & papyri dissimulem sordes. Iohannes calcographus, est Ioannes in eodem tempore.

Obsecro te, cura, ne is vernaculas Postillas excudat ullo modo: sed ut seruetur potius ac remittatur quicquid illarum misi, ut alio mittam. Quid enim prodest laborasse t ntum: si tantis sordibus & confusionibus detur cæteris typographis occasio augēdi, et multiplicandi errati? Nolim hoc exemplo in Euangelia & epistolas peccari: pręstat latere, quam sic edi: denicꝫ hac causa iam nihil mitto, cum habeam ferme decem magnos quaterniones in eadē re: n hilcꝫ prorsus missurus amplius, donec cognouero sordidos istos quæstuarios minus curare quæstum in excudendis libris, quam fructum legentium.

Quid enim talis excusor uidetur cogitare, nisi hoc, sufficit, quod ego pecuniam acquiro: legentes uiderint, quid & quomodo legant. Latomij tres quaterniones Philippus misit, qui valde placent.

Quam uellem Carlstadium niti, vt cęlibatum istum aptioribus scripturis confutaret: metuo ne sibi & nobis fabulam excitet. Quæ est enim interpretatio: semen dari Moloch, id esse, quod pollui profluuio naturæ? quasi ullus homo non sciat, semen eo loci pro liberis & prole accipi, vt Psal. 77. & Iohan. 5. scribitur:

cur

cur nõ utitur uerbis scripturæ, quæ hoc malũ appellat mollicien & immundiciã, ut Apostolus solet. Iam locum ad Timotheũ, de reijcienda uidua ad cęlibatũ torqueri, multis modis & feliciter cõfutabit aduersarius.

Insignis est causa, quã suscepit, & optimus conatus: sed insignẽ dextrũ et felicem quoq; opto. Vides enim quantum lucis & energiæ exigant à nobis aduersarij, ut etiam apertissima & aptissima calumnientur. Quo magis curandũ nobis est, qui orbis theathrum sumus, ut irreprehensibile sit uerbũ nostrũ, ut Paulus docet.

Forte aliena hic curo: sed aliena non sunt, si succedat conatus eius. Quid enim periculosius, quam tantam turbam prouocare cælibum ad nuptias, tam infidis & incertis scripturis: ut postea conscientiarum perpetua diuexentur, & peiore quam nunc, cruce? Opto & ego cælibatum liberum fieri, sicut Euangelium exigit: sed, quomodo id astruam nondum satis scio. Verum frustra hæc moneo: nolit forte suum cursum remorari: itaq; sinendus est.

Mitto explicatum breuiter locum Iohannis, vt uoluisti: uestrę industrię erit in loco cõmodiore reponere. Nam ego non teneo memoria totum sermonem: suspicor autem me satis copiose antea hæc dixisse, vt abundantia ista non fuerit opus fortasse.

De patientia mei exilij nihil sis solicitus. Mea

enim nihil refert, vbi vbi agam: modo non ſim tan=dem onerosus & moleſtus his hominibus. Neminem enim vellem per me grauari. Omnino autẽ credo me hic agere alimonia & expenſis Principis noſtri: alio=qui ne horam quidem hic ſubſiſterem: ſi ſcirem huius viri me conſumere ſubſtantiam: quanquam & hila=riter & libenter omnia mihi miniſtret.

Scis enim, quod, ſi cuiuſpiam opes perdendæ ſunt, Principum perdendæ ſunt: quod Principem eſſe, & non aliqua parte latronem eſſe, aut non, aut uix poſſi bile eſt, eoq; maiorem, quo maior Princeps fuerit. Tu bene feceris, ſi me de hoc certum facies. Nam ex hoc homine tam liberali nihil intelligere poſsũ: niſi quod è marſupio principali me ſuſtentet. Sed ſic eſt ingeniũ meũ, vt metuam eſſe onerosus, vbi forte onerosus nõ ſum: atq; hoc metuere etiam decet liberalem animũ.

Lutherus in uenatione. Fui proxima feria ſecunda in venatione duobus diebus, viſurus voluptatem illam heroũ γλυκύπικρον: ce=pimus duos lepores, & aliquot perdiculas miſeras: di=gnam profecto occupationẽ hominũ otioſorum: theo logiſabar etiam ibi inter retia & canes. Ac quantũ uo luptis attulit ſpecies illa rerum: tantũ miſericordię & doloris miſcuit myſteriũ. Quid enim iſta imago, niſi diabolũ ſignificat per inſidias ſuos & impios magi=ſtros canes ſuos, ſcilicet epiſcopos et theologos, uenan

tes

tes innoxias istas bestiolas? nimis presenserat myste-
riū hoc tristissimū de animab. simplicib. & fidelibus.

Accessit & atrocius mysterium, cum mea opera lepusculum seruassemus uiuum et intra manicam meę tunicæ inuoluissem, ac paulum discessissem: interim canes iuuentum miserum leporem per tunicam fracto eius crure dextro, & suffocato guttere extinxerunt. Scilicet, sic sęuit Papa & Satan, vt seruatas etiam animas perdat, nihil moratus meam operam.

Denique satur sum eius venationis: dulciorem arbitror, qua iaculis & sagittis, vrsi, lupi, apri, vulpes & id genus magistrorum impiorum confodiuntur. Solatur tamen me, quod proximum salutis est mysterium, lepores & innoxias bestias ab homine capi, quam ab ursis, lupis, & rapacibus accipitribus, & similibus episcopis & theologis: quod hic ad infernum, illic ad cœlum deuorari significentur.

Hæc sic per literas ad te luserim, ut scias uos aulicos feriuoraces fore etiam feras in Paradiso: quas vix multa industria capiat & seruet Christus optimus venator: vobis luditur, dum in venatione vos luditis.

Mutaui consilium: & mitto reliqua postillarum: cogitans si forte ceptum sit excudi id quod prius miseram, ut differri aut inhiberi non possit. Vellem autem excudi in cubitalis papyri modum, & Lottheri

typis: quia magnus erit liber. Diuidam autem eum in quatuor anni partes, de angaria in angariam: ut sit non nimis onerosus & sumptuosus.

Sed frustra hæc uolo: cum non quod ego uelim, sed quod agitur illic, fieri possit: quicquid uero fit vel non fit: cura obsecro ut bona fide custodiantur ista manus meæ exemplaria, aut ad me remittantur. Noui quis eis insidietur Satanas. Miror an ne meũ magnificat aliquando absolutum sit. Vale & ora pro me. Ad festum assumptionis Marianæ. An. M.D.XXI.

Martinus Lutherus.

AD PHILIPPVM MELANTHONEM.

Rursus de uotis quæritur, & de peccato in spiritum sanctum.

IHESVS.

242.

SAlutẽ. Methodus tua gratissima est: nihil est quod mea penuria tuas opes hic moneat: prospere procede & regna: opto tecum esse, ut de uotis istis definire liceat. Infeliciter per literas disputatur, dum hoc alius verbose scribit, quod alter abunde habet, & omittit quod maxime queritur: sicut in ista confessionis questione contigit. Si potero, constituam nos in aliquo loco presentes occulte: quia res ista me solicitum habet. Interim in uentum fabuler. Scribis

Scribis te in eo esse, ut uotum soluendum credas, si seruari non possit, ne votum stet cum peccato. Obsecro an non obscurissime hoc dicis: nonne sic dicis, ac si uelis ideo non stare uotum, quia impossibile est impleri? Et hac ratione etiam diuina præcepta soluenda concedas.

An id differt quod præcepta sunt nobis imposita, uotum ultro est accersitum? Quid hoc effecit, nisi quod non ideo soluendum, quia impossibile, sed quia ultro accersitum? At id ultro accersitum, iam lex Dei factum est, dicente scriptura: vouete & reddite: ne tu rationem sed scripturam in hac re obserues: & uotum à priori, non à posteriori rescindas, hoc est, ut legem uoti & ritum eius confutes: in quo ego sudo, ut impleatur aut non impleatur nihil moror: neque hinc aliud apud me efficies, sic enim & diuortium probabis, si coniuges prorsus non possint conuenire animo. Sed ut ualeat, aut non ualeat uotum, hic mihi laborandum uidetur.

Methodus tua non stulte dicit, uotorum seruitutem alienam esse ab Euangelio, & aduersariam seruituti spiritus: verum nos de uotis nō de seruitute uotorum hic disputamus. Nosti enim quæ sit & vbi sit illa libertas & seruitus: nō in uotis, sed in spiritu: cū liber

possit

possit se omnibus legibus, omniumq; dominio subdere cum Apostolo Paulo. Quomodo S. Bernhardus & quicunq; feliciter religiosi fuerunt sub uotum sese tradiderunt.

Nam & hæc euangelicæ libertatis pars est, posse se subdere uoto & legibus: & lex Dei non est ex fide, ait Apolus, utiq; neq; ex libertate, & contra Euangelium: & tamen libere sub ea uiuimus. Multi ergo liberi sub uotorum seruitute fuerunt: alioquin erat perfectus iam ille tuus syllogismus.

Quicquid est aduersus illam libertatem Euangelij, sub maledicto æterno tollendum est. At votorum religio est huiusmodi: Ergo, &c. O Felicem & optabilem conclusionem.

Quid ergo? Vtiq; nulla lex & seruitus est abrogata, ut noceat & aduersaria sit, sed ut libera sit, imo omnes leges confirmatæ: per fidem enim stabilimus legem. Quare & uotorum lex stabit cum Euangelij libertate, imo firmabitur per eam.

Quæ proximis literis scripsi, excepto loco Pauli 1. Timoth. 3. vbi viduas damnat solutæ fidei: meipsum non satis mouebant: sed uolui occasionem dare, ut ad radicem, hoc est, ad legem uoti non ad fructus uel sequelam te traderes: ego quo usq; promouerim in hac re, scribam tibi.

Non

Non alio consilio hic uti posse nos arbitror, quam quo Paulum uidemus ad Gala: & ubicq; in rescindenda lege uti, Putas ne Galatas sese circumcidisse ex animo, tanquam Deo in hoc ipso seruientes & obligati? nonne Legi sese subdiderant propter Deum, & tales sese Deo obtulerunt non aliter, atcq; se uoto religionis quispiam Deo offert? Sed qua ratione Paulus eos retrahit? non quia se subdiderant, sed quia seruili conscientia sese subsiderant: nempe quod hoc esset omnium impijssimum in Christi gratiam & spiritum eius.

Ita mihi hic faciendum cum fidutia uidetur, in hunc syllogismum sententia coacta.

Quicuncq; uiuit animo contrario Euangelicæ libertati, liberandus est, & anathema sit eius uotum.

At qui uouit animo salutis aut iusticiæ quæren dæ per uotum est eiusmodi. Ergo, &c.

Cum autem uulgus uouentium ferme hoc animo uoueat: manifestum est eorum uota esse impia, sacrilega, Euangelio contraria, ideocq; prorsus rescindenda & in anathema ponenda.

Quotos putas uoturos fuisse, si sciuissent uoto suo necq; iusticiam, necq; salutem cõsecuturos? Ergo omnes fere inuolutam secum habent seruilem hanc conscientiam: imo ex hac ipsa uouent, ut sperent sese

per votum Deo placituros, iustos et saluos fieri. Quid alioqui, inquiunt, in monasterio facerem?

Quare dum hac conscientia vouent: vox eorum nihil aliud sonat, quam hoc: ecce Deus, ego tibi uoueo impietatem & idolatriam tota vita. Quia uouent sese bonos fore per opera illa, ne cogitata semel fide iustificante. Cum ergo error iste non in re temporali, qui matrimonia legitima alioqui dirimit, sed intollerabilis sit in salutem animæ peccans, faciens pro impietate aduersus pietatem: omnino tollendus est.

At quo modo tolletur, nisi aut eiusmodi rescindatur aut omnino de nouo voueatur, hoc est, spiritu libertatis sub uotum eatur. Quid enim si impius Manasses uelut Abraham imitaturus, cuius libertatem nō habet, voueat filium suum immolare Deo per idolum Moloch, non voturus si sciat impie & sacrilege se agere.

Ita sane eiusmodi vouentes non Deo viuo, sed mendacio et idolo cordis sui vouēt: ut asperrimam etiam mereantur correptionem ob huiusmodi uota: tantum abest ut obligentur ad seruandū. Certe si id sciuissem, dum uouerem, nunquam uouissem: quanquam incertus sim, quo animo uouerim: magis fui raptus quam tractus: Deus ita uoluit: timeo quod & ipse impie & sacrilege uouerim.

Sic

Sic arbitror non modo nostris Galatis consulendum sed et præcipiendum,ut vota sua cum fiducia cõculcent,& deleant super impietate & sacrilegio: nihil morati etiamsi interim ad ordines (quos uocant) sacros illaruati & infatuati fuerint: & maxime eos hæc libertas imo necessitas habet,qui adolescentes aut pueri uouerunt. Nam hi prorsus neq; quid fides sit aut lex unquam didicerunt:sicut stultum vulgus auium in laqueos incidunt. Quare liberandi & arguendi sunt temeritatis & stulticiæ.

Porro alia nulla regula hic dari potest,qua sciamus,qui hoc animo sacrilego uouerit;sed eorum conscientiæ relinquendum est: sicut & in omni alio opere bono fieri oporteat.Quis enim præter spiritum hominis,qui est in ipso nosse possit,quo animo uouet aut facit opus bonum: cum opus legis aut seruitus uoti non ex ipso opere,sed ex affectu cordis iudicetur apud eũ, qui spiritus ponderat:et ita nobis iudicandũ mandat.

Memini ego,cum uouissem,indignante vehementer patre carnis meæ, ab ipso audiuisse iam pacato, vtinam non esset Satanę pręstigium. Quod verbum sic egit radices in cor meum: ut nihil ex ore eius unq; audierim, quod tenacius seruauerim: uidetur mihi per os eius Deus velut à longe allocutus,sed tarde tamen satis, ad correptionem & monitionem.

Hac ratione ego mihi satisfacio in rescindendis aut certe innouandis uotis omnibus: ultra quam nihil aliud queram, quiescens in hac sententia: cum hic euidentissi: sit eiusmodi vota aduersus fidem & Euangelium, vt summas idolatrias uoueri & impleri, si animo fiant quo dixi: si autem animo libero & euangelico uo ueris, sponteque te seruum feceris: iustum est ut serues & soluas: quanquam non asseram euangelicum animum hoc aliquando ausurum, aut ausum fuisse, nisi deceptum.

Mitto super hac re disputationem: quam si edere voles, addam breuissimas resolutiones, ecclesiæ Vuittembergensi inscriptas. Arbitror enim hanc sententiam claram & firmam satis in scripturis nixam posse lucem & publicum sustinere. Nam de votis, que in lege scribuntur quid facient contra hæc?

Locus ille Pauli de viduis damnatis superest, quem non patiar aduersari huic sententiæ, de Lege & fide: neque ei concedam, potius obscurum confitebor: aut sic intelligam, quod ille uiduæ libertate fidei uouerunt: que tum recens cognita erat, quemadmodū et Demas & [a] P. in Asia omnes eam reliquerūt. At nostrum vulgus gentile uulgus est, nihil de fide vnquam doctum. Tu quid super hæc sentias & iudices rescribe. Nam iam olim detrita hæc tibi arbitror.

[a] Phigellus Hermogenes 2 Tim. 1.

Arguit

Arguit etiam votorum ſtulticiam,quod paupertas & obedientia vouetur, quæ duæ res aut ſictæ ſunt,aut ſolum pro pueris primum erudiendis quondam inſtitutæ,ut uniuerſum vouendi negotium quædam pædagogia videatur fuiſſe, ſub quam infirmiorem ætatem cuſtodirent pueri. Nunc uiri uouent & in perpetuū,quos alijs charitatis officijs ſeruire oportuit.

Quid igitur,ſum ne & ipſe iam liber & non monachus? Cogitas ne ut fias mihi Demea, et Mitioni huic tandem aliquam ſoſtratam pares, ut uindices in me qui tibi vxorem dederim,vt dicunt, ſed ego pulchre cauebo,ne id poſſis.

De peccato in Spiritum ſanctum, nihil dico: quia doctior & ſpiritualior es quā ego. Vri vero ꝙ non uis extenuari, ego interim magis extenuabo,vt putem, eſſe ſola incendia libidinis præ feruida. Nam pollutiones ipſe vocat immunditiam vt noſti. Et in 2. dicit. Quis ſcandaliſatur & ego nō vror: difficile autem tibi fuerit aliquid craſſius (vri) probare.

Cogitabo interim de peccato blaſphemiæ. Nā hoc ſolum Chriſtus facit peccatū in ſpiritū ſanctū & irremiſſibile. Nec Petrus nec Paulus hoc paccaſſe videtur. Adhuc puto eadē, qua tu niteris ſimplicitate, eſſe etiam genus peccati, quod præ cæteris irremiſſibile ſit, quod Iohannes uocat peccatū ad mortem, & Paulus, Hæreſim ad Tit. 3.

Interim uale & ora pro me. Vellem te adhuc decies plus obrui: adeo me nihil tui miseret, qui toties monitus, ne onerares teipsum tot oneribus, & nihil audis: omnia bene monita contemnis. Erit cum sero stultum tuum hunc zelum frustra damnabis: quo iam ardes solus omnia portare quasi ferrum aut saxum sis. Ex Eremo mea, sequenti die, post natiuitatis Mariæ. Anno M. D. XXI.

AD GEORGIVM Spalatinum.

Capitonis & Erasmi iudicia, de taxanda tum pontificum tum aliorum impietate & immanibus uitijs, contemnit: Ducem Iohannem seniorem resciuisse ait, ubi abditus lateat: morbum Dei plagam agnoscit: Vuittembergensium studijs crescentibus gratulatur: & ut Philippum ad publice docendum Euangelium adducant contendit.

IHESVS.

243.

SAlutem. Nec Capitonis nec Erasmi iudicium me tantillum mouet: nihil alienum opinione sui apud me faciunt: quin & hoc ueritus sum, ne quando mihi cum alterutro negotium fieret: quando Erasmũ à cognitione gratiæ longinquum esse uiderem: qui nõ ad crucem sed ad pacem spectet in omnibus scriptis. Hinc omnia putat ciuiliter & beneuolentia quadã hu-

manitatis tractanda, gerendaqꝫ: sed hanc non curat Behemoth: neqꝫ hinc quicquam sese emendat.

Memini me, dum in præfatione sua in nouum testamentum, de seipso diceret: gloriam facile contemnit Christianus, in corde meo cogitasse: o Erasme falleris timeo. Magna res est gloriam contemnere. At ille sic contemnere eam uoluit, ut contemptus esset non ab alijs sibi illatus, sed apud sese cogitatus. Sed contemptus gloriæ, si in uerbo sit, nihil est: multo minus si in cogitatione tantum fuerit: sed in uirtute est regnum Dei, ait Paulus. Hinc ego adhuc de nulla re ausus sum, nec possum gloriari, nisi de verbo veritatis, quod dedit mihi Dominus.

Igitur illorum scripta, quia abstinent ab increpando, mordendo, offendendo simul nihil promouẽt. Ciuiliter enim admoniti pontifices, sibi blanditum putant: et velut ius habeant incorrigibilitatis perseuerãt: contenti, quod tremendi sint: & nemo eos reprehendere audeat. Hos tuus Plutarchus in libello de adulatione format: sed grauius & horribilius Hieremias: maledictus, qui facit opus Domini fraudulẽter: loquitur enim de opere gladij, in hostes Dei. Et go timeo valde & vexor conscientia, quod tuo & amicorũ cõsilio cedens Vuormatiæ remisi spiritũ meum: & idolis illis non exhibuerim Eliam quendam. Alia audirent, si denuo sisterer coram eis, de hoc satis. Dux

Dux Iohannes ſenior tandem nouit ubi agam, hactenus ignarus. Hoſpes meus clam ei aperuit: ſed bene tacebit: ego hic bene habeo, ſed ſegneſco & langueſco, atq; adeo frigeſco ſpiritu miſer. Hodie ſexto die excreui tanta duritia vt pene animã efflarim. Nũc ſedeo dolens, ſicut puerpera, lacer & ſaucius & cruentus, hac nocte non habiturus, aut modicam quietem.

Gratias Christo, qui me ſine reliquijs ſanctæ crucis nõ derelinquit. Sanus eſſem ab omni ſaucedine: ſi uenter ſolutus eſſet. Quod enim in quatuor diebus, in egerendo denuo ſauciatur, hoc ſcribo, non vt cõpatiaris, ſed vt cõgratuleris, orans, ut ſpiritu feruere dignus fiã. Tempus eſt enim aduerſus Satanam orandi ſummis viribus, adeo præſumit funeſtã quandam tragœdiã in Germaniã, & ego metuens ne Dominus ei permittat.

Adhuc ſum ſtertens & otioſus ad orandum & opponendum, vt mihi vehementer diſpliceam & oneroſus ſim: forte, quod ſolus ſim, & vos me non iuuetis. Oremus quæſo & uigilemus, ne in tentationẽ intremus. Nihil aliud habeo quod nunc ſcribam. Vos omnia omnium noſtis.

Gaudeo Vuittembergam creſcere, hoc maxime nomine, quod me abſente creſcit, ut videat impius & fremat, & deſiderium eius pereat. Chriſtus perficiat quod incepit. Valde, vellem, vt Philippus & vulgo

concio-

concionaretur alicubi in oppido, diebus festis post prandium loco compotationum & ludorum: ut fieret consuetudo libertatis introducendæ, & in priscæ Ecclesiæ faciem & morem restituendæ.

Si enim omnia hominum iura fregimus, & iuga eorum abiecimus: quid adhuc moretur nos, si unctus, rasus non sit, & coniunx sit? vere tamen & est sacerdos, & agit de facto sacerdotem: nisi non est sacerdotis officium docere verbum: alioqui nec Christus sacerdos erit: nunc in Sinagogis, nunc in nauibus, nunc in littore, nunc in montibus docens: denique omnis persona omnibus locis & horis vnus ipse fuit.

Cum ergo vocatus sit à Deo, agatque uerbi ministrum, vt nemo potest negare: quid si à tyrannis istis Episcopis non ecclesiarum, sed equorum & purpuratorum, vocatus non sit. Sed noui hominis sensum, nõ acquiescet persuasionibus meis. Vocandus ergo & vrgendus est ecclesiæ totius mandato & impulsu. Neque enim si ipsa postulet & exigat, negare debet aut potest.

Si ego præsens essem, omnino apud senatum & populum agerem, vt eum rogarent, quo priuatim eis legeret vernacula Euangelium, sicut cœpit in latina: vt sic paulatim fieret & vernaculus Episcopus, quo modo factus est latinus: & te vellem in hoc conari, vt fie-

ret. Nam populo opus est præ omnibus verbo Dei: quod cum in illo abundet præ cæteris, uides etiam, conscientia urgente, & Deo exigente, nos debitores esse, ut eũ uocemus: & uerbũ fructu suo nõ fraudetur.

Poteris hæc per Lucam & Christannum in senatu pulchre agere: simul vt hac ratione etiam uindicet Christus meam absentiam & silentium, illius prædicatione & sono, in confusionem Satanę et Apostolorum eius. Origenes priuatim mulieres docuit: cur non & ipse tale quid tentet, cum possit & debeat? presertim cum sitiat & egeat populus.

Noli quæso cito moueri illius excusationibus: pulcherrima folia prætexet, sicut & decet eum. Non enim ambire, sed urgeri & uocari debet ab Ecclesia: imo rogari ut seruiat: & non quod sibi utile sit, sed, quod multis faciat. Obsecro hoc unum age omnium diligentissime, adhibitis amicis in commune iuuantibus. Et bene uale memor mei apud Dominum. Ex Eremo, altera natiuitatis Marianæ.

Anno M.D.XXI.

T. Martinus Lutherus.

AD NICOLAVM AMSDORFfium sacræ Theologiæ Licentiatum & Canonicum Vuittembergensem.

De uotis

De uotis themata mittit, & in eandem sententiam plura pollicetur: Carlstadij dissensionem in doctrina dolet: Philippum ad ministerium uerbi adigendum denuo autor est.

IHESVS.

244.

MItto themata de uotis: in quibus etsi nihil noui sit, quod uos quæritis: aduersarijs tamen, si edita fuerint, noua & horrēda erunt. Philippus eo nititur, ut uotum soluatur propter impossibilitatem: de quo nihil tractaui, nec posse adhuc credo tractari: in quo fideliter & secure niti queant conscientiæ: hoc enim spectamus.

Ego hic tractaui causam, quæ fidelis & sufficiens est ad securandas & liberandas à uoto conscientias: quæ est impietas & pietas. Mittam etiam alia, in quibus disputetur latius, de legitimis & pijs uotis: quatenus tenenda sint: sed ducta ex eadem causa pietatis & impietatis.

De Carlstadio doleo: cui etsi facile resisti potest: tamen aduersarijs nostris gloriandi dabitur occasio, de intestina nostra discordia, magno scandalo infirmorum.

Scripsi Spalatino, ut ageret de Philippo nostro, si forte uernacula Euangelium uulgo in aliquo loco, ut collegio, festis diebus recitaret: qua arte

 paulatim

paulatim in prædicandi veterem ritum apud vos Euangelium ueniret. Habetis pulchrum obiectum, si quis volet inhibere laico Euangelium dicendum in angulo, S. quod in loco studij & ex officio hoc faciat tum vernacula eum loqui & uulgum & mulieres eum audire quis uetet? quis vetet, si quo modo tota Ciuitas eius lectiones audiret, si latine ipsa sciret, aut ille vernacula legeret?

Vellem hoc non contemni consilium, præsertim, cum spes non sit reditus mei ad vos: quis scit, quid Deus velit per me stultum? Vale & ora pro me. Gratias ago pro cantilena, feria 2. post Natiuitatis.

Anno M. D. XXI.

T. Martinus Lutherus, D.

FRAGMENTVM EPISTOlæ Lutheri ad Philippum Melanthonem.

Iam tertio de uotis agiatur: eaq; dissoluenda pronunciatur.

245.

SVmma, cum abunde satis dictum sit hic & alibi, vitæ hoc genus pugnare cum Euangelio, dum facit peccatum in cibis, vestibus, potibus, locis, personis, operibus, gestibus: in quibus Christus nullum peccatum facit, sed libera esse iussit: nec subsistere

posse,

posse, nisi peccatum eiusmodi faceret: & conscientias illaquearet (vt est omnium euidentissimum: statim enim euanesceret, si libera hæc esse putarent, & conscientias nō tenerent) sed euidentissimum est, eiusmodi vota esse nulla, illicita, impia, & cum Euangelio pugnantia.

Quare non est disputandum pia vel impia opinione uoueris: cum certum sit impias res à te uoueri. Proinde fideudum est Euaugelio: & uota ista, quocunque casu, quocunque animo, quocunque tempore emissa, cum tota fiducia deserenda sunt: & ad libertatem fidei christianæ reuertendum. Hæc mea est firma & indubitata sententia: de qua benedico & gratias ago benignissimo liberatori Domino nostro Ihesu Christo: qui est benedictus in secula, Amen. Ex Eremo. Anno M. D. XXI.

PHILPPO MELANTHONI.

Silentij accusationem, in eum retorquet: &, ut contra Emserum scribat, adhortatur.

246.

SIlentium meum nō est quod accuses hoc tempore: qui ipse nihil hactenus huc scripseris, id quod debebas tu, in isto rerum uestarum tumultu: nisi ad

unam Emſeri vocem ita obſtupuiſſes, ut mutire non liceat. Hui theologos, & fortes Chriſtianæ doctrinæ aſſertores: quos ſic obnoxios habet uir unus, & is quidem malus, idq; in cauſa pietatis. Quin uos illi opponitis? quin arma aduerſus eum literaria expeditis? quin plebeculæ, veſtræ hominis inſaniam & impietatem declaratis?

Idq; cum referat omnes, qui Chriſtum ſapiunt, conari: tamen te in primis: qui cum laurum theologicum geras, ni fallor, obſtrinxiſti te ſacramento ad refellendas & confutandas hæreſes. Quando videbimus aliquid dignum theologiæ Baccalaureo? Quod ſi recte obſeruatum eſt ὑπὸ φυσιολογίων, laurum fulmina non ſentire: nam & Tyberius tonante cœlo ea coronari ſolitus eſt contra fulminum metus: tum quid Emſeri Salmonei fulmina pertimeſcis? cum laureatus ſis? quin illa Chriſti pertimeſcis ineuitabilia fulmina? qui erubuerit meos ſermones &c. Apollinis vates, ut apud Lycophrona eſt, adeſa laurum, una numen & fatidicum furorem accipiebat, & ut ait Poeta, δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Quam felices theologos, ſi vna cum Lauro ipſi quoque diuinę doctrinæ ſpiritum conciperent. Sed aude, ſacramentum pijs literis dixiſti; quid ceſſas? Quid muſſas?

Me

Me certe quantumuis rudem tyronem, tamen comitem habebis: nec pœnitebit sub te tali tolerare magistro militiam, & graue Martis opus. Quis non sub eo gestiat stipendia facere, qui ad rem theologicam tale ingenium, tam multiplicem rerum scientiam attulerit: qui res naturæ, iam annos tot versatus in Herculanis medicorum λοῦτροισ, sic peruestigarit: qui omnes philosophorum sententias sic vt ungues suos norit. Vehementer enim & toto cœlo errare censeo, qui philosophiam & naturæ cognitionem inutilem putant theologiæ: alioqui quorsum nobis magisteria nostra?

SVO DOMINO GEORgio Spalatino.

Locum ex Luca de decem leprosis, in gratiam Principis explicatum, & describendum, & imprimendum (si ipsi uideatur) tradit: addit de irrisione sacerdotij Baal.

IHESVS.

247.

SAlutem. Princeps Iohannes, petitutus illo Lucæ de decem leprosis, quod ad sacerdotes missi à Domino, cōfessionē docere credendi sint, cū esset in loco, per hospitem meū postulauit, vt explicarē Euangeliū idem: ut haberet, quod griseis istis pharisæis & hypocritis responderet, qui velut præuenturi meum de confessione

confeſſione libellum. Hoc Euangelio animum Principis præoccupare & auertere moliuntur: audierunt enim ſub incude eſſe ſermonem de confeſſione.

Itaq; eum ad te mittendum curaui, hac ratione, vt curares aliena, & bona manu, deſcribi diligenter: cum & copia & ocio huiuſmodi manus abundes: & mea manus cælanda ſit. Itaq; mihi meam manum remitte: cum aliud exemplar non habeam: & nulli alteri tradi potuerit ad deſcribendum, ne proderer ego.

Et quanquam eum locum in libello de confeſſione tractarim: tamen ita contemnebam, ut ſuperflua uideretur diligens confutatio. Non enim credebam vllos tam craſſos, qui ex hoc loco confeſſionem ſerio adſtructuri eſſent. Proinde hic & diligenter & copioſe locum tractaui, & inſaniam eorum cõfutaui. Quod ſi excudendum tu iudicaris, præpones hanc, quam adieci præfationem inſcriptã, ſi cui voles, nomine meo, vel Hugbaldo Einſidel, vel cui viſum ſit, modo ne Principi. Vides cauſam.

Ego enim eum excudi paterer hoc potiſſimum nomine, vt ſermo: de confeſſ: ſuffragaretur: tum quod Chriſtianæ rei ferme ſummam complectatur: & abunde uitam pietatis formet, quo & præguſtum poſtillarum delibarent Germani. Adieciſſem, quod Philippus in ſermone deſiderat: ſed nondum poſſum

intelligere

intelligere quid desideret: si autem excudi non placet: præfationem in spongiam:& Principi Iohanni reliquum: mihi meam manum distribues.

Quæ luserint Parrhisien:in suos Sophistas meo nomine, audisse te credo. Contemni incipit hoc sacerdotium Baal & Phegor, maledictum à Domino per os Pauli. Benedictus Deus. Et quod Papa cum Cæsare consultat, nondum maturuit: utrumque ducit Deus, sicuti merentur, & quo ducendi sunt: sed interim id non cogitant, donec compleantur iniquitates Amorræorum. Ego gaudeo & faueo Cæsari hanc felicitatem, sed propter mysterium Dei. Vale, & ora pro me. Die Lamperti. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus
August:

SVO GEORGIO SPALAtino, Christi seruo.

Spalatino ut uidetur, pro mißis medicamentis, Deo pro salute restituta, agit gratias: quod Gerbellio & Taubenheimio non rescripserit, excusat: Philippi uitæ & saluti fuga consuli uult, si pestis locum inuaserit: Episcopo Moguntino minitatur.

IHESVS.

241.

SAlutem. Gratias ago pro iis, quæ misisti. Anus meus & venter tandem in gratiam rediere mecum: ut nulla opus habeam amplius medicina, sanus per omnia sicut antea, Deo gratia. Gerbellio non potui hoc nuncio scribere, sic festinabat, nec Taubenheimio. Eadem hora & tua accipere, & ista effundere coactus sum. Scribam alias latius.

Obsecro ne Philippus maneat, si Pestis irruat. Seruandum est hoc caput, ut ne pereat uerbum, quod Dominus ei mandauit in salutem animarum. Non continebor, quin idolum Moguntinum & priuatim & publice inuadam, cum suo lupanari Hallensi. Vale breuissime. Feria 2. post Francisci. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus August:

SVO CHARISSIMO GEORgio Spalatino, Christi seruo & suo amico.

Rogat, ut amicis suas literas reddi curet: & Gerbellio libri, quos petit, comparentur. Et literarum breuitatem excusat.

IHESVS.

IHESVS.

249.

SAlutem. Philippo ista tradi curabis, optime Spalatine: sed & ad Gerbelliũ meas literas mitto: vides quod libros meos optat, id tuæ & opis & operæ est, meę esse non potest: indicem ei signaui omnium, tu cura si uoles reliqua. Taubenheimio suas quoq; reddes.

Nihil aliud iam habeo quod scribam. Vestrum est enim, qui in rebus uersamini, scribere mihi, iam nunc demum vere & proprie Monacho: non tamen sum monachus. Assunt enim multi & mali & astuti Dæmones, qui mihi tempus, quod aiunt, eludunt, sed moleste. Tu ora, ut non deserat me in finem Christus, ac uale. Die omnium Sanctorum.

Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

Est in arce sacrificulus, qui quotidie missam facit, metuo cum magna idolatria, ut aliud nihil accedat: utinam & ipse & omnes priuatorij istiusmodi saltem minuerentur: si in totum non possunt, subito abrogari. Iniuria missæ est, priuatim esse: cum nomen eius sit sinaxis, et communio, Christiq; ac Pauli institutio, pro uerbi annunciatione, id est, sui memoria frequentari in publico, et collecta ecclesia haberi iubeat. o Antichriste.

ERVDITIONE ET PIETATE Christiana insigni uiro, Nicolao Gerbellio, Iurisconsulto fidelissimo suo in Christo amico

Silentij diuturnitatem excusat: de rerum suarum statu edocet: librorum suorum catalogum texit: de uxore data suauiter ludit: de coniugio ipsi gratulatur: & amicos suis uerbis salutare iubet.

IHESVS.

250.

SAlutem in Christo. Literæ tuæ ad me datæ, Gerbelli suauissime, uigilia pentecostes, redditæ mihi sunt demum ad Michaelis festum: & has ego do ad te hodie omnium sanctorũ die: rogo, ad te quando peruenturas: ad aliam forte pentecosten, aut ad Calend: grecas. Vides causam silentij mei: fortunę scilicet hoc est, occultę Dei uoluntati id tribuas.

Cæterum quod tam anxie & amice de rerum mearum statu perquiris: arbitror interim exalijs te cognouisse. Cessi publico, amicis suadentibus obsequutus, tum inuitus tum incertus, an Deo gratũ facerem. Ego quidem arbitrabar ceruicem esse obiectandam publico furori: sed illis aliud uisum: quorum consilio adornati, equites simulatis insidijs me ceperunt in itinere: & in locum tutum, quo nunc suauissime tractor, posuerunt

Sed

Sed mille credas me satanibus obiectum in hac ociosa solitudine. Tanto est facilius aduersus incarnatum diabolũ, id est, aduersus homines quam aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus pugnare. Sæpius ego cado: sed sustentat me rursus dextra excelsi: quo nomine & publicum denuo suspiro: sed nolo, nisi uocarit Dominus.

Libellos meos ad te mittere non est tutum: scripsi de hac re Spalatino, ut id curet. Exiuit interim libellus aduersus Catharinum de Antichristo: item vernaculus de confessione: item Psalmus 67. vernacula declaratus: item canticum Mariæ vernacule explicatum: item Psalmus 37. ad Ecclesiam Vuittemberg: consolatorius. Philppus apologiam aduersus Parrhisien: pro me edidit: quam ego vernacula donaui, edita est & ipsa. Idem iam sub formis habet methodon theologicam librum Philippo dignum. *Catalogus librorum D. M. L.*

Mihi sub formis est uernacula enarratio epistolarum & euangeliorum per annum: item in Cardinalem Moguntinum absolui reprehensionem publicam, ob idoloum indulgentiarum Halli denuo erectum: item enarratio Euangelij de leprosis decem, omnia vernacula. Germanis meis natus sum, quibus & seruiam. Prurit animus in academias publice inuectiuas moliri: sed nondum institui. In Matthæum

nihil statui commentari; sed Vittembergæ pro suggestu ceperam utrunque testamentum ab exordio populariter declamare: & profeceram in Genesi usque ad 32: in Euangelijs usque ad vocem Iohannis Baptistæ: hic obmutuit uox mea. Ecce habes omnia quæ postulasti.

Literas tuas priores, quas Vuormaciam ad me miseras, multum post in hac solitudine accepi. Mirum est autem quam placuerit, & uxor & paranymphus, qui eam mihi & donauit et adornauit. Peperit mihi autem filios, quos superius recensui. Tu iudicabis an proles sit nostri similis: fecunda adhuc est. & tumescit uterus eius pleno sinu, paritura, si Christus uolet, filiũ, qui uirga ferrea frangat papistas, sophistas, religiosistas & herodistas. De uotis enim religiosorum & sacerdodotum, Philippo & mihi est robusta conspiratio, tolendis & euacuandis scilicet. O sceleratum illum Antichristum cum squamis suis: ut omnia Christianæ pietatis Satan per eum uastauit mysteria.

Coniugem tuam resalutabis, quam opto tibi amantem et amatam. Felix tu, qui impurum istum cœlibatum & vel vredine perpetua, uel immundis fluxibus damnabilem, honorabili coniugio superasti. Patere quicquid fert hoc vitæ genus à Deo institutum: & gratus esto Deo tuo. Tanta monstra mihi iste adolescentum

lescentum & puellarum cælibatus miserrimus quotidie manifestat, vt nihil iam auribus meis sonet odiosius, monialis, monachi, sacerdotis nomine: & paradisum arbitror coniugium vel summa inopia laborans.

Salutabis & alios mihi à te nominatos, Othonem Brunfelsium, Casparum Vrnigereum, & tucam Bathodium, & omnes qui tecum sentiunt in Euangelio, & damnant religiones angelorum, vt Apostolus ait. Et tu vale felicissime, ac pro me ora. Ex Eremo mea. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

DOMINO GEORGIO, Spalatino discipulo Christi, suo in fide amico.

Libellum in Moguntinum uult excudi, uel inuito Principe: criminationibus, quibus ipsi & Vuittembergensibus obtrectatur, non debere eum moueri: abrogationem missæ cõprobat: paraclesin scribere recusat: de uotis uero instituit.

IHESVS.

251.

SAlutem. Ingratiores literas vix legi, quam has tuas nouissimas; ita vt non solum distulerim, sed &

statuerim

ſtatuerim vobis nihil reſpondere. Primum non feram quod ais, non paſſurum Principem, ſcribi in Moguntinum: nec quod publicam pacem perturbare poſſit: potius te & Principem ipſum perdam & omnem creaturam. Si enim creatori eius Papæ reſtiti, cur cedam eius creaturæ?

Pulchre vero, non turbandam pacem publicam, arbitraris: & turbandam pacem æternam Dei, per impias illius & ſacrilegas perditionis operationes patieris? Non ſic Spalatine, non ſic Princeps: ſed pro ouibus Chriſti reſiſtendum eſt ſummis viribus lupo iſti grauiſſimo, ad exemplum aliorum. Proinde mitto libellum in eum iam paratum, cum ueniſſent literę tuæ: quibus nihil motus ſum, ut aliquid mutarem: quanquam ſub Philippi calculum proieceram, vt ille mutaret quod videretur. Tu ergo caue, ne librum Philippo non reddas, aut diſſuadeas: fixum eſt, te non auditum iri.

Quod vero male audire nos cum noſtris cogimur, vel ab aduerſarijs, uel nimio ciuiliter prudentibus in re diuina: nihil debuiſti moueri; cum ſcias Chriſtum & Apoſtolum non placuiſſe hominibus. Neque enim adhuc audio, noſtros aliquo flagitio accuſari, ſed tantum contemptu impietatis, & perditarum doctrinarum: quanquam iuueniles iſti motus

non

non placeant, qui Antonij legatum male acceperunt: sed quis omnibus, omni loco & tempore frenum inijciat?

An illi nihil vnquam designant mali? Et discipuli tulerunt Iudæ Ischariotis opprobrium: & quotidie in communitatibus feruntur mali: soli nos sumus, à quibus exigitur, ne canis mutiat. Obsecro, ne speres, nos Apologias singulis reddere, quibus displicebit Vuittemberga: quid enim impossibilius?

Non ruet ideo Euangelium, si aliqui nostrum peccant in modestiam: qui autem alienantur à verbo, hac causa: non verbo, sed gloriæ verbi adhæserunt. Qui verbo adheret propter verbum, portis inferi auellentibus, non auellitur ab eo: qui alienatur, alienetur. Cur non spectat nostra meliora & firmiora? cur spectat peiora & infirmiora? nunquid Philippus & sui accusantur hoc crimine? cur ergo totos damnant ob partem? Minus peccatum est impium prædicatorem exibilasse, quam doctrinam eius fideliter acceptasse: hoc peccatum laudatur, istud irremissibile iactatur. Et hos iudices, has æquitates tu formidas, vt ruiturum Euangelium putes ob hos fumos.

Abrogationem missarum confirmo hoc, quem mitto libro. Paraclesin non potui parare: nec video

necessariam, cum sit argumentum hoc à me tractatum in Tessaradecade: quam cur non legendam datis? aut cur non potius Euangelia & passionem Christi ei inculcatis: quo solatio nihil est præsentius: an ad singulos casus noua mihi semper scribenda consolatio? quid dicent, aduersarij? simul spero suffecturam Philippi paraclesin: cum interim & deferbuisse suspicer animi ægritudinem, ut tarda & iam inutilis, ueniat mea paraclisis, nec sit periculum ibi impietatis quod differri aut negligi non sit tutum: hic uero præsens est perditio animarum, in qua laboro.

Iam enim & religiosorum uota aggredi statuo: & adulescentes liberare ex isto inferno cælibatus, uredine & fluxibus immundissimis & damnatissimis. Partim hæc tentatus, partim indignatus scribo, tu boni consules. Non enim unus est Satan mecum seu potius contra me, qui sum solus, aliquando uero non solus. Vale itaque & saluta omnes nostros. Ad Gerbellium scripseram ante literas nouissimas, & omnia inclusa & signata erant. Die S. Martini. Anno M. D. X X I.

T. Martinus Lutherus.

SVO CHARISSIMO
Georgio Spalatino.

Præfationes duas asseruandas tradit: qua occasione libellum de uotis ediderit, exponit: & , ut collegium sacerdotium Vuittembergense à Principe aboleatur, optat.

IHESVS.

252.

SAlutem. Præfationes has duas, alteram vernaculam. Euangeliis præponendam, alteram libello de monasticis uotis latinam, cura quæso, mi Spalane, vt diligenter seruentur, & à te & à Philippo ne pereant: donec reliquum postillarum absoluero, in quo iam laboro.

Vaga & incerta relatione didici, deposuisse apud nostros quosdam cucullum, quod ne forte non satis firma conscientia facerent, timui. Hic timor extorsit mihi eum libellum, ut & mei nominis, siqua est authoritate, uel apud pios & bonos leuarentur: & apud semetipsos magis animarentur. Certum est uotum monasticum hodie esse damnatum, uel uno hoc nomine, quod in monasteriis uerbum Dei non tractatur, & mera hominum mendacia ibi regnant.

Occasio libelli de uotis monasticis.

 Vtinam

Vtinam & Princeps noſter Bethauen, quoque ſuam Vuittembergenſem aboleret: diſpertitis poſt vitam eorum, qui nunc ſunt in ea ſtipendarij, redditibus in pauperes: quales multos habet ea terra, etiam in ſanguine generoſo, ſicut noſti. Ea enim erat Principe digna munificentia, quæ ei regnum aperiret æternum. Iſta impietas per eum roborata quid faciet? alias alia. Vale in Domino. Ex Eremo. Die S. Ceciliæ. Anno M.D.XXI.

Martinus Lutherus.

SVO GEORGIO SPAlatino Chriſti ſeruo, amico.

Acerbe queritur cum Spalatinno de literis & opuſculis ſuis uel interceptis, uel ab ipſo, ne ederentur, ſuppreſsis. Deinde orat ut ſe Principi commendet, diſsimulata ad Vuittembergenſes profectione.

IHESVS.

253.

SAlutem. Miſi ad te vna cum literis libellos devotis, de miſsis, & in Moguntinum tyrannum: quæ omnia ſperabam reddita eſſe quibus oportuit: nunc cum

cum longe aliud inueniam, varia cogitare cogor. Metuo enim ne intercepta sint in itinere, aut quoquo modo per nuncium perdita. Quia si scirem ad te peruenisse, & apud te captiua esse; non esset quod me hoc tempore magis grauaret: cum in eis hoc egerim, quod maturari quam maxime debuit.

Tu itaque si habes ea penes te, fac, ut modestiæ & prudentiæ tuæ, qua mihi suspectus es, modum ponas. Nihil enim agis, dum aduersus gurgitem remigas: edi volo, quæ scripsi; si non Vuittemberge, certe alibi. Quod si exemplaria uel amissa sunt, uel tu ea retinueris: exacerbabitur mihi Spiritus, vt multo uehementiora deinceps in eam rem nihilominus moliar. Neque enim spiritum etiam extinguet, qui mortuas chartas extinxerit.

Veni Vuittembergam, & inter dulcissimas amicorum suauitates hoc absynthium inueni: scilicet libellos & literas nemini esse neque auditas neque visas: quem dolorem tu iudica an iustũ esse debuerim arbitrari. Omnia vehemẽter placent, quæ video & audio: Dominus confortet spiritum eorum, qui bene uolunt: quanquam per viam uexatus rumore uario de nostrorum quorundam importunitate, præstituerim publicam exhortationem edere, quamprimum reuersus fuero ad Eremum meam, cætera alias.

EPISTO. LVTHERI

Principi illustriss: me commenda, cui cælatum meum accessum ad Vuittember: & recessum volui: qua causa satis ipse intelligis. Vale, Vuittember: apud Phil: meum in ædibus Amsdorffianis. Anno M. D. XXI.

Martinus Lutherus.

Biblia latina apud te & per te curabit Philip: ad me mitti: quæ rogo succipias & cures fide tua.

IHENAE.

Excudebat Christianus Rhodius.

ANNO M. D. LVI.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM PRIMI Tomi Epistolarum Luth:

A.

Bulla

Cantica

Concilia

Ad

Hen-

Hut.

I.

K.

L.

Luth.

Melchior

Mino-

N.

O

P

Palati-

Posi-

Q.

QVAESTIONES.

V.

VNIVERSITATES.

VV.

VVITTEBERGA.

In

Z.

II.
INDEX BIBLICVS SEV EXEGETICVS.

Hoc est:

Locorum Scripturæ allegatorum, expoſitorum, &c, aliorumq; ad Scripturæ expoſitionem pertinentium.

Ora-

GENERALIA.

Tropi scripturæ.

REGVLAE scripturæ.

III.

Elenchus eorum, ad quos scripsit Lutherus Epistolas hoc primo Tomo contentas.

Ad

INDEX.

FINIS.

